FORMA VERAE RELIGIONIS

QVÆRENDÆ, ET INVENIENDÆ.

LIBER VNVS.

AVTHORE

R. P. MICHAELE DE ELIZALDE

SOCIETATIS IESV.

Ad Præclarissimum Principem

D. D. GREGORIVM De Bracamonte, & Guzman.

Excellentissimi Domini Comitis de Peñaranda Proregis Neapolitani Hæredem Filium.

NEAPOLI,

Apud Hyacinthum Passerum, M.DC.LXII.

Superiorum licentia.

Digitized by Google

AD PRÆCLARISSIMVM PRINCIPEM

D. D. GREGORIVM DE BRACAMONTE ET GVZMAN.

PRoperandum fuit, Præclarissime Princeps, vt quos magnitudine non possum, celeritate saltem obsequij anteuerterem; Teque primus, si minus optimus, erudito aliquo id generis munere salutarem. Præstat enim sequuturis ad Te compluribus præferre me ducem, quam alios subsequi Excellentissimi Parentis Tui sacrum limen iamdudum amplexos. Nam quid parua valeant obsequia, si etiam sera? Accedit quod nefas iuxtà esset siue ad Patris meritum adire sine laudibus, siue ad eius modestiam cum laudibus vel meritissimis. Grandia illum nomina longo grandiorem interuallo compellarunt. Exiguo mihi, de re licet maxima agenti, Parnulus quidem quærendus fuit, sed natus ad maxima, vt sic ætas authori, fatum argumento

Digitized by Google

to reſponderet. Nec profectò congruentiùs liber hic meus, quam recens orto Principi conſecratur. Et fides, quam hic propugno, nos vix natos præoccupat, ac nondum illam habere potuiſſe videmur, cum tenemus. Veram Religionem non tam adduco, quam ſequor ad cunas tuas vltrò feſtinantem, vt ſibi Te totum vendicet, relaturum breui gratiam diuturnam. Enimuerò decet Hiſpanum, maximè verò tui generis Principem inter ipſa infantiæ crepundia Religioni conſueſcere, ac penè cũ lacte nutricis pietatem haurire, quam tamquam alteram habeat naturã. Hoc enim illud eſt columen, cui reliqua vitæ ſeries nectitur, cui fœlicicitas, quam Tibi cumulatiſſimam exopto, firmiſſimè nititur.

Non longè alienis è faſtis quærenda sũt Tibi Religionis fœliciſſimæ documenta; domeſticos conſule. Ea planè in domo naſceris, in qua inuideas nulli; Eo Patre, ex quo Tibi inuideant vniuerſi: eumdem habes & vitæ authorem, & magiſtrum; eumdem lucis partæ, amplificandæque ducem, Quam auidè, conſtanterq; Religionem fortuna ſequatur; quid vtraque in homine vno poſſit, Tuus exemplo ſit Pater. Opulentiſſimã virtutum, ac meritorum hæreditatem Tibi ab Eo partã

inſpi-

Digitized by Google

inſpice, omnem excute; animi, corporis, dignitatis, quotquot in Patre dotes numerabis, ſi quidem comprehendere numero poſſis, eas omnes Patriæ Religionis dices, quà donum, quà præmium. Lętaberis, quamprimum paterna decora intelligenda, legendaque ætas porriget, in vnum ea congeſta, quæ ſingula plurimos beaſſent. Feſtinandum verò Tibi.

Vix enim vndennis Salmãticenſis laureæ honorem delibat Philoſophia sũma cũ ingenij laude propugnata. Mox iura Principum, Regumque complexus ſagaciſſima conſiliorũ vi confirmat, illuſtratque. In Regium ordinis Equitum conſilium maturè delatus, maturiùs in ſupremum prouehitur, vbi aliena quidem imperia, ſed ſua ſemper conſilia eſt exequutus, quæ non priùs ſucceſſus, quam Senatus ipſe, ac Princeps probaret. Grauiſſimis non interfuit ſolùm rebus, ſed etiam præfuit. Prima quidem hęc, & maiora in Hiſpania, ſed ingentia virtutis rudimenta, cui non vnius Regni, ſed imperij totius ſors fideret. Nec tempora defuere. Ecce tibi. Turbatur vndique neſcio quo Hiſpaniæ fato in Prouincijs fermè omnibus, hinc excuſſo Catalaunus iugo, inde Luſitanus Regna diſcer-

Digitized by Google

ſcerpſerant; hìc validę Batauorum copiæ, ibi Suecorum bacchabantur: vbique Gallus inſtabat. Italiæ, Germaniæ, Belgio, Hiſpanis ipſis penè viſceribus non modo ſigna, ſed etiam vulnera inferebantur. Vnicum erat peſtis coercendæ remedium fœdus Monaſterienſe, cuius tamen par diu deſideriū fuit, ac deſperatio. Legatur ergo cum ampliſſima poteſtate Parens Excellentiſſimus. Is tandem conſilij dexteritate, eloquentiæ, prudentiæque vi, ſingulari præſertim animi fortudine obſtātes reuellit obices; ac pacem fruſtrà iampridem emergere conatam reuocat in lucem, ac ſiſtit in vado. Sic Belgio, Germaniaq; pacatis contumaces bellantium alibi, ac rebellantium ſpiritus aliena pace fœliciſſime infregit. Indicis rebus præficitur reuerſus in Aulam, ne alter orbis careret eo beneficio, quo alter fruebatur, neue tanta virtus premeretur anguſtiis. Sed rursùs Auſtriacæ opes nutant Ferdinandi Cæſaris obitu. Rursùs igitur Hiſpanus Hercules in Germaniam, qui humeros ruinæ ſupponat. Quis non tanto oneri ſuccubuiſſet? perferenda denuò erant itineris longiſſimi tædia: toleranda iterùm ætati iam penè ſenio, continuiſque laboribus affectæ Germanici vis frigoris: potentiſſimę Principū

factio-

Digitized by Google

factiones ſuperandæ; eludenda multorum machinamenta: multorum inſanæ ſpes infringendæ; hæreſis potiſſimùm, cuius caput agebatur, ab lætis ſucceſſibus ferociſſimæ conatibus occurrendum. Inter hæc aberant longiſſimè, tum Germanicæ, tum Hiſpanę Aulæ ſubſidia; agebat inter alienos, ac liberos (quamuis cuncta ſibi ſubijcit virtus:) Auſtriacas partes Anglicorum armorum in Belgio, fœderatis Principum copijs in Italia Gallus vrgebat. Studia fermè omnium fortunæ ſeruientiū intepuerant. Quod tamen ſupra humanas vires videbatur, id infra Bracamontiam fuit, & virtutem, & fortunam: aggreſſus tam arduam rem fortitèr, perſequutus conſtanter, expediuit celerrimè, ſuaq; tum authoritate, tum induſtria orbis Romani ſceptrum Gentis Auſtriacæ, hoc eſt, veræ Religionis manibus, cuius ardentiſſimo ſtudio in ea maximè occaſione ferebatur, tantum nō ereptum reſtituit: firmauitque in Leopoldo, Magnū ſanè dare pacem orbi, dare Cæſarem. Sed alijs fortaſsè commune. Illud ſingulare, quod Maiorum contigit nemini, poſteri mirentur, vtrumque eo temporis, afflictiſque adeò rebus noſtris tam fœlicitèr præſtitiſſe. Profectò ſęuiſſimis iactatum tempeſtatibus naufragium for-

Digitized by Google

midaſſet, niſi verè ſacram religioſiſſimi Parentis tui anchoram Auſtriacum expediſſet imperium. Quanta hinc tãto Viro gloria? Sed quies nulla. Statim indè Italia, quam pridem fama impleuerat, cupidiſſimè ſuſcipit, Roma miratur, ornat Pontifex amicè paritèr, ac magnificè habitum. Neapolis obtinet, & complectitur tàm arctè, vt non modò elabi ſibi de manibus, ſed ne extorqueri quidem permittat. Fœliciſſimam ſe Neapolis prædicaret, niſi de diuturnitate fœlicitatis timeret. Fœliciſſimum Principem, cui non odium, ſed ciuium amor, non crudelitas, ſed humanitas, non praui, ſed rectiſſimi mores timorem cõciliant. Timet Neapolis ne regatur nõ ab tanto Principe, qui vel preſens ſui deſiderium facit ſimul, & copiã. Quid ni timeat amittere? quem non ideò amat, quia tenet, ſed tenet idcircò, quia vnicè amat, à quo viciſſim ſibi parem referri amoris gratiam experitur. Vota igitur Regnum ſuſceperat nuncupanda apud Regem, ne reuocaret eum Principem, quo abſente, Neapolis domi ſuæ exulare ſe videret. Occurrit iuſtiſſimis huiuſmodi votis Regis amantiſſimi, ſapientiſſimique benignitas paritèr, ac prudentia, nec tam ſumptibus, ac laboribus Parentis tui, quam Regni neceſſi-

Digitized by Google

ceſſitatibus proſpiciendum ratus, triennium alterum indulſit Ipſe per ſe, nec precibus, ſed habendæ gratiæ locum fecit. Et quidem habet immortalem; quòd diutiùs frui parente, potiùs, quam Prorege poſſit. Sentit gubernari ſe à Principe, quem à Priuato non aliud ſeiungit, quam beneficentia in plures latiſſimè diffuſa, cuius quam abſtinet ab alieno manus, tam non temperat à ſuo. Qui pauperes fouet, non facit: qui opes demum illas in ærarium ſanctiùs recondere ſe putat, quas in egentiſſimos erogat: quare prodigij loco nunc primum fortaſsè narratur, alieno ære cum careat magis, tum maximè obſtringi Proregem Neapolitanum, verèque multum alijs debere, cui omnes debere ſe plurimum fatentur. Ergo quæ tã multos ditauit Neapolis, eadem contentum quam minimo Principem, non modo non explet ſuo, ſed ne ab ære quidem alieno vindicat? Nouum hoc, tam opulentam prouinciam plùs Proregi ſuo acceptum referre, quam expensũ; omninò ſe decoxiſſe crederet, niſi ea tandem vera eſſet, ac ſumma Regnorum opulentia Princeps lucri neſcius, quamquam is copioſiſſimè lucratur, qui lucrum neſcit, cum mortalium, atque immortalium paritèr æternum

Digitized by Google

amorem lucretur. Neque verò hanc vnam liberalitatis, atque abſtinentiæ artem quæſtuoſam; ſed etiam clementiam quæſtuoſiſſimam illam quidem, ac propriam Principis optimi artem habet benevolentiæ colligendæ. Scit planè, quam infidelis recti magiſter ſit metus; quantò faciliùs, lentioribuſque vinculis animos manſuetudo, quàm atrocitas deuinciat, nimijs, frequentibuſque ſectionibus conuulſiones lethales coniungi; fœditate ſuppliciorum irritari multitudinem, non corrigi: æquè formidandum, vbi parum clementiæ, atque vbi plurimum licet ſeueritati, quam ille ſeueritatem ita temperat, ne qua ſpecie corrumpatur crudelitatis: Ita punit, vt non tam ſtragem ciuibus, ſed ſceleribas pœnam irroget; ita iraſcitur, vt venia reis parata reſipiſcentiam inuitet: ità demùm adminiſtrationis ſuæ curſum omnẽ moderatur, vt, quod maximorum fluminum eſt, minimo labatur ſono. Hinc fit, vt & leges, & legũ amor maneant, & quã pacem caſtris reddidit, fora nõ careant, neque cum laceratione extorqueantur in Principem obſequia, ſed integra offerantur. Quantum intereà, quàm diligenter præcauet, ne irrepant crimina, quam ſtudiosè artes omnes vitijs inimicas complexu,

ocu-

Digitized by Google

oculis, auribuſque fouet? quam faciles ad ipsũ aditus? quam pleni humanitatis, comitatiſque, qua non minuit, ſed auget venerationem? Nulli enim magis carent magnitudine, quam qui ſibi vindicant maieſtatem. Iam illa, odiſſe fucum, ac fallaciam omnem: obſtructas auaris, aut ambitioſis adulationibus aures habere: perſonatas calumnias; mellitas fraudes, quidquid denique mendacium olet, execrari, quantum, & ad candorem ſui, & ad noſtri animi ſecuritatem faciunt? Certant eius planè ſagacitas in huiuſmodi technis deprehendendis, & voluntas in inſequendis, ex quo illud oritur, vt cum deſit, cui vel malus dolus, vel adulatio inſuſurret, adulatores deſint, ac ſuſurrones. Non illã loquor aſſiduitatem in laboribus, induſtriam, operam alacritate mixtam, humeros illos, quibus tãtam tantarum rerum molem integris sẽper viribus id ætatis ſuſtentat; aſſueto enim Europæ, Indiæque oneribus grauiſſimis vnius Regni cura quietis loco eſſe poteſt. Omitto in Principem priuatis moribus efformandis aptiſſimam domeſticam diſciplinam, vitæque conſuetudinem non puram modo, atque integram, ſed etiam ornatiſſimam. Nihil apud eũ illecebrarum: nihil inconditæ voluptatis. Nihil

Digitized by Google

hil nõ ad decori leges temperatum. Studia omnia nõ effeminata, ſed quæ Principem deceãt, & probent. Nulla temporis, quod pretioſiſſimum habet patrimonium, diſpendia, adeò vt non negotij ſolùm, ſed otij etiam ratio conſtet. Quid igitur tot, ac tanta tum animi, tum fortunæ bona congeſſit? quid illud eſt, quo nititur tanta virtus, tanta Parentis tui tam recens apud omnium hominum ordines, nationeſque gratia, & celebritas? Vera nimirum, ac ſyncera Religio, quam ipſe ab incunabulis veriſſimo, ſyncériſſimoſque ſtudio eſt proſequutus; huic ille debet, quod hominibus, quod ſuperis debet: huic ipſum nos etiã debemus: hæc primam, hæc vltimam imponet tanto operi manum. Quantus in eo Dei Opt. Max. cultus, idéque quam caſtus, ac ſanctus, vt eum pura, incorruptaque mente, ac voce veneretur? quanta in precibus, & ſuis aſſiduitas, & alienis fiducia? quam frequens ſacrarum litterarũ attenta peruolutatio? quantus erga cęlites omnes, cælitũque Auguſtiſſimam præſertim Reginam amor? Quam ardens firmandæ, ornandæque Sedis Apoſtolicæ ſtudium? quam paratum in ſummum Pontificem obſequium? quam obuium, quam præſens in Religioſorum ordinibus iuuan-

Digitized by Google

uandis, fouendiſque omnibus, quæ ad pietatẽ pertinent præſidium, ac patrocinium? nempè cælites, quem addictiſſimum ſibi clientem, eũdem fideliſſimum habent Patronum. Societas certè noſtra, parẽtem ſemper teſtabitur indulgentiſſimum, vt reliqua omittã, Xauerianum, vbi hæc ſcribo, Collegium, Templumque quid aliud, quam paternæ religionis trophæum eſt? Nemo ſacrã molem hãc videt, quin inſculptã, expreſſamque inſpiciat pietatis Bracamontiæ imaginem, & gaudeo equidem, eam in præcipuo Vrbis loco aſſurgere ad Aulæ ipſius veſtibulum, vt in luce, atque oculis omnium tantũ Religionis exemplum collocetur. Indicis præfectus olim rebus illud tantum ex ea ſibi adhuc vindicat prẹfectura, vt Glorioſiſſimi Indiarum Apoſtoli honorem vbique amplificet.

Pauca hęc, Prẹclariſſime Princeps, & obſcurè adumbrata Paternæ Religionis lineamenta cum ipſe reſpicies, tantum dignitatis, ac fœlicitatis tam copioſo è fonte redundaſſe, non Te admiratio, ſed cupiditas inceſſet, quãprimum cernendę hẹreditatis, virtutiſque domeſticę ęmulandę; capeſſes illicò alacritèr verę Religionis, tum cuius ipſe volumen ſupplex offero patrocinium, tum cuius exemplum Parens

Digitized by Google

rens Excellentissimus affert, formam, ac spiritum. Ea verò Te tanto Patri, cuius iam nunc viuidum, experrectumque ingenium, vultu, oculis, gestu exprimis, parem dignitate, parem fortuna, prudentia, sapientiaque parem faciet, qui tum demum vberrimum Religionis suę fructum percipiet, cum Te Sibi simillimum, hoc est, quam religiosissimum Principem reliquerit superstitem. Vale.

A D

Digitized by Google

AD LECTOREM.

Scio, Lector, hominesque, librosque à magnitudine vulgò æstimari: à paruitate contemni. Illud tamen tu mihi parcito, quid consilio prodeam maior: obscuritati vitandæ, atque factiosis reuincendis datum multum.

Scribendi lex Christianis maximè constituta est pridem; qua ad quærendum, & pulsandum: mox ad reddendum fideliter inuenta, obligamur planè; ac post etiam iudicabimur. In pulsando quidem, orandoque certè defuerim: O ignoscat Deus! & si quid indè erroris irrepsit, corrigat vtinam per doctiores alios. In quærendo laboraui, credo: in reddendo, quæ vera visa sunt, scrupulus subest nullus: omni reflexione caui, ne partium affectione deciperer: in eo certè nihil me decipiendum timui, si doctrinæ Dei, atque Ecclesiæ aduersus alios quoscumque vehemens etiam defensor existerem, viros nactus, quos imitarer, præclarissimos.

Iam omnis ætas mala sua exaggerat, quo se reddat infœliciorem. Vulgi hæc est, atque imperitorum vel ignorantia, vel querela: dolent ætatem nostram multitudine velut obrui librorum, qui non tam noui edantur, quàm transcribantur. Cæterum sæculorum omnium, scientiarum omnium eam siue labem, siue conditionem fuisse, sanè doctiorum ignorat nemo. Hoc in Theologia videas; hoc in iurisprudentia; hoc quaqua versum: adeò non aliqui, sed plerique; non ætas nostra, sed omnis hoc laborat malo: rari in facultate quaque præstantes: pauci admodum desiderandi libri: haud multa illa ingenia, quæ moliri de suo aliud fermè valeant, quàm vel titulos, vel ornamenta: nec multitudo aliud plerumque fecit, quam scripsit. Sæculi tamen illa felicitas nostri, quod aliena saltem agnoscentium abundet multitudine; laus hæc scriptorum, quod honestissimo labore tanta otij mala vitent: fit deindè hoc scopo quisque planè doctior: quam vellem, si qui tàm facilè obloquuntur, experirentur, quanti sit libros edere.

Digitized by Google

Sed verò mea nunc mihi causa agenda est. Quorsum de vera Religione eadem libros, quo de tam multa scripta sunt, tamque præclara volumina? Haud equidem nego: est certè ea res confecta egregiè: demonstrata veritas nostra multoties; at legant fortè alij alios; legerit me etiam, cui prosim, fortè non nemo: illud scilicet vtilitatis earumdem etiam rerum siue tractatio, siue repetitio habet, quod saltem diffundantur multitudine, occuratque vbique facilè cuique veritas. Inest præterea quædam in nouos libros curiositas, ex qua fortè fiat, vt hunc examinet aliquis, cui veterum nulla cura.

Verùm non hic scopus noster; nec enim tam de vera Religione, quam de eius quærendæ forma tractamus; pridem enim perspicio magnam hac in re, quæ tamen tanti momenti est, confusionem, cum plura examinanda prætereuntur: multo tamen plura, quæ credi oporteret, ad longum examen vocantur. Ægrè quippè quis in animum inducat veram Religionem à Deo constitutam hominibus tàm necessariam: & intereà, si ritè quæratur, inuentu vel difficillimam, vel impossibilem. Deduxi hinc, eam non ritè queri pet tot illa, tantaque molimina controuersiarum, ac voluminum, quæ nisi à Doctissimis legi vix omnia queant: in liquidam verò sententiam deduci, concludique ab vllo vix mortalium: aliam proinde viam superesse breuiorem, expeditiorem, imposibilemque nemini. Illa porrò occurrit in Sanctis Patribus expressa satis; ergo putaui, me in salutem proximorum, cui tantoperè à professione mea obstringor, collaturũ aliquid, si viam illam instituto consilio proponerem, declararẽ, muniremque, vt excitarem saltem alios, qui id operis præstantius perfecturi sint. At verò veritatis quærendæ ostensa forma, & eam ad praxim deducere, & veritatem simul Catholicam secundum præscriptas leges demonstrare non tam consultũ, quam necessarium etiam visum est.

Sed enim, vt fatear ingenuè, hic, & vbique illud genus hominum timeo, qui ingenio fidunt plurimùm, ac Metaphysicã obloquuntur magis, quam norunt: nescio quæ cogitationum, vel fictionum inuolucra Metaphysicam vltrò vocant; ad eam normã cuncta exigunt, contemnuntque cætera. Haud sum planè tam humi-

Digitized by Google

humilis ego, qui Metaphysicam, vbi eam decet, effugiam. At hìc nihil, vel parùm cum Metaphysica. Præscripserat olim ipse ille Metaphysicissimus Aristoteles scientiarum naturas, locaque diuersa, quæ seruanda sint: edocuit Ethices principio, certum non similitèr in omnibus sermonibus quærendum; disciplinati rursùs esse, in tantum certitudinem quærere secundum vnumquodque genus, in quantum rei natura recipit: proximum enim videtur (*id est, par absurdum*) & Mathematicũ persuadentem acceptare, & ab Oratore demonstrationes exigere.

Horum indisciplinatorum inuenias quaqua versum magnam multitudinem, qui nihil non quærant, nihil non soluãt, vel etiam defendere sciant: morales probationes congruentias vocitant, & rident; si quid ex alijs scientijs proferas, nihil aiunt, repugnare contrarium vel de facto, vel de possibili; implicationem ostendi nullam, contradictoria nulla demonstrari: quasi verò tàm indisciplinatis, imperitisque hominibus valeret vllus repugnantiam vllam demonstrare, quam non facilè, vel inepta distinctione, vel disparitate in paritatem obtrusa, vel potentiæ absolutæ auxilio non sibi videantur soluisse: sed nihil mihi cum tàm omnipotentibus ingenijs: pro ipsa tractationis huius natura, probationibus vtor plerumque moralibus; si solutiones prudentes supererunt, effecerim planè nihil; sin minus, imprudentium ego ora obstruere neque possum, neq; nitor. Passionum quoque sectatores tãquam Ethices ineptos remouit Aristoteles. Maiori hinc eos iure plane arceas, cum res sit hæc, de qua tanta vbique factione certatur, & quæ tota ad eligendum, agendumque dirigitur. Tu Lector, qui tamquam dicti facti rationem redditurus uerum syncerè quæres, quod vtile occurret, in eum refer, cuius est totum, quod optimum, & vale.

Digitized by Google

IOANNES RHO

PRÆPOSITVS PROVINCIALIS

Societatis Iesu in Regno Neapolitano.

CVM librum, cui titulus est *Forma veræ Religionis quærendæ, & inueniendæ,* à Patre Michaele de Elizalde nostræ Societatis cõscriptum tres eiusdem Societatis Theologi, quibus id commissum fuit, recognouerint, ac in lucem edi posse probauerint. Potestate ab Adm.R.P. Io.Paulo Oliua Vic. Generali, ad id nobis tradita facultatem concedimus, vt typis mandetur, si ita ijs,ad quos pertinet,videbitur. In quorum fidem has litteras manu nostra subscriptas, & sigillo Societatis nostræ munitas dedimus. Neapoli 20. Mensis Septembris 1661.

7 DE 61

Ioannes Rhò.

IN

Digitized by Google

IN Congregatione habita coram Eminentiſſimo, & Reuerendiſſimo Domino Cardinali Philamarino Archiepiſcopo Neapolitano, ſub die 5. Aprilis 1661. fuit dictum, quod R. P. F. Ioannes Altamura Ordinis Prædicatorum reuideat, & infraſcriptis referat eidem Congregationi.

Paulus Garbinatus V. G. Can. D. Matth. Renzi S. T. D. & S. Offic. Conſ.

IVſſu Eminen. D. D. Archiepiſcopi S. R. E. Card. Philamarini opus deditum à P. Michaele de Elizade, quod ſic ſcribitur (*Forma veræ Religionis quærendæ, & inueniendæ*, liber vnus.) qua potui, perluſtraui diligentia, & voluptate, in eo nihil contra fidem, vel bonos mores offendi, atque approbatione dignum cenſeo, verum maximam adimi vtilitatem ſacræ Theologorum, & ſcholaſticę diſciplinæ amatoribus, niſi publicam lucem aſpiciat, cum ſit eruditiſſimi, & ingenioſiſſimi viri præclara, elucubratione elaboratum. Datum Neapoli in Regali Conuentu S. Dominici, die 20. Septembris 1661. *Fr. Ioannes de Altamura Magiſter Sacræ Theologiæ.*

De ordine Emin. & Reu. D. extra Congregationem fuit dictum, quod ſtante reuiſione retroſcripta Patris Reuiſoris, imprimatur. Neap. die 27. Septembris 1661.

Paulus Garbinatus V. G. Can. D. Matth. Renzi S. T. D. & Conſult. S. Off.

EXcellentiſſimo Señor. Deſeando el P. Miguel de Elizalde dela Compañia de Ieſus ymprimir vn libro, cuyo titulo, y argumẽto es, *Forma veræ Religionis quærendæ, & inueniendæ*. Suplica humilmente à V. E. ſea ſeruido de mandar, que ſea reuiſto, en que &c.

Reuer. P. Hieronymus Cataneus Societatis Ieſu videat, & in ſcriptis referat.

Galeota Reg. Muſcettola Reg. Vlloa Reg. Nauarra Reg.

Prouiſum per S. Excellentiam die 16. Ianuarij 1662.

Lombard. Scrib.

EXcellentiſſime Domine: Perlegi ex mandato Excellentiæ Veſtræ librum P. Michaelis de Elizalde Soc. Ieſu, cuius titulus, atque argumentum eſt *Forma veræ Religionis quærendæ, & inueniendæ*, in quo non modo nihil contra Regis authoritatẽ, fideiq; ſyncritatẽ deprehendi, ſed potiùs incredibilẽ doctrinæ copiam, quæ ad humanũ, diuinumq; Imperiũ ſtabiliendũ in Terris mirè conſpirat. Datum Neap. die 30. Ian. 1662. *Hieronymus Cattaneus Soc. Ieſu.*

Viſa ſupraſcripta relatione imprimatur: verum ante publicationem ſeruetur Regia Pragmatica.

Galeota Reg. Muſcettula Reg. Vlloa Reg. Nauarra Reg.

Prouiſum per S. Excell. Neap. die 28. Feb. 1662. *Lombardus Scr.*

INDEX

Digitized by Google

INDEX

QVAESTIONVM.

QVæſt. 1. Vtrum ſit in mundo vera aliqua Religio? pag. 1.

Quæſt. 2. Vtrum exiſtentiam veræ Religionis quidquam infirment, an magis ſtabiliant ſermones inſipientiũ, Deũ, & eius prouidentiam, ac Religionem negantium? p. 19.

Quæſt. 3. Vtrum mundus hic, & homo viſibile teſtimonium perhibeant de ſua temporali à Deo creatione, ac proindè de veræ Religionis exiſtentia? p. 36.

Quæſt. 4. Vtrum quicumque negat, Deum eſſe principium, & finem hominis, & conſequentèr quicumque negat dari veram religionem, cogatur fateri ſe eſſe ſtolidum, & amentem? p. 44.

Quæſt. 5. Vtrum inueniri poſſit vera religio? vbi de veritatis inueniendæ poſſibilitate in genere. p. 50.

Quæſt. 6. Vtrum ex dictis conſequatur, doctrinam veræ religionis non eſſe naturalis rationis, & diſcurſus, ſed ſuperiorem, ac diuinitus traditam, & credendam? p. 79.

Quæſt. 7. Vtrum idipſum ex ipſa etiam natura doctrinæ veræ religionis demonſtretur? p. 88.

Quæſt. 8. Vtrum aduerſus Gentiles, atque ſapientes ſæculi conſequatur veram religionem nec quæri debere, nec inueniri poſſe per examen rerum, & religionum? p. 108.

Quæſt. 9. Vtrum aduerſus Hæreticos, & Iudæos conſequatur eam nec quæri debere, nec inueniri poſſe per examen articulorum, nec ſcripturarum? p. 116.

Quæſt. 10. Vtrum nihil examinando, & per inſtinctum internum inueniatur vera religio? p. 130.

Quæſt. 11. Vtrum ergo forma omnis eam quærendi expreſſa ſit in illa Pauli clauſula. Scio cui credidi? & hinc denuò Mahometani oppugnentur? p. 142.

Quæſt. 12. Vtrum ergo conſequatur, ſcholas, congreſſus, & controuerſias omnes de cauſis religionis conſtare debere ratione conſequenti? p. 147.

Quæſt. 13. Vtrum illi, qui de vera religione diſputant, ſeruatis etiã ſcientiarum regulis, poſſint, & debeant euitare quæſtionem, & examen rerum, & dictorum? p. 154.

Quæſt. 14. Illationes, quibus multi abuſus, & errores in materia religio-

Digitized by Google

ligionis committi soliti notantur,& remouentur? p.161.
Quæst.15.Vtrum ergo priùs quærenda sit vera religio, quam veri, & legitimi illius libri, nec per hos illa, sed per illam hi dignoscendi veniant? p.174.
Quæst.16.Vtrum hinc facilè Catholici defendāt Vulgatæ latinæ authoritatem? Vbi quomodo in vera religione conseruari tuto queat doctrina Dei scripta,vel non scripta? p.181.
Quæst.17.Vtrum hinc apud Christianos pro legitimo Christianorū instituto agnoscendo,& à causis religionis remouenda veniat necessitas linguæ hebrææ,& græcæ? p.196.
Quæst.18.Vtrum institutus hic,& traditus modus consentiat mori & praxi SS.Patrum? p.209.
Quæst.19.Vtrum ergo manifestum esse debeat,& ex rebus in mundo moraliter euidentibus, quænam inter omnes sit vera, ac à Deo data religio? p.215.
Quæst.20.Vtrum ex dictis ritè innotescat natura, & definitio veræ religionis? p.234.
Quæst.21.Vtrum ex ipsa natura doctrinæ veræ religionis,& ex forma eam quærendi inferatur,solam inter omnes esse verā Christianam, & Catholicam? p.241.
Quæst.22.Vtrum cæteræ omnes religiones ducant demū in Atheismum, vel Epicureismum? p.251.
Quæst.23.Vtrum ex dictis perpetuitas veræ religionis, atque hinc rursùs Catholica veritas pateat? p.260.
Quæst.24.Vtrum eadem veritas manifestè probetur ex modo propagationis Christianæ religionis? p.274.
Quæst.25.Vtrum præcedens doctrina exceptionem habeat, an potiùs confirmationem in pertinacia Iudæorum? p.289.
Quæst.26.Vtrum antiquis,& à Christo, atque discipulis pridem factis miraculis veritas christiana concludatur? p.299.
Quæst.27.Vtrum similitèr inter Christianorum differentias catholicam veritatem cōuincant alia post sequuta miracula? p.319.
Quæst.28.Vtrum religio, & Ecclesia nostra sit nomine,& re catholica, & sic vera? p.334.
Quæst.29.Vtrum ex alijs etiam notis hæreseos præsentes sectæ deprehendantur, & conuincantur, & veritas catholica pateat? p.350.
Quæst.30.Vtrum etiam per charitatē liqueat eadem veritas? p.359
Quæst.31.Vtrum ergo ex his omnibus sit illa manifestissima? Vbi quomodo Ecclesia visibilis? p.365.
Quæst.32.Vtrum nemo nihilominus credere possit nisi volens? p.378.

Qu.

Digitized by Google

Quæſt.33. Vtrum Eccleſia ſit omnibus viſibilis, poſſintque omnes etiam indocti veram religionem agnoſcere? p. 397.
Quæſt.34. Vtrum non ſolùm poſſint, ſed etiam teneantur? p.409.
Quæſt.35. Vtrum ſufficiat Chriſtum noſſe, & in eum credere, & de reliquo quamcumque partem ſectari? p.428.
Quæſt.36. Vtrum ergo ſaltem per accidens, & per ignorantiam, vel vnus aliquis ſaluari queat extra veram religionem, & Eccleſiam? p.451.
Quæſt.37. Vtrum ergo aliquis inuincibiliter, & ſine culpa ignoret ueram religionem? p.475.
Quæſt.38. Vtrum Deus voluerit omnes homines ad agnitionem veritatis, & veræ religionis venire? p.482.
Quæſt.39. Recuſata. Vtrum ſit concordia prædicti amoris, & ſapiẽtiæ, ac potentiæ Dei cum permiſſione tot hæreſum, & errorũ? pag.486.
Quæſt.40. Admiſſa. Vtrum prædicta concordia ſit etiam à nobis intelligibilis, & propugnabilis? p.500.
Quæſt.41. Eiuſdẽ concordiæ maior explicatio, & concluſio. p.532.
Quæſt.42. Vtrum ex hactenus conſtitutis depromantur idonea fundamenta ad veram, facilem, expeditamque reſolutionem chriſtianæ fidei? p.546.
Quæſt.43. Vtrum & quomodo ex dictis ad praxim reducatur reſolutio fidei citra mutuam prioritatem, & circulum, quem Põtificium vocant ſectarij? p.566.

7 DE 61

QVAE

QVÆSTIO PRIMA:

Vtrum ſit in mundo vera aliqua religio.

1 PRIMO negat Atheus, hoc eſt, inſipiens; *dixit enim in corde ſuo*, & iam creſcente inſipientia in mundo, dicunt etiam ore multi, *non eſt Deus*. At ſi Deus non eſt, nec vera religio eſt: nam religio continet doctrinam de Deo, atque diuinis; quæ doctrina eſt de ſubiecto, vt dicunt, non ſupponente, ſi Deus non eſt. *Atheiſtæ negant.*

2 Negant & Epicurei; quippe hi negant diuinam prouidentiam: religio autem ordinatur ad cultum Dei, & ad ipſum exorandum etc. vtq; tandem ab ipſo conſequamur fœlicitatem: quæ omnia ceſſant ſi Deus prouidentiam non habet. *Item Epicurei.*

3 Ab his porro hominibus, id eſt, Atheis, & Epicureis multa excogitata ſunt tum contra omnem religionem in genere, tum maximè contra Chriſtianã, quæ locis ſuis producentur, & conterentur. Nunc autem illud omittendum non eſt, neque differendum, quo Luciano Duce Cardanus, Bocacius, alijque huius furfuris nimis gloriantur. *Difficilis ratio contra exiſtentiam veræ religionis ex eius inuenibili tate.*

4 Dicunt enim; ſi vera religio eſt in mundo, oportet illam eſſe ab hominibus inuenibilem, & diſcernibilẽ: vbi enim alioqui eſt Dei prouidentia? cui rurſus bono in terris eſt vera religio, ſi nemo illam poteſt dignoſcere? nec denique de illa non habita iudicari à Deo poterit homo, ſi ipſam diſcernere non potuit. Si ergo eſt in mundo vera religio, oportet illam eſſe ab hominibus diſcernibilem, & inuenibilem. Nulla autem eſt huiuſmodi in tanta tot religionum confuſione, ac multitudine: vnuſquiſq; putat, & dicit ſuam eſſe veram, profertq; ſua fundamenta qualia qualia: & vnuſquiſq; tenet hanc vel illam, quia in hac vel in illa natus eſt: omnes v. g. Hiſpani qui nunc catholici ſumus, ſi Conſtantinopoli

Digitized by Google

naſci contigiſſet, fortè fuiſſemus Mahumetani, & vice verſa & Lutherani, ſi nunc tẽporis nati eſſemus in Anglia. Ergo nemo hanc vel illam religionem tenet, quia hanc præ alia verã eſſe, dignouit, ſed prout ſors naſcẽdi tulerit, reliqua procedũt. Et quis (inquiunt) inter Chriſtianiſmum, Iudaiſmum, Mahometiſmumque diſcernat? ſunt enim tres hæ profeſſiones valde celebres, & vnaquæque cultoribus abundat, atque ipſarum conſideratis fundamentis tam ſimiles inueniuntur, atq; tres annuli aurei ſimillimi, vt garrit Bocacius, vel tria oua. Quis ergo diſcernat? Cum ergo omnes teneri non poſſint, vtpote pugnantes inter ſe & incompatibiles, conſultius eſt omnes relinquere, vt Athei, & Epicurei concludunt; vel quò quidam Philophaſtri propendent, viuat vnuſquiſque ſecundum rationem naturalem, reliquorum omiſſa cura, & in tuto erit.

Vrgetur præcedẽs ratio.

Quocirca vrgebunt denuò, nullam ſupereſſe viã ad veritatem inueniendam: duæ quippe occurrunt, & ambæ inſufficientes. Vel enim quis tenet hanc præ illa religionem ductus fide aliorum; vel proprio ſcrutinio, & experimento? Si fide & iudicio aliorum, illi patiuntur manifeſtam exceptionem: quia vnuſquiſque ducitur paſſione propriæ religionis, vel ſectæ, nec in cauſa propria ſunt idonei teſtes, nec merentur fidem: & deinde ſinguli clamant ſuam duntaxat religionem eſſe veram: nec eſt quare alijs præ alijs credat. Quod ſi his præ illis credendũ putas, quia tibi viſi ſunt magis probi, & ſapientes, neceſſe fuerat ſapientes ſingularum religionum prius audire, & in omnium mores inquirere, ac mundum fere totum peragrare: ad quod, & alia facienda, quæ mox ſubijcientur, nec uires ſufficiunt, neq; vita, neque pecunia: vbi omitto alia ponderanda infra. Si autem quis proprio examine, ac experimento iudicare volet, atque procedere, neceſſe erit ſingulas religiones, & ſectas, quæ ſunt in mundo, diligenter explorare, earumque cauſas, connexiones, & cohærentias cõprehendere, & omnia & omnes audire, vt in re tanta oportet: hoc autem nec ingenioſiſſimi peragere valẽt, vt patet, & oſtẽdetur magis infra: & alijs libri deſunt, alijs pecunia, alijs ſalus, & omnibus vita. Et quid tardiores faciant? Quid indocti! Stent, inquis, Doctorum

iudicio

Digitized by Google

indicio. Sed vbique & in omni secta sunt qui docti, & Doctores appellantur: quinam reipsa docti sint, & Veritatis conscij ipse ignoro, nec discernere possum, nisi & ipse doctus sim. Quid ergo faciam? An dumtaxat Doctores audiam meæ gentis, & Patriæ? Sed iam hoc pacto ad nascēdi sortem cuncta demum deuoluuntur. Et deinde quod est absurdum, nec falsarum religionum sectatores audire eos debebunt qui Veritatem ipsis annuntiant etc.

6 His tamen & alijs non obstantibus manifestum est, & ipsa meridiana luce clarius, dari in mundo veram religionem, nec negare id possunt nisi qui sceleribus suis obcæcati non vident.

Est tamen patentissimū dari veram religionem.

Omnium gentium consensus id probat.

7 ATque id in primis conuincitur hoc discursu. Sumo hoc principium ex scientia morali, ex 10. Ethic. *quod vniuersis videtur est verum:* licet enim sint, & alia vera particularia, illa nequeunt esse principia in scientia morali. Sed neget quis, esse verum, quod vniuersis videtur: at vt ibidem dicitur, *qui hanc fidem tollit, non valdè credibiliora adducet:* vel dent nobis Lucianus, aut Machiauellus aliud certius; & infallibilius signum veritatis. Rursus quandoquidem quod probandum non erat, ab ignorantissimis, & cæcis hominibus probare cogimur, verum, & bonum proportionaliter se habent; sed quod ab vniuersis appetitur, est bonum, & hoc est principium in morali disciplina; & negabo alioquin esse bonam fœlicitatem, & probitatem, & vitam, & ipsum esse, quod vniuersa appetunt. Ergo quod vniuersis videtur, est verum. Denuo, si quod vniuersis videtur, verum non est, nec forte verum est, esse bonum viuere, & sapere etc. fortè enim in hoc fallimur, nec fœlicitas esset expetenda, sed miseria; imo nec bonum ipsum, sed malum; nam forte malum est bonum, & bonum malum, & in cunctis fallimur omnes. Postremo; quia vt mox magis elucido, vniuersorum iudicium est naturæ iudicium; at naturæ iudicium est verum, nec

Digitized by Google

fallit,neq; fallitur,& veriſſimè Tullius ait ; de quo omnium natura conſentit, id verum eſſe neceſſe eſt, & Plinius ad Trai. ſingulos contingit , aut falli,aut fallere ; non autem omnes. Verum eſt ergo quod vniuerſis videtur .

At vniuerſis videtur , viſumque eſt ſemper,dari in 8
mundo veram aliquam religionem; quia vt Plutharcus & alij iam pridem ponderant, atque ex hiſtorijs omnibus palam liquet , multæ nationes , ac gentes inuentæ ſunt , quæ viuant ſine vrbibus, & ſine domibus,ſine Rege,ſine pecunia, ſine litterarum ſtudijs, & ſine illis fere omnibus , quæ apud homines habentur in pretio : *nuſquam tamen,* aiunt veriſſimè, *extare vrbem,aut oppidum, quibus nullus ſit Deus, nulla iuramenta, nullæ preces,nulla ſacrificia : talem vrbem à nemine vnquam viſam, priuſque conſpiciendam ſine ſole vrbem,quam ſine Deo, ac religione.* His poſtremis ſæculis nouus in mundo mundus inuentus eſt,& innumeræ in eo gentes barbariſſimæ, & ignorantiſſimæ: nulla tamen ſine religione , imo quæ in hoc ſolum videbantur à belluis differre . Vniuerſis ergo,totique humano generi uidetur , dari ueram aliquam religionem .

Quid ſi contra inſurrexerunt pauci quidam teſtes 9
iniqui,& mentita eſt iniquitas ſibi dicens nõ eſt Deus, neque religio ? Hi ſcilicet comparatione omnium gentium , & totiushumani generis nihil ſunt , nec pro aliquibus reputantur,ſibique mentiti ſunt; quia nulla natio ipſis credidit. Deinde numquam in morali diſciplina vniuerſi ſine exceptione ſumuntur ; nulla ſcilicet eſt fatuitas ſine Patrono, nulla ſine amatore fæditas ; nec tamẽ communi reliquorum iudicio quidquam obſtat, vel derogat hæc paucorum exceptio , vel phrænetis . Bona eſt proculdubio uita; & tamen interea fatui quidam ſe ſe laqueo ſuſpendunt : didicimus ſatis experimento noſtro eſſe dolores , quos tamen non dolores veros , ſed apprehenſiones noſtras eſſe quidam delyri voluerunt . Aliquid ſcitur , poſſumuſque de aliqua re eſſe certi : id tamen negabatur à Scepticis: impoſſibile eſt me ſimul nunc ſcribere,& nõ ſcribere : & hoc etiam negabatur à Parmenide. Quid plura memorem ? Adeo eſt impoſſibile aliquos non delyrare , & vniuerſis ſine

vlla

Digitized by Google

vlla prorſus aliquorum exceptione quidquam uideri: hoc interea ſine metu addiderim, in nullo magis generi humano conſenſum eſſe, quam in iudicando, dari aliquam ueram religionem, quam colere teneantur.

10 Iam hinc quicumque Veritatis inueniendæ cura tangitur, quærit ulterius huius communis cõſenſus vim & cauſas; & inuenit nullam aliam eſſe cauſam, quam naturam ipſam, naturæque Autorem ſapientiſſimum, à quo genus humanum inſtitutum, edoctumque fuit. Etenim quod cunctis, & ſemper ineſt, inditum eſt à natura, naturæque Autore; & ita quæ ſemper alicui ſpeciei inſunt, inter naturalia numerantur, nec aliunde nouimus ignem eſſe natura calidum, albam niuem, & graues lapides: ſic ergo homo naturaliter eſt vt ita dicam, religioſus, & religionem aliquam colit. Nec eſſe potuit, quod homo aliquis generi humano hanc de religione habenda doctrinam imprimeret; quia nil ipſa natura inferius tantam vim habere potuit, nec niſi cauſa uniuerſaliſſima adeo uniuerſaliter, & ubique agere, & inſtituere.

Perſuaſio religionis non eſt inuentio humana, ſed inſtitutio naturæ, & diuina.

11 VNde fabuloſus, ac futilis deprehenditur Critias, qui dixit, hoc de religione negotium ab ingenioſo aliquo fuiſſe inuentum, & introductum ad continendum homines in officio, eo quòd aduertiſſet humanas leges non eſſe ad id ſatis potentes. Patet ex dictis fabulæ vanitas. Prodat deinde quis ille adeo ingenioſus fuerit, vbi & quando floruerit? An iſtam vltroneam diuinationem, ac ſine fundamento poſitionem ipſi credunt, qui interea prudentiſsimi in eo uideri uolunt, vt credant nihil? Inueniet contrà Critias, fuiſſe religionem quandocumque fuerunt homines; nec fuiſſe homines aliquando, vel alicubi ſcimus, quin tunc, & ibidem fuerit religio: hæc ergo cum homine ipſo nata eſt in mundo, fuitque de illa habenda iudicium à natura ipſa, eiuſq;

Digitized by Google

eiuſque Autore impreſſum hominibus. Quid ſi quis ſimiliter cum Critia poneret, coruos à principio fuiſſe albos: pòſt vero perijſſe quadam contagione omnes præter maſculum, & fœminam, hoſque induſtria, & arte cuiuſdam ingenioſi verſos in nigros, indeque eſſe, quod corui deinceps naſcantur nigri? Quid ſi addatur ſimili arte fuiſſe adiunctos pedes quadrupedibus? Quid puerilius, & inanius? At ſicut ſemper, & vbique quadrupedes, & Leones, & canes pedes habuerunt, ſic & homo ſemper & vbique religionem habuit, vel habendam iudicauit: ergo naturale eſt hoc homini. Qua deinde via vel arte homo aliquis, quaue potentia inuentum ſuum diſſeminaſſet per totum orbem, tamque facile, & immobiliter radicaſſet? Rurſus vel ille inuentum probauit idoneis rationibus, ſcilicet dari ueram religionem? & ſic habetur intentum: vel nil probauit, ſed vltro, & ſine fundamento pronuntiauit, ac poſuit? Sed quid inſanius, quam ab vniuerſo genere humano ad contradicendum inclinatiſſimo, libertatiſque amantiſſimo admiſſam vltro fuiſſe poſitionē eiuſmodi, & qua nil grauius excogitari potuerat? Prophani iſti quotidie nobis afferunt doctrinas faciliores, ac magis iucundas, & ab onere habendæ religionis nos liberant; & tamen genus humanum alioqui corruptiſſimum ipſis reſiſtit; quod ſignum eſt potentioris vis & inſtitutionis: quid ergo ille alius grauem adeo doctrinam perſuaſiſſet, vbi ipſi nil proficiunt cum etiam adeo dulcia, iucundaque proferunt? Poſitio prærerea & fabula Critiæ ſibimet contradicit; ponit enim humanas leges etiam fundatiſſimas non ſufficere ad homines continendos, nec leges vnius gentis pro illa gente; vultque interea hominis vnius falſam poſitionem, & fabulam ſuffeciſſe, vel magis fuiſſe idoneam pro vniuerſo etiam genere humano. Concludamus itaque potentiſſima ueritatis, atque natura virtute, & vi factum procul dubio eſſe quod omnes gentes, & nationes, moribus interea, ac inclinationibus diuerſiſſimæ, & ſibi contrariæ, loco diſſitiſſimæ, nullaq; coniunctæ communicatione, & cōmercio, tam ſemper, tamque conformiter hoc in vno conuenerint, deq; religione aliqua habenda ſint perſuaſiſſimæ.

Natura itaque ſeu illius Autor Deus, vt naturas 12

reli-

Digitized by Google

reliquas proprietatibus ſuis donauit, ſic & hominem totius mundi naturam potiſsimam inſtruxit, donauitq; & quà natura quædam corporea eſt, & quà uiuens uegetabile eſt, & quà uiuens ſenſibile & animal quoddã, vt palam & manifeſtè cernitur. Non ergo quod potiſſimum erat, illius curã neglexit, quà intellectualis quædam, & præſtantiſsima natura eſt. Homo autem quà intellectualis, eſt diſcurſiuus: diſcurrere uero eſt unum ex alio colligere, atque deducere: ad hoc porro neceſſe eſt, vt prima aliqua quæ principia uocamus, ab aliquo præaccipiat, nec cuncta cogatur probare, & in infinitum procedere, vt ſtatim amplius commonſtramus. Sic ergo quia cuncta probare non poterat, accepit à natura hoc principium, ſcilicet uiuendum eſſe cum religione; atq; ipſius deinde diſcurſui, iudicio, & electioni, quia diſcurrere, & eligere poteſt, relictum fuit vt hanc vel illam religionem prudenter, & conſiderate eligeret: in quo cernitur naturæ inſtitutio mirabilis. Atque hinc oritur, quod cum integræ nationes, & regna multoties religiones mutauerint, & falſam pro falſa, & falſam pro vera, & veram etiam pro falſa reliquerint, nulla tamen natio hactenus crediderit, vel profeſſa ſit ſine religione eſſe uiuendum; quia hoc eſt principium ab ipſa natura impreſſum, cuius vi atque potentia in ea perſuaſione continentur. Quid enim alioqui cum Mahometes, & Lutherus, & innumerabiles alij ad ſuas ſectas integra regna pertranxerint, non tantundem obtinuerit Machiauellus? cum tamen ipſius religio, ſcilicet nulla religio ſit omnium placidiſsima.

De nullo magis alio, quam de veræ religionis exiſtentia à natura inſtituti ſumus.

13 SEd his ſciolis, & cæcis hominibus omnem tergiuerſandi locum adimamus. Certum eſt, atque euidẽs, nos à natura accepiſſe prima quædam principia, quæ probanda non ſint, ſed admittenda vltro: quæ appellamus lumine naturæ nota, & communes conceptiones, & com-

Digitized by Google

& communia ſenſa,& inditas ſententias. Si namque nihil eſt eiuſmodi,& cuncta ſunt probanda, in infinitum proceditur, nec concluditur,& probatur quidquam: quodcumque enim dicas,probare debebis,& mox ipsã probationem, & mox probationis probationem, & ſic ſine fine: vnde nil affirmari poterit, nil ſtatui, nil proponi,nil diſputari; quandoquidem nil concludi poteſt nec finiri. Ergo citra dementiam negari nequit aſſumptum principium, quod ſcilicet ſint aliqua prima prinpia ſine probatione admittenda, & veriſsima quorum cognitionem, & intelligentiam accepimus à natura ipſa, quæ nec fallit, neque fallitur. Sic notiſſimum, & veriſſimum eſſe admittẽt, Lucianum, & Machiauellum non eſſe condemnandos inauditos, & nullius criminis reos: nec ipſos dum contra Dei prouidentiam ſcripſerunt,pro illa ſcripſiſſe: quæ ſi probare cogerẽtur,quid miſeri facerent? Vt ſcilicet cauſæ naturales nil agunt, niſi ex aliquo, & ex nihilo nil producunt, neceſſeq; eſt ante omnem cauſarum ſecundarum operationẽ præexiſtere aliquid,& eſſe aliquid,vt dicunt, præiacens,ex quo & circa quod moueri incipiant, & agere: ſic prorſus creatus intellectus niſi aliquid à natura,vel eius Autore præacceperit,& præintellexerit, ad nil intelligendum,& iudicandum poteſt ſe mouere, neque ſe extrahere,vt aiunt, à pura potentia iudicandi, & diſcurrendi: eſtque veriſſimum quod Cyrillus Alex.l.1. contra Iul.velut axioma ponit, *doctus alius ab alio*,homo ſcilicet ab homine,& alius ab alio, & primus à natura vel Deo: quod cum Metaphyſicis diſſerebam, alijs etiam medijs perſuaſi. Negari ergo nequit eſſe in nobis aliqua naturæ cõmunia iudicia ueriſſima, certiſsima, nec probanda,ſed vltro admittenda: quæ omnia ſcioli iſti vtpote ſcientiarum omnium expertes, animaduertere non potuerunt.

Iam ſi aliqua ſunt huiuſmodi, illa ſunt proculdubio in quibus gentes omnes conueniunt, & natura tota conſentit: illa enim ſunt à natura, quæ vel ſemper, vel vt in plurimum eueniunt, vt ſenes caneſcere,lapidem deorſum ferri, licet aliquando lapis ſurſum etiam moueatur,vel per vim,& uiolentiam, vel ad replendum uacuum. At nihil eſt in quo natura humana intelle- 14

ctualis

Digitized by Google

tualis magis consenserit, quam in iudicando, dari verã religionem, nec fas esse sine religione uiuere; hoc quippe nulla natio, aut negauit, aut ignorauit, nec ex illis quidem quæ ob suam barbariem omnia scientiarum prima principia ignorant, vel etiam negant; alij enim vt Germani, teste Iul. Cesare, probant furta, alij mendacia, & vix quidquam est quod à natione aliqua non sit negatum, & à multis ignoratum, hoc excepto, scilicet dari ueram religionem. Hoc ergo est primum principium, à natura inditum, vbique sparsum, & radicatum, & quod sine probatione parerat naturæ credere. Et certe si de aliquo nos natura instituere debuerat, nil erat adeò necessarium, & omnibus doctis, & indoctis, pueris, & adultis, rudibus, ac ingeniosis expediens: cum ergo omnes inueniamus de eo institutos, palam conijcitur hanc esse institutionem, & doctrinam naturalem. Nec obstat, quod pauci quidam ignorantes, & superbi per vim & violentiam naturæ resistãt; cum vel lapides, & saxa sursum per uiolentiam iaciantur. Ex quibus liquet deceptos fuisse Platonem, & Aristotelem per extrema contraria: Aristoteles dixit intellectum esse tamquam tabulam rasam, in qua nil est scriptum: Plato dixit, omnia esse scripta, & nos solum recordari eorum quæ præerant. Vterque fallitur, & neutrum naturæ humanæ congruit; atque in medio est Veritas. Sicut Pelagius dixit totum bonum nos agere; Lutherus dixit, nihil nos agere, & neutrum est uerum, neutrum humanæ naturæ congruens, & ueritas erat in medio.

15 At dicent, nos falso hanc gentium omnium consensionem suppositisse, & ex quo Machiauellus prodit, plenum esse mundum totum vel Atheis, vel Epicureis, quibus nulla cura est religionis: hocque vel ex eo constare quod tot insignes uiri in eum scripserint, conqueastique de Atheismo illius scriptis introducto, atque sparso. Cæterum ut fatear ingenue, homo ille despiciẽdus magis fuerat, quàm tantoperè oppugnandus: dicit enim & dicit, sed probat nihil, utpote omnium scientiarũ ignarus, & post libros eius de Principe, ac Discursuum perlectos, nil haurio quod dignam disputandi materiam præstet; ipsumque satis conuincunt acta, & exitus Ducis Valentini: illa necnon institutio nouæ

Machiauellus ridiculus.

Digitized by Google

militiæ, quæ robur totum haberet & Hiſpanorum peditum, & Gallorum equitum, quam Etruriæ Ducibus perſuadet pro barbaris, vt ſimpliciſſimus ipſe loquitur, ex Italia eijciendis: vult enim ſine Hiſpanis,& Gallis totius Hiſpaniæ,& Galliæ virtutem habere. O ridiculum! lego prophanos alios, & inuenio aliquid: at in iſto nil præter ſimplicia pronuntiata, cui,credo, magis grande nomen fecerunt impugnatores, quam propria, vel ſcripta,vel ſcelera. Nec vt opinor, ille quidquam profecit in mundo, aut vlli Atheiſmum perſuaſit: ſed ante ipſum,& ſemper ſunt in mundo multi,qui religionem quidem putant habendam, ſeruandam fidē, damnandam tyrānidem; interea tamen viuunt,quaſi nil iudicarent huiuſmodi: nec minus fraudis, mendacij,tyrannidiſque ante Machiauellum fuerat in mūdo,quam deinceps, ipſeque ex priorum ſolum ſceleribus, & exēplis probat poſitiones ſuas. Nunc quando luxuria v.g. apud omnes ualet, & regnat,ſcriberet aliquis illam vel approbando,vel perſuadendo: eſſent certe innumeri vitij magis ipſius,quam ſcriptoris ſectatores, & diſcipuli; nec ideo iudicandum eſſet,ab illo quidquam perſuaſum,aut introductum. Tantumdem ergo Machiauello accidit: habent,habueruntque ſemper ſectatores multos vitia ab ipſo laudata,nullum ipſe. Conſtat interea, valetque aſſumptio noſtra,nullam uidelicet nationem,vel gentem eſſe,nec fuiſſe quæ ſine religione uiuēdum iudicaret,& ita nunc etiam iudicant & Hiſpani,& Galli, & Itali,& reliqui, apud quos præcipuè huius hominis ſcripta vulgantur, nec vllus iſtam à natura acceptam, & inſitam perſuaſionem vel vno ſolum in regno conuellere ualuit.

Quid in mũdo ille profecerit.

Quam naturæ inſtitutionem altè contemplans diuiniſſimè perorat Tertullianus lib. de teſtimonio animæ,ex quo eadem Cyprianus quam breuiſſimè mutuatur lib. de idolorum vanit. *Nouum teſtimonium*, inquit, *aduoco: imo omni litteratura notius, omni doctrina agitatius,omni editione vulgatius, toto homine maius,id eſt,totũ quod eſt hominis. Conſiſte in medio anima, ſiue diuina, & æterna res es ſecundum plures Philoſophos, eò magis non mentiens: ſeu minime diuina, quoniam quidem mortalis,vt Epicuro ſoli videtur, eò minus mentiri debebis; ſeu de cælo* 16

exci-

Digitized by Google

exciperis, seu de terra conciperis, seu numeris, seu athomis concinnaris, seu cum corpore inciperis, seu post corpus induceris, vnde vnde & quoquo modo hominem facis animal rationale, sensus, & scientiæ capacissimum. Sed non eam te aduoco, quæ scholis formata, bibliothecis exercitata, & academijs, & porticibus Atticis partam sapientiam ructas. Te simplicem, & rudem, & indoctam, & idioticam compello, qualem habent, qui te solam habent, illam ipsam de compito; de triuio, de textrino totam. Imperitia tua mihi opus est, quoniam aliquantulæ peritiæ tuæ nemo credit. Dic testimonium palam: nam te quoque domi, & foris palam audimus: quod Deus dederit, si Deus voluerit. De natura quoque Dei quem prædicamus, non te latet; Deus bonus est, Deus benè facit, tua vox est, & prosequitur alias naturales omnium voces; benedicat te Deus; Deus videt omnia; Deus reddet; Deo cõmendo; Deus inter nos iudicabit: quo etiam pertinet, quod in periculis ante omnem deliberationẽ manus in cœlum attollimus, auxilium inuocamus etc. quæ omnia sunt exercitia religionis, cultusq; Dei.

17 *Hæc testimonia animæ* (prosequitur) *quantò verâ, tantò simplicia; quantò simplicia, tantò vulgaria: quanto vulgaria, tanto communia; quantò communia tantò naturalia: quantò naturalia, taatò diuina. Magistra natura, anima discipula; quidquid aut illa docuit, aut ista perdidicit, à Deo traditum est, magistro scilicet ipsius magistræ. Sed qui eiusmodi eruptiones animæ non putabit doctrinam esse naturæ, & congenitæ, & ingenitæ conscientiæ tacita commissa, dicet potius illam natam de ventilatis in vulgus opinionibus publicatarum litterarum, & quasi vitium corroboratum taliter sermocinandi. At prior anima, quam littera, & prior sermo quam liber, & prior sensus quam stylus, et prior homo ipse quam Philosophus, vel Poeta. Nunquid ergo credendum est, ante litteraturam, & diuulgationem eius mutos absque huiusmodi pronuntiationibus homines vixisse! Nemo Deum, nemo mortem, nemo inferos loquebatur? nec erant, quæ tam facilia, tam assidua, tam proxima hodie sunt, in ipsis quodammodo labijs parta! Et vnde ordo ipse litteris contigit, & nosse, & in vsum loquelæ disseminare, quæ nulla vnquam mens conceperat, aut lingua protulerat, aut auris exceperat? Si de tuis litteris dubitas, neque Deus, neque natura mentitur: vt & Deo & naturæ credas, crede animæ*

Digitized by Google

ita fiet vt & tibi credas. Meritò igitur omnis anima rea, & testis est, & in tantum rea erroris, in quantum testis veritatis, & stabit ante aulas Dei in die iudicij nihil habens dicere. Hactenus efficacissimè Tertullianus, quibus siquid ad concludendum deerit, ex dictis facile discursus roboratur, & euasionibus occurritur: illa porro consulto omisimus, & interrupimus, quæ pro veritate Christiana applicat.

Concludamus ergo: iudicium & testimonium 18
omnium nationum, & gentium est iudicium, & testimonium naturæ, quod satis probauimus, vel alioquin nullum est iudicium, & testimonium naturale, quod est euidenter falsum: at iudicium & testimonium naturæ est uerum, nec fallit, nec fallitur; vel fallunt alioquin omnia principia scientiarum: ergo iudicium, & testimonium omnium nationum, & gentium est uerum, nec fallit, neque fallitur. At omnium nationum, & gentium iudicium, & testimonium est, dari in mundo veram aliquam religionem; quod est euidēs, & quodamodo palpabile ex omnibus historijs, & ex omnibus peregrinationibus, & nauigationibus, peragrantibusque totum mundum. Verum est ergo dari in mundo veram aliquā religionem, nec in hoc fallimur, aut fallimus, sed fallūtur, vel fallunt insani, & cæci, qui contra loquuntur.

Veram religionem ipsa religionis necessitas demonstrat.

Secundo loco ostenditur idem sic. Secundum natu- 19
ram, & secundum rationem est, quod homines in societate uiuant, & ciuitates, & regna vel respublicas constituant; & idcirco in politicis homo definitur *animal sociabile*: idcirco homo sermone, & loquela donatus est, ipsaque locutio actus socialis dici solet, neque hactenus quidquam obstrepunt prophani. At autem homines in societate viuere non possunt sine religione: scilicet ipsi isti prophani palam contestantur, & priorum etiam exemplis probant, nullius regni vel reipublicæ salutem in tuto esse sine cultu religionis, quam proinde omnium maxime affectare debent Principes.

Machiauel. de Rep. l. 1. c. 12.

Necessi-

Digitized by Google

Neceſsitas porro religionis naſcitur ex inſufficientia humanarum legum; quibus proinde addenda eſt diuina lex, qua robur, & conſtantiam, durationemque habeat. Vt ſcilicet S. Thomas 1.2. q.91. art. 4. egregiè diſſerit, propter incertitudinem humani iudicij præcipuè de rebus contingentibus contingit de actibus humanis diuerſorum eſſe diuerſa iudicia; ex quibus etiam diuerſæ, & contrariæ leges procedunt: vt ergo homo abſque omni dubitatione ſciat quid ſit ei agendum, & quid vitandum, neceſſarium fuit vt dirigeretur per legem diuinitùs datam, de qua conſtat, quod non poteſt errare. Rurſus quia de ijs homo poteſt legem dare, de quibus poteſt iudicare: homo autem iudicare nequit de interioribus actibus, qui latent, ſed ſolùm de exterioribus, qui apparent: ad perfectionem verò virtutis, & hominis requiritur, quod homo in vtriſque actibus rectus exiſtat, nec exterior rectitudo eſſe poteſt durabilis, & diuturna, conſtanſque ſine interna rectitudine; & etiam; quia humanæ leges ad ea etiam externa non ſufficiunt, quæ clam, & ſine teſtibus fiunt. Nec item quidquam valet, aut ſufficit ſola conſcientia, & ratio naturalis ſine Deo, & diuina lege; quia ſolum habet vim directiuam, & minimè coerciuam, eſtque expers præmiorum, & pœnarum: ac proinde facile contemnitur, ſi nil vlterius timendum eſt, vel ſperandum præter teſtimonium conſcientiæ, quidquid dicant Stoici: remorſus quippe conſcientiæ dolet, quia aliquid vlterius timetur. Vt ergo homines, & regna ſatis conſiſtant, neceſſaria eſt lex diuina, & religio.

At dicunt ſufficere religionē affectatam, & fictam: veram autem neque requiri, neque dari, ſed hac potius ſpecie, & larua religionis hominibus illudi. Verùm hæ ignorantium poſitiones, & ſecum pugnant, & ſeſe deſtruunt, videlicet quod religio ſit hominibus neceſſaria, & quod religio ſit quid fictum, & falſum. Etenim falſum, & errores ſunt hominis, qua hominis proprijſſima mala & vitia; ipſi namq; repugnant, & nocent in quantum intellectualis & homo eſt; ergo hominum qua hominum ſalus, & fœlicitas, ciuiliſque vita per ſe non fundatur in falſo, & errore potius, quam ſalus corporalis in ægritudine. Contingit quidem multoties per ægri-

Religio affectata, & ficta nequit eſſe Regnis neceſſaria, atque hominibus.

tudinem

Digitized by Google

tudinem non graue impediri lethalem morbum, tunc-
que homo ab ægritudine quodammodo ſanitate gau-
det, ac viuit: hoc autem non eſt per ſe, & ſecundum na-
turam: ſic multoties regna falſis religionibus conſiſtũt,
& durant; id porrò ſecundum naturam eſſe nequit: Vt-
que eodem exemplo rem explicemus, ægritudo illa le-
uis haud conſeruat hominis ſanitatem, & vitam, ſed
impedit grauiorem aliam, eſtque interea in ipſo homi-
ne virtus naturalis ſanitatis reparatrix, & ſi ne qua ægri-
tudo illa leuis nil prodeſſet, & periret homo: ſic apud
eos, qui falſis religionibus viuunt, & conſeruantur, eſt
& ipſa determinata falſa religio, & eſt ſimul aliud veriſ-
ſimum naturale dictamen, a quo potius falſa religio
robur totum accipit, atque reſpublica vel regnum ſani-
tatem, conſeruationemque, videlicet eſſe viuendum cũ
religione: quod ſi abeſſet, nec ipſæ falſæ religiones, neq;
regna conſiſterent, nec perdurarent.

Quæ vt euidentiora fiant, nequit aliqua Reſpubli- 21
ca, vel Regnum per hoc eſſe fœlix, vel fœlicius, quod
erret; & per hoc eſſe miſerum quod ſapiat: quod vide-
tur in dubium reuocari à nemine poſſe, qui non laboret
cerebro. Sed ecce, ex poſitionibus ueſtris oppoſitum
ſequitur: nam quæuis Reſpublica hoc habito errore,
quod cum religione eſt viuendum, habet conſeruatio-
nis, fœlicitatiſque ſuæ potiſſimum fundamentum; perit
autem, nec durat, ſi ſapiat, verumque deprehendat, ſci-
licet religionem eſſe meram fictionem, & fabulam.
Rurſus: nulla natura eo indiget, quod eſt ſibi contra-
rium, & repugnans: & ita nec ignis indiget frigore, nec
aqua calore, nec nix nigredine, nec homo ægritudine:
ſed falſum eſt contrarium, & repugnans naturæ huma-
næ: quia hæc eſt intellectiua, & intellectus eſt ad verũ,
ſicut voluntas ad bonum: ergo natura humana nullo
falſo, nulloque errore indiget: at indiget per vos ſocie-
tate, ac ciuili vita; ad hanc autem perſuaſione religio-
nis: perſuaſio ergo de exiſtentia religionis haud falſa
eſt. Ac denique, quia nil eſt alicui naturæ neceſſarium,
cuius oppoſitum maximè appetit; nam natura quæuis
appetit ſibi bona, & conuenientia: at homo maximè
appetit ſcire verum, & quid veritatis ſit in vnaquaque
re, vt eſt notiſſimum: ſi ergo homini neceſſaria eſt per-

ſuaſio

Digitized by Google

ſuaſio de exiſtentiâ religionis, perſuaſio iſta vana, & falſa non eſt, ſed veriſſima: pugnant ergo ſecum & cum ratione prophani politici. Sicut ergo natura vel Deus, vel quæcumque cauſa hominem fecit animal ſociabile, ſermonem & loquelam illi prouidit, licet aliqui per accidens naſcãtur muti, & alij ſermone abutantur mẽtiendo; ſic quia vt in ſocietate viueret, neceſſaria erat religio, de illa ſimiliter prouidit, licet aliqui ſine illa viuant, alij autẽ falſis pro vera abutantur. At ſicut nulla natio muta naſcitur, nulla ſine religione putauit viuẽdũ.

Veram religionem probat etiam adiutorij diuini neceſsitas.

22 TErtiò demũ probatur. Quod nulla hactenùs ſchola, nec ipſa quidem Epicurea negauit, non eſt repugnans, ſed poſſibile homines eſſe probos, & bonos: diſſe tiebant ſane ſcholæ gentium de materia virtutis, & in quonam virtus, & probitas, fœlicitaſque conſiſterent, & quamuis Epicurus voluptatem, atque corporales delitias ſatis inſipide prætuliſſet bonis animi, volebat interea ſeruari medium, ac vitæ, valetudiniſque rationem haberi, nec eos defendebat, qui ſeſe libidini mancipant ſine modo, & ſine medio, redduntque ſe ad omnia inhabiles, atq; miſerrimos. Et quis ita ineptiat, vt neget extrema fugienda, medium ſeruãdum, voceſq; illas naturæ, peccari ſcilicet per quid nimis, & per quid minus? Ratio præterea in homine eſt vere ratio, & nõ dementia: hæc autem clamat non omnia quomodolibet licere, atque bonam eſſe probitatem: quod ſi illi acquieſcere eſſet impoſſibile, ratio non ratio ſed dementia eſſet, & illi potius eſſent cordati, quos amentes vocamus, quique nil non putant ſibi licere. Eſt rurſus ratio in homine regula agendorum: quod ſi nihil eſt regulandum, neque regulabile, eſſet illa digna riſu, & perinde atque homo aliquis, qui in vrbe in qua nil eſt vnquam regulandum, geſtaret ſemper in manu regulã ad regulandum, & metiendum; & vbi non licet vſus calceorum, portaret quotidie calceos ad vendendum.

Ratio

Digitized by Google

Ratio deinde perſuadet, quæ ipſi conſonant: damnat, quæ diſſonant: ſi autem ipſi conſentiendum non eſt, perinde illa eſſet atque ſi quis occuparetur in perſuadendo truncis, & arboribus: non ergo ratio eſſet, ſed phrænesis. Atque demum nec prophani negabunt, eſſe in aliquibus prudentiam, ſaltem in ipſis, & alios eſſe prudentiores, alios minus: hæc autem maioritas, vel minoritas reſpicit, & dicitur reſpectiue ad regulam, & ad medium quod præſcriptum eſt hominibus, & ad quod conari debent, vt euadant probi, & boni. Hincque alios meritò laudamus, alios autem vituperamus. Et quid abſurdius, quam hominem neceſſario eſſe vitioſum, & improbum, & irregulabilem, & conſequẽter ridiculum, cum vel equos non repugnet eſſe bonos equos, & ſic de cæteris. Non ergo repugnat, ſed eſt poſſibile homines eſſe probos, & bonos homines.

At prorſus eſt repugnans, hominem fieri probũ, 23
& bonum, in quacumq; demum materia probitas conſiſtat, ſine adiutorio, auxilioque Dei, qui ipſius rationem, & voluntatem fortificet: quidquid enim multi ex ſcholis etiam Chriſtianorum repugnaturi ſint, mihi viſum eſt ſemper ratione etiam naturali ſaltem de facto oſtendi palam, & S. Pauli argumento conuinci neceſſitatem, indigentiamque adiutorij diuini; nam vnuſquiſque noſtrum patẽter experitur, nec negare poteſt eam appetitus, rationiſque pugnam, & rationis imbecillitatem, præualentiamque carnis, quam ille ad Romanos tunc temporis omnium doctiſſimos non erubuit proponere, indeque indigentiam illam concludere: *Non enim* (ait) *quod volo bonum, hoc facio, ſed quod nolo malum, hoc ago* &c. *Inuenio igitur legem volenti mihi bonum facere, quoniam mihi malum adiacet; condelector enim legi Dei ſecundum interiorem hominem: video autem aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, & captiuitatem me etc. Infelix ergo homo quis me liberabit de corpore mortis huius? Gratia Dei per Ieſum Chriſtum.* Hanc pugnam, hanc rationis imbecillitatem nemo non experitur; indeque eſt quod adeo pauci ſecundum rationem viuant, licet ſecundũ rationẽ viuere nemini eam habenti non videatur perpulchrum: inde etiam Chriſtiani ſapientes hominem vulneratum dicunt in naturalibus

Digitized by Google

ralibus, voluntatisque vim esse extenuatam, & veteres etiam gentium Philosophi cõquesti sunt de hac, quam experiebantur, naturæ inordinatione.

24 Ex quo sic: in pugna imbecillis, & debilis cum forti, vel minus fortis cum fortiori vincere non potest saltem plerumque quod est debile, vel minus forte nisi ab alio adiuuetur: at in prædicta pugna ratio est debilis, vel minus fortis, & appetitus fortior: ratio ergo Saltem plerumque vincere non potest nisi ab alio adiuuetur: at nisi ratio plerumque saltem vincat, homo bonus & probus non est, cum probum esse sit secundum rationem viuere: ergo homo nequit esse probus, & bonus, nisi eius ratio, & ipse ab alio adiuuetur. Atqui solus Deus bonus, & omnipotens rationi atque uoluntati valet uires, & robur præstare: quis enim alius id semper & vbique præstare queat? vt omittam aliquando vel alicubi posse: quod tamen falsum esse aliàs demonstratur. Rite ergo conclusit Apostolus, quis me liberabit à corpore mortis huius? id est, à viribus, & præualentia, & velut tyrannide carnis, & appetitus? Gratia & adiutorium Dei per Iesum Christum. Licet namque ratione naturali haud constet, hoc adiutorium esse gratiam per Iesum Christum, at habetur ratione naturali nos bonos esse, & fieri non posse sine Dei adiutorio: & quoniam de facto illud per Iesum Christum donatur, intulit determinatè, ac nominauit gratiam Dei per Iesum Christum: Nobis porrò ad scopum nostrum satis est, quod adiutorio Dei indigeamus: ex hoc enim manifestè habetur existentia veræ religionis: quia hoc ipso Deus colendus est, & orandus, & timendus, ipsique accepta tribuenda probitas, & honestas, à quo omne bonum, & donum perfectum. Valet autem discursus, & quodammodò vrgentius in schola, vel stabulo potius Epicuri; nam si probitas, & fœlicitas in voluptate, corporeisque delitijs sitæ sunt, in illis est ratio infirmior, potentiorque caro; ideoque minus poterit medium, & modum seruare, nec excedere, nisi ab alio adiuuetur. An vero adiutorium istud, cuius indigentia ratione naturali de facto saltem constat, sit ordinis, vt uocant, supernaturalis, vel naturalis, quæstio est scholasticorum, quæ nil refert ad præsens: vtrouis enim concesso habe-

Digitized by Google

tur exiſtentia veræ religionis, eaque quæſtio à nobis alio in opere decidetur ex fontibus potius Saluatoris, quam ex ciſterna Ariſtotelis, atq; Gentilium.

Aderant autem aliæ etiam rationes permultæ pro argumento noſtro, quas prætermitto ne ſim prolixior. Illud non prorſus ſubticebo, quod licet prophani iſti, quibuſcum agimus, viſibilibus hiſce immerſi, & cæci nil altum ſapiant, ac aduertant, quicumque tamen hominis conditionem, & rerum ſeriem, modum, & euentus mediocriter contemplatus eſt, palam conijcit, hominibus tam eſſe neceſſariam, imò magis diuinam prouidẽtiam, quodque à Deo dirigantur; atque pueris ſunt neceſſarij tutores, & curatores, & diſcipulis magiſtri, & nauigantibus naucleri: homo enim ignorat, quæ futura ſunt, & ex infinitis contingentibus, quæ craſtina die euenire queunt, nil prorſus videt. Iam autẽ, quod prophani faciunt, fortunæ regimen malle quam omnipotentis, & omniſcij Dei, eſt per ſe fatis ineptum: eſt aniles, & decrepitas, hiſque ſæculis indignas fabulas ſuſcitare: eſt homines in deſperationem cõijcere; nam fortuna illa, ſi Dei prouidentia non eſt, nequit eſſe Numen aut aliquid exorabile, vt iam uel pueri chriſtianis temporibus demonſtrant: meritò autem deſperamus de rebus quarum conſecutio potiſſimum pendet ab aliquo cæco, & inexorabili: eſt demum homines otio tradere, vbi nec diligẽtia multum confert, nec preces, nec meritum quidquam. Remedia porro illa, quibus fortunæ obſiſtendum ſimplex ille, ridiculuſque docet, fortunam ſcilicet eſſe fœminam, ac proinde fuſte eſſe excipiendam, & terrendam, violentiaque vtendum, illamq; velut fœminam iuuenes magis amare, quam ſenes, ſi litteralia ſunt, ad riſum mouent, & contemptum: ſi allegorica, vel poetica, nil docent: ſi ſub ea ſcœna diuinam prouidentiam traducit, nil potuit excogitari magis ſacrilegum, nec magis delyrum: quid enim terreat Deũ, vel Numen? Quid ergo, ò uiri ſapientes, hunc hominem ex inſtituto oppugnare dignamini!

Machiau. de Princ. c. 25.

25

Iam ad Atheos, & Epicureos, qui principio quæſtionis, Deum, vel Dei prouidentiam, ac proinde religionem negabant, ſatis reſponſum eſt, ampliuſque ſeq. quæſt. ipſorum ineptiæ detegentur, obiter ſaltem, & cur-

26

Digitized by Google

cursim Deum, eiusque prouidentiam demonstrando.

27 Ad rationem vero eam, qua ex impossibilitate inueniendæ veræ religionis contra eius existentiam vrgebatur, fiet satis in sequentibus, in quibus modum trademus inueniendæ veritatis possibilem, expeditumq;

QVAESTIO II.

Vtrum existentiam veræ religionis in mundo quidquam infirment, an magis stabiliant sermones insipientium Deum, & eius prouidentiam, & religionem negantium?

28 ERgo aiunt, Deus non est; nec si est, prouidentiam habet: ergo nec vlla vera religio est. At contra vt est ostensum, aliqua vera religio est: ergo Deus est, & prouidentiam habet: atq; hoc sufficeret contra istos homines. Sed vt illorum inanitatem ostendamus, vbi ex tot summorum virorum laboribus cũcta producere, nec vacat, nec expedit, nonnihil præterea exeramus ad maiorem, vt aiunt, abundantiam.

29 Denuò ergo, inquiunt, nec Deus est, nec si est, prouidentiam habet; hocque de religione negotium fundamento sufficienti caret; nã auditis cunctis alij aiunt, alij negant; & omnia demum sunt opiniones, & in dubio possidet libertas. At vos, qui negatis, qui estis? rari nantes in gurgite vasto: & quales? quibus scilicet illud est scholæ vestræ stemma; *comedamus, & bibamus: cras enim moriemur*, seu vt dicebat alius, *edc, bibe, veneri indulge, nam cætera prorsus nihil omnia*: quis ergo in vobis potest esse rationi locus, si sensibus, & sensibilibus principatum datis? quæ vestra authoritas, quæ sententia? Nos contra totum genus humanum sumus, & consultius est si errandum est *quandoquidem homines sumus*;

Consultius est Deum, et religionem colere.

Id aientium quam negãtium maior autoritas.

Digitized by Google

quod cum ipso genere humano errare videamur, dicit ritè Auguſt. l. de vtilit. cred. c. 7. Nemo eſt qui vos inter atque nos dijudicet: alterutri autem erramus neceſſariò: qui ergo ad quos tenentur accedere? Eſtis præterea vos ſuſpecti, quod non ueritatem quæritis, ſed bona iſta præſentia, quæ ſectamini: nos nullam huiuſmodi exceptionem patimur; ſumus ferè omnes: & innumeri ſapientiſſimi omnigena ſapientia; ex vobis autem ſcimus neminē in Metaphyſica tractatione, vel in Theologia noſtra nec mediocrem. Quibus ergo cedendum? Eſto careremus conuincenti fundamento: at agitur de ſummis rebus, de futura vita, quæ ſi eſt, æterna eſt; & ſi pœnæ ſunt, æternæ ſunt; atque in illas, ſi fortè ſunt, neceſſariò omnes tandem incidemus: non ergo ſequitur, *comedamus, & bibamus*, ſed ſi fortè ſunt, *in rebus dubijs præſtat benè viuere*, vt B. Clemens concludebat quando veritatem nondum inuenerat. Nec in dubio poſſidet libertas, ſed Deus, qui apud omnes gentes per tot ſæcula in poſſeſſione eſt, & fuit. Nec libertas à Deo libertas eſt, ſed miſeria; nam eſt exemptio à ſummo bono: vti infanti recens nato libertas à Parentibus, ſeu exemptio, aut potius deſtitutio, non libertas, non exemptio, ſed miſeria, ſed calamitas eſſet. Sed quoniam dubia fides ad ſatis continendum in hac vita non ſufficit, vt aduerterat idem Clemens Romanus, conuincentia fundamenta pro veritate adſunt; & aliqua q. præced. data ſunt, & maiora dabuntur inferius.

Lib. 1. recogn.

Sed obijcitur, nos etiam eſſe ſuſpectos, ſcilicet nimium timoratos, qui futuris, & à nemine viſis bonis, vel malis cōmouemur, & credimus timore nimio perculſi: quem inanem metum, & vanas hominum curas vir ille diuinus (Epicurum intelligunt) *diſſecit*, & *Solis inſtar micantis* diſſipauit has tenebras ex pectoribus mortalium. Verùm non ille primus fuit, qui in hæc inſanijt, ne vel hanc fœdam laudem habeat; nam iam prius eadem ab inſipientibus dicta, noſtri, & illo antiquiores libri conteſtantur. Et deinde idem in hominibus metus, eædemque curæ remanſerunt. Sed quidquid ſit, exceptio obiecta vana eſt; nam metus cadens in conſtantes uiros prudenter quemlibet mouet, vt omnia iura admittunt: hic autem futurorum metus, vel

Lucret.

Sapient. 2. & alias.

amor

Digitized by Google

amor cecidit in non tot quin plures constantes,& constantissimos viros, quod citra insaniam negari nequit: ergo non vanus, nec inanis est, sed talis quo prudens quilibet moueri debeat. Est rursus illa exceptio vana; nam ex ijs,qui futuram vitam admittunt, non tot quin plures peccant,nec malorum futurorum metu cohibentur; ergo non nimis timidi; sed nimis intrepidi,& animosi sunt. Ergo quod futura, & à nemine visa admittant, non metus præcipuè facit,sed facit vis ueritatis,vis rationũ,& natura,& Deus, & omnia: quæ vndique Deum,& prouidentiam, & religionẽ deprædicant.

31 *Possibile est* (demùò inquiunt) *vt veritatis omnes in totum ignari sint: fieri posse vt omnes mentiantur, ipsaq; veritas alia quæpiam res sit,quæ pœnes nullum horum inueniri queat,nondumq; planum, & certum esse pœnes quos delitescat*: Perge mi homo: possibile est, quod multis accidit,tibi esse paratas domi insidias: ergo fuge: possibile est quod in egressu potius sint paratæ: ergo siste: imo simul fuge, & siste,vel despera. Sed vero in his ineptijs immorandum non est: scripta sunt multa de vtilitate credendi ab Augustino: non pauciora de necessitate scribi possunt,& sunt obuia: & hoc negato diuina omnia,& humana simul concidunt. Ostendimus præterea q.præced.omnes,& semper nec falli,nec fallere. Deindè non sola opinione, & fide aliorum agimus, sed magnis rationibus,quas edimus,& dabimus.Sed iam difficilius opponit, quod initio quæst. sup. obijciebatur, omnes dicere, apud ipsos esse veritatem: si citra examen ad alios præ alijs accedatur,esse imprudens,& iniquum: ad omnia autem examinanda,& exploranda, nec vitam,nec alia sufficere. Verum hunc nodum, qui maiori institutione indiget, expediam post alia tradita,& iacta fundamenta. *Lucian. de sectis Philos.*

Digitized by Google

Ostenditur Deum esse, & mundum ab eo factum contra athomistas.

REdeunt tamen & aiunt: Deus non est; nemo enim illum vidit, nec palpauit, nec alio sensu percepit. Quid ergo admittatur? O viri præclari! Ergo præter sensibilia nil est, sed nec athomi vestri sunt sensibiles: tamen quia ipsa sensibilia sub sensum cadunt, & ratio vlterius indagando inuenit illa, vel ex punctis indiuisibilibus, vel ex minimis partibus, & athomis esse demũ composita, ponimus, & vos maximè ponitis ipsa inuisibilia elementa, & principia ex quibus omnia fiant; ergo similiter (qui est vnus ex locis demonstrandi Deum) quia omne compositum, sicut ex aliquo, ita etiam ab aliquo componitur, aut est compositum, poni per rationem poterit aliquod primum componens nõ compositum; & quod consequenter sub sensus cadere nequeat; nam omne sensibile est quantum & compositũ. Et si sensus, & experientia, vt vultis, adeo valent, sensus & experientia docent omne quod componitur, sicut ex aliquo, ita etiam ab aliquo semper componi; & deueniendum est demum in componentem non compositũ: nam in infinitum ire est impossibile; vt patenter demonstratur, & dicam nonnihil paulo post. Quid ergo sicut aliqua quia minima, & infima infra sensus sunt, & multæ circumuolantes athomi à nobis percipi per sensus nequeunt, & tamẽ per rationem inueniuntur, & ponuntur, non poterunt alia poni, & admitti quæ quia summa, & nobilissima, supra sensus sint, & non sensu, sed ratione inueniantur! Talis autem est Deus glorioſus. Deinde; quia si Deus esset, talis esset: si enim sensibile aliquid, & quantum, & compositum esset, non infinitus, sed imperfectissimus, & abiectissimus esset: ergo demẽtia est sic arguere: Deus nullo sensu percipitur; ergo non est. Deinde: nec intellectus & ratio, & hi ipsi, quos nunc vtrinque conficimus, discursus per sensus percipiuntur: & tamen sunt, & ipsa nostra, & ipsius intellectus experientia constant, & liquent, & admittuntur: at intelle- 32

Digitized by Google

intellectus nõ solum operationes suas, sed obiecta maximè illarum percipit, & intelligit: sicut etiam sensus: ergo supra sensus admittenda sunt multa non sensibilia sed intelligibilia. Rursus: stultitia esset dicere; color non est, quia naso non percipitur, quia præter nasum est etiam visus, qui colorem percipit: ergo stultitia est dicere; Deus non est, quia per sensus non tangitur; quia præter & supra sensus est intellectus per quem attingitur: negare porrò intellectum esset extrema dementia sicut negare visum, quia nasus non est. Subtilissimè ergo Augustin. ser. 63. de verbis Domini: *Quid ergo, fratres, dicamus de Deo? Si enim quod dicere sic cæpisti, nõ est Deus: si comprehendere potuisti, aliud pro Deo comprehendisti: si quasi comprehendere potuisti, cogitatione tua te decepisti. Hoc ergo non est, si comprehendisti: si autem hoc est, non comprehendisti.*

33 Est ergo Deus; qui omnia fecit; quia vt dicebam, ipsa sensibilia, & composita ab aliquo componente sunt composita, & nullo componente nil componitur. Iam quod dicitis, ex athomorum motu, & occursu, & concursu omnia casu, & nullo componente fuisse composita, inanius est quam credere debeamus. Quo hoc sensu percepistis? Præterea: si ex nihilo nihil fit, & hoc vobis est principium, quia numquam videmus nisi ex aliquo aliquid fieri, sic nunquam vidimus nisi ab aliquo aliquid fieri. Deinde athomi à quo factæ sunt? A nullone? Sed hoc est impossibile, vt dicetur. Ergo à Deo. Sed ò dignam Deo vnicam operam! Si athomos fecit, cœlum, & terram, quæ plus sunt, & maiorem sapientiã, & potentiam planè requirunt, à fortiori fecit. Cur casu denuò aliquod nouum cœlum non emergit in aere, cur non aliquis homo? Si diceres, nunc in campo emersisse vnum, vel centum homines casu ex athomorum concursu, ridereris: nec, credo, auderes apud homines tale figmentũ venditare. Quid ergo omnia ex casuali athomorum concursu facta sint? Si imaginem depictam vides, si musicam audis etc. continuo (inquit Chrysost.) supponis, & infers fuisse, vel esse aliquem imaginis, & soni, & musicæ Autorem: & tamen cœlum, & terram, & homines non pictos, sed veros vides, & Autorem, & sapientissimum non habent? Qui canit, qui pingit, qui fabricat,

Digitized by Google

bricat,intelligit & considerat,& hoc est euidens: & qui *plantauit aurem non audiet, & qui finxit oculum non considerat?* Et hæc sola interrogatio est demonstratiua. Fenestra per quam videmus, quæ foris sunt,sine arte,& intellectu non fit, & tamen volunt,oculum,& visum cuius mirabilem compositionem, nec capimus,nec intelligimus,factum sine arte sine intellectu, nulloque Auctore? Præterea athomi inanimes sunt: ergo vt inanimium omnium experientia patet, & conuincitur, à se moueri non poterant nisi vt summum circa centrum;at quando mundus non erat,nec centrum erat,nec supra, nec infra: ergo à se non mouebantur: ergo à Deo:ergo Deus est, & si athomorum curã habuit, & infimorum, cœli, & terræ, & hominum curam habet. Si athomos videndo non vilescebat, si athomos mouendo, non implicabatur *moleſtis negotijs, & operoſis*, nil magis vilescet,aut implicabitur mundum faciendo, & gubernando. A semetipsis,inquis,mouebantur,& circumuolabãt athomi.Benè: ergo alites erãt: nil enim videmus,quod à se, & principio motus intrinseco circumuolet præter alites. Athomos videmus in aere volitantes, sed aguntur,& mouentur vento, & aliorum corporum impressione,& impulsu,& plus, vel minus, vt fortior est ventus,vel remissior. Videmus alites etiam contra ventum volitare; at non athomos: ergo ab alio,vel ab alijs mouentur. At ante mundum nihil erat præter athomos: ergo quiescebant,vel à Deo mouebantur.

Lucret.

Dicas ante mundum fuisse lapides, & à se ipsis,ac motu proprio circumuolasse. Finginè posset fabula magis ridenda? At si experientiam, si rationem consulas,idem est inconueniens in athomis,sicut idem est inconueniens in lapidibus magnis, & paruis, & minimis: imo inter athomos illas etiam erant athomi lapideæ: non ergo volabant. Præterea minima vt sunt athomi,minima & quasi nulla virtute pollent, vt vel ad cẽtrum moueantur,vt patet;at non nulla,non minima,sed maxima,&quasi phanatica motione opus fuerat ad totius mundi,& tantæ molis fabricam casualem. Nunc planè magis mouentur; & nec vel vnus homo vnquam fit,aut Leo,aut canis. Præterea euidens est,non eumdẽ concursum,& commixtionem requiri ad cœlum, & ad 34

ter-

Digitized by Google

terram, & ad canes,& ad homines : ſed plus,vel minus ſecundum vniuſcuiuſque naturæ conditionem, & ſortē: non ergo omnia ſimul facta ſunt, ſed alia prius multò, quam alia. Ergo fortè canes, & mures prius facti fuerunt:& vbi erant! nam non erat locus; & quando erāt? nam nondum erat tempus : & quo veſcebantur? athomiſne ſaturabantur? Sed fortè ventus ante omnia compoſitus athomos exufflans huc illùc, impedire potuit mundi fabricam. O quam inania! *mentita eſt ergo iniquitas ſibi*,id eſt,contra ſe,talia fingens,ex quibus facilè deprehenderetur; benè enim quidam dixit, maxima mendacia vix eſſe mendacia, aut eſſe minima; quippe quæ vix,aut nullatenus fallere queant. Talia ſunt planè quæ Epicurei cogitauerunt, *quæ non potuerunt ſtabilire*. Atque demum, vel athomi prius quieſcentes, à ſemetipſis moueri cæperunt? & hoc eſt impoſſibile; nam *idem manens idem ſemper facit idem*, vt eſt in paræmia,ſi cauſas liberas excipias. Vel ab alio moueri cæperunt? & hic fuit Deus, & habetur intentum de exiſtentia,& prouidentia Dei ſaltem in parte. Vel numquam quieuerunt,ſed fuerunt in motu ſempiterno,& poſt infinitū motum compactus eſt mundus? Ergo motus infinitus pertranſijt,& finitus fuit: ergo fuit infinitus finitus; ergo infinitus non infinitus,quod implicat. Et licet in hoc inuoluantur etiam aliquorum ſapientium opiniones, de æternitate mundi, & S.Thomas 1.p.quæſt.46. art.2. prohibeat hoc ex loco arguere,multis tamen interea præclaris viris viſum eſt ſemper hoc argumētum inuictum : de quo aliàs plura. Quando verò iſtas Epicureorum fabulas conſidero, non tam ad iram me mouent, quam ad cognitionem humanæ imbecillitatis, in quem, credo, finem hæc & ſimilia à Deo potiſſimum permiſſa ſunt: quid enim glorietur omnis caro! quilibet ex ſummis Theologis potuit cum Epicuro delyrare.

Digitized by Google

Oſtenditur, mundum à Deo factum contra Atheiſtas.

DEus(adhuc alij inquiunt) non eſt,& athomis Epicuri valere iuſſis, dicunt, hæc quæ fiunt, alia ab alijs fieri, ita vt nihil inter omnia quæ ſunt, reperiatur, non factum,ſed omnia facta,ſcilicet hoc ab illo,& illud ab alio,& ſic ſine fine,quin deueniatur in aliquam primam cauſam non factam,& ita nec eſſe Deum.Hi porrò coguntur mundum ponere æternum,& ab æterno; ſi enim aliquando non fuit, & poſtea eſſe cæpit, ab alio factus eſt non facto,& qui ſemper fuit: & ſi ego,& cauſa mea aliquando non eramus, non potuit me facere cauſa mea,ſi ipſa prius non fieret ab alia,quæ iam erat, & ſi omnia aliquando non erant,ita ſemper manſiſſent; & hic vrget illud, cur nunc & non prius mundus in lucem prodierit, ſi nullius libertas,nulliuſq;conſilium interfuit? Nec eſt reſponſio,nec exitus. Ergo mundus, vt concedunt ſemper fuit. Hic autem vrget,quod nuper opponebam: ergo motus æternus, & infinitus, id eſt, motus ſine fine pertranſijt,& habuit finem: quod implicat. Pone quod eſt verum,mundum hunc duraturum in æternùm,& infinitùm. Contingerene poteſt, quod aliquando finiatur,& verum ſit fuiſſe finitum? Reſpondebis, ſi ſapis,eſſe implicationem in ipſis terminis,infinitum durare,& finiri. At putaſne, infinitum, quod à parte ante vocamus, eſſe breuius,aut finibilius? Hinc porrò videtur euidentia rationis Ariſtotelis, quod ſi in cauſis in infinitum procedatur,nihil fiet: vt enim ego fierem,neceſſe fuit ſeriem infinitam cauſarum percurri; & ita numquam ad me fuiſſet peruentum; & idem eſt de qualibet alia re.Quod autem ipſe mundum ab æterno confinxerit,& inter cauſas per ſe ordinatas, aut non ſic ordinatas diſtinxerit,non eſt curandum,quia ille nimium his ſaltem in rebus ineptijt; tota contradictio conſiſtit in infinitate,& in nullo alio,nec vnquam datur ſolutio, & laboratur ſolùm pro Ariſtotelis honore. 35

Præterea ſi res, quæ in mundo ſunt, finitæ ſunt, in ſerie cauſarum poni deberet aliqua prima, & non facta 36

cauſa,

Digitized by Google

cauſa, & ſibi, reliquiſque ſufficiens: at ſi infinitæ ſunt, magis indigent eiuſmodi prima cauſa, quia creſcente numero creſcit indigentia: ſicut ſi finiti ſunt pauperes, & hoc ipſo, vt viuant, aliquo diuite, & ſibi, & illis ſufficiente indigent, indigentia nequit tolli per hoc, quod infiniti pauperes addantur, ſed creſcit potius: & idem eſt in alijs. Cum ergo ſingula, quæ fiunt, indigeant alio, vt ſint; & quæcumque adduntur, ſint ſimiliter indigentia, neceſſe eſt deuenire in aliquod non indigens, ſibique ſufficiens. Ponatur catena (exemplum eſt ſapientis Viri) annulis ferreis conſtituta ſuſpenſa in aere: cadet ſi ab aliquo non teneatur: adde ſurſus annulos infinitos: cadet ſimiliter, imo magis, ſi demum aliquid tenens non ſit. At ſimiliter res, quæ fit, à ſua cauſa pendet, eique adnititur: ergo ſi omnes ſunt eiuſmodi, nec ſit aliquod non indigens, & omnia tenens, cadent; imo impoſſibile fuit, vt fierent. Sume eodem modo inſtrumenta artificialia, quorum aliud medio alio moueatur, & hoc per aliud; nil mouebitur, ſi demum non ſit aliqua prima cauſa principalis mouens, ſed omnia ſint talia, & indigentia motione alterius. Ergo ſimiliter in præſenti. Quod videtur ad oculum, & quaſi palpabiliter demonſtratum. Atque demum infinitum in actu prorſus eſt implicatorium, & ſolum ponitur ab illis, qui infiniti notionem non habent, & quidpiam finitum ſibi imaginatum vocant infinitum, vt ſuo loco demonſtratur: & quæ de poſſibilibus inſtant, ſunt meræ æquiuocationes, & ſimiliter quæ de futuris durationibus mundi, nam omnes futuræ ſunt finitæ; poſſibiles verò nec ſunt plures, nec omnes, nec quidquam præter Deum: Ariſtotelicas porrò partes non admittimus, & ſi ſunt, in potentia ſunt, & non in actu, vt ille vult; & ſi hoc eſſe non poteſt, non ſunt. Hoc eſt certum, difficilius eſſe infinitum admittere, quam Deum. Conſultiùs eſt ergo, vt negata hac catena infinita cauſarum, Atheorum Deum O. M. admittamus, & adoremus.

Digitized by Google

Ostenditur Dei prouidentia.

IAm etiam dicebant: licet Deus sit, prouidentiam tamen non habet, nec nostri curam vllam. Et probant fortissimè. *Nam quis regere immensi summam, quis habere profundi indumenti potis est moderanter habenas? quis pariter cœlos omnes cõuertere?* Et rursus *nisi quietum, nil beatum est: at si Deus terras, & maria contemplans, hominũ commoda, vitasq; tueatur non, nec ille est implicatus molestis negotijs, & operosis!* Ergo nec Deus potentiam habet ad mundi regimen, nec cum beatus sit, potest his attendere. Sed rite Velleius: *mirãdum*, inquit, *est, si quod athomis geritur negotium, Dijs credant difficile.* Sed altius Sap. 9. *quoniam tanquam momentum statera, sic est ante te orbis terrarum, & tanquam gutta roris antelucani, quæ descendit in terram.* Quid Deo potest esse difficile, quid ipsum implicare, si Omnipotens est, & omnia simplici & quieto, & beato intuitu comprehendit? Hæc sanè nisi apud vetulas responsione non egebant; tamen nonnihil dicimus propter quosdam ignorantes superbos, qui hunc Poetam, & similes exaltant, & audẽt etiam Theologos contemnere, quia huiusmodi libros non legunt, quasi in illis latèrent magna arcana, multaq; pretij. 37 38

At ex Aristotele etiam dicunt, intellectus Dei vilescet, si infima, & vilia ista cognoscat. Hoc etiam est puerile; Deus enim scientiam, aut cognitionem non haurit ex rebus hisce, nilque propterea ex illis in Deum promanat, quo queat vilescere. Imo nec intellectus noster, qui scientiam haurit ex rebus, inde vilescit, sed perficitur. Imò atque aptè Nemes. in Sole, & radijs eius, qui lutum illuminant, & etiam purgant quin prophanentur. Et iam si hoc valet, Aristoteles cogitur dicere mundum fuisse à se ipso, & non à Deo, à quo quæ non cognoscebat, fieri non potuerunt. Vbi nam ergo sunt illud primum mouens immobile, illaque causa causarum? Quando autem videtur affirmare mundum hunc non fuisse factum, non immerito Atticus in Æneæ Gazæi Theophrasto, illum appellat ridiculum. 39

Lib. de facultat. anim. c. 44.

Ergo mundus, vt est demonstratum, à Deo, & in-

tem-

Digitized by Google

tempore factus fuit. Si à Deo factus fuit, potuit fieri: si potuit fieri, potuit gubernari; nam quæ opponunt, nil vel vtrumque conuellunt? Si mundus male gubernatur, malè constitutus fuit, & peiùs sibi cõmissus, & relictus. Si à Deo factus fuit; male factus nõ fuit, ergo nec malè gubernatur, nec procedit. Si (omittẽdo defectus agẽtiũ liberorũ, qui Deũ non tangunt) reliqua distributio causarum, & rerum iniusta est, denique in Deum Creatorẽ cuncta cadunt: vnde si in creando iustus fuit, hæc series, & distributio rerum iusta est: non ergo ideo à Deo
40 non gubernatur, quia iniusta, aut incongruens est.

Deinde singula hæc, quæ in hoc visibili mundo conspicimus, à se ipsis non fuerunt; quia si à se essent, destrui non possent; nam essent ipsa necessitas essendi; ob hanc enim solam à se, & semper fuerunt, & quæ fuit necessitas essendi, erit necessitas conseruandi: at destrui possunt, & multa quotidie in nihilum abeunt, ergo non à se, sed ab alio fuerunt: at nequit in infinitum procedi, vt est demonstratum. Et etiam, quia omnem quæstionem, & omnem responsionem in infinitum procedentem, damnamus, & damnant rustici, & agricolæ, & omnes tãquam irrationabilem, & stolidam: quod si in rebus re ipsa processus ille esset, intellectus similiter procedens non irrationabilis, sed rationabilis, & verus esset. Ergo non est. Est ergo prima causa, & Deus creator cœli, & terræ, & visibilium, & inuisibilium omnium.

41 Ex hoc intulimus: ergo potuit mundum, quem fecit, gubernare, & confregimus impiorum obtendicula. Iam inferimus: ergo debuit mundum gubernare: ergo gubernat. *Cum sit Numen* (inquit Simplicius) *quale descriptum est, cognitione præditum exquisitissima, & potentia firmissima, & voluntate optima, & omnes res à se producat; nec ignorat res à se productas esse curandas; qui stupor ne in stupidissimas quidem pecudes cadit, nam illæ quoque suos curant fœtus; neque viliores, quam quæ curentur, asperantur; nam si tales erant, cur omnino condebantur! nec voluntas eius est accusanda, quasi ob delitias, & socordiam eas negligat; hominum enim isti affectus sunt, nec omnium, sed non probrum, cum ne pecudes quidem ita delicatæ sint, vel ignauæ, vt fœtus negligant. Sic nullo modo fieri potest* *In Enchyr. Epicteti cap. 38. q. 2.*

quin

Digitized by Google

Lib. de offic. c. 13. *quin Deus consulat rebus à se conditis.* Similem probationem exhibent etiam Ambros. alijque SS. Patres, & Philo, & multi.

Rursus; si Deus mundum fecit, vt est ostensum, mundus Dei est, & mũdi ipse est Dominus titulo creationis, vt iura omnia concedunt: at vnusquisque debet eorum, quæ sua sunt, curam gerere, vt per omnia exempla creata cernitur, & quicumque non ita facit, vituperatur: Deus autem vituperari nequit: ergo mundi curam gerit. 42

Præterea: si Deus est, inexorabilis nõ est, nec inops: ergo exorari potest, & benefacere. Ergo iustas preces audit. At hoc esse non potest sine prouidentia; nam hoc ipsum est magna pars prouidentiæ: ergo etc. Et hùc pertinet locus communis probandi; quod natura ipsa nos doceat in subitaneis etiam periculis ante omnem deliberationem, & discursum Deum inuocare, & manus in Cœlum attollere: at natura non fallit; alioquin ipse eius Autor Deus falleret, quod est impossibile: de quo plura infra. Ergo vtiliter Deus inuocatur: ergo nostri curam habet. Hùc etiam pertinent multæ orationes etiam per miraculum, & supra omnem naturæ ordinem, & vim exauditæ, quas fide digni Autores produnt, & fidem humanam abijcere est stultitia: sed de miraculis suo loco. 43

Denuò: mundus à Deo conseruatur: ergo etiam gubernatur. Quod conseruatur, patet: quia mundum factum fuisse non est illum conseruari, nec conseruandũ esse, quia præsens, præteritum, & futurum nequeunt in aliquo non differre; alioqui fuisse, & fore idemmet significarent, quod est falsum manifestè; & etiam quia si mundum factum fuisse idem esset, atque illum modo conseruari, & conseruandum esse, cum iam factum infectum fieri nequeat, nec iam sit possibile mundum factum non fuisse factum, implicaret similiter mundum factum non conseruari, & nunc, & in futurum etiam. At hoc est falsum; quia qui mundum facere potuit, potest etiam illũ destruere, quia hoc non est difficilius; & quia est omnipotens. Ergo mundus conseruatus non est solum mundus factus, sed aliquid plus. Hoc autem plus, licet alia confingi queant, fundatè tamen dici non po- 44

test

Digitized by Google

téſt eſſe aliud, quam continuationem primæuæ productionis; vt enim res, quæ à ſe non ſunt, alio indigent, vt ſint, quia non ſunt ipſum ſuum eſſe; ſic vt conſeruentur, indigent alio conſeruante, quia non ſunt ipſum ſuum conſeruari, & perdurare: nec etiam poteſt in infinitum procedi. Eſt ergo aliquod primum conſeruans mundũ, à nullo alio conſeruatum. Hoc autem eſt Deus. Ergo mundus à Deo conſeruatur. Vbi abſtraho, an mundus ſecundum omnia ſui tam phyſicè, quàm moraliter deſtrui queat propter doctas aliquorum obſeruationes de dictamine hominis, etc. (ipſi me intelligent). Illæ tamen non oppugnant, mundum cõſeruari eſſe aliquid plus additum mundo facto, illudque neceſſariò datum à Deo: quod erat oſtendendum.

45 Procedo aliter ſic: implicat opera non habentis vllum ſenſum, nec intellectum eſſe perfectiora, ordinatiora, pulchriora, ac mirabiliora, quam alterius habentis intellectum, & ſcientiam, & artem: quod eſt euidẽs. At oppoſitum ſequitur, ſi Deus prouidentiam non habet; nam natura ſecluſo Deo, ſenſu, & intellectu caret; nec enim terra germinãs roſam, habet intellectum, nec ſcientiam, nec artem, vt eſt euidens; aliunde verò eſt etiam euidens opera, quæ naturæ dicimus, eſſe perfectiora, ordinatiora, pulchriora, & mirabiliora, quam omnia opera hominum, qui intellectũ habent, & ſcientiam, & artes plurimas. Nec enim omnes homines etiã ſimul ſumpti ſciunt, aut poſſunt fulmen vnum facere, aut roſam vnam, aut lilium, aut herbam, aut vermem; nec homo hominem facit intellectu, aut ſcientia, ſed tanquam canis canem. Ergo euidens eſt operibus, quæ naturæ dicimus, aliquem & ſummum intellectum, & ſapientiam aſſiſtere, ab illoque naturam in operando dirigi.

46 Quæ vt magis vrgeantur, & quaſi oculis ipſis videantur, ex infinitis pœne naturæ mirabilibus produco vnum ex Athenagora: *Quis enim crederet, niſi rerum experimentis doceretur, in ſimilari* (id eſt, in quo nulla diuerſitas apparet) *& molli ſemine tot, & tantas vires eſſe repoſitas, aut quæ iſthinc ſurgit, & compingitur, tantam mollium, ac magnitudinum diuerſitatem latere, oſſium, neruorum, vaſculorum, & carnium, & viſcerum etc.* Torqueant *Orat. de reſurrect. mortuorum.*

Digitized by Google

queant ingenia ſua homines, & vident ſi tale aliquid ſciant excogitare, aut inuenire; quinimo nec imaginari valerent, ſi ab ipſa natura non edocerentur. Sumat pictor colorem vnum, & illo pingat lucem, & vmbram, & rubrum, & viride, naſum, capillos, & oculos: faciat tale quidpiam totũ genus humanum. At natura ex vno, & ſimilari ſemine illa, & maiora facit, & aſſiduè, & facile. Summa ergo aliqua mens illi adeſt: ergo Deus.

Quarè miranda ſapientibus haud ſunt naturæ mi- 47
rabilia, apum peritia in mellificando, formicarum prouidentia, & ſimilia. Mirandum eſt potius, quod homo quidquam ſciat rectè facere, & excogitare. Etenim natura, quia intellectu caret, à Deo dirigitur, & non ſe dirigit: homo licet etiam ipſe à Deo dirigatur, ſeſe etiam dirigit: & propterea plus errat, quam reliquæ omnes naturæ, vt experientia etiam conſtat. Ex quo denuò habetur meliorem aliquem intellectum adeſſe naturæ, quam homini quando intellectu ſuo dirigitur.

Quocirca addendum eſt; nam quando duo ſe ha- 48
bent, alterum tanquam imitans, & alterum tanquam exemplar, & imitatum, maior eſt ſapientia in exemplari, & imitato, quam in imitante. At homo, & ratio naturam imitatur, vt ſapientes docent, & eſt certum; quia ratio inuenit artes imitando naturam, & virtutes etiã ex naturæ ordine, & legibus didicit, & procedit per quamdam imitationem naturæ, & ſic ciuitates, & regna fundata ſunt, vt explicatur in Ethic. & polit. Ergo maior eſt ſapientia in natura, & eius operationibus, & ordine, quam in hominibus. At non ipſius naturæ, vt patet; Ergo Dei illam dirigentis, fouentis, & ordinantis. Quæ conſiderantes, & nõ omnia intelligentes errauerunt multi tribuendo naturæ ſuum intellectum: quod eſt delyrium à quolibet oppugnabile. Exponitur: numquam ſciens ab ignorante, aut nihil intelligente diſcit: à natura, at homo diſcit eiuſq; modo procedendi: qui ergo naturam dirigit, ignorans, aut non intelligens non eſt: ergo Deus eſt.

Tandem: mundus, ſi malè gubernatur, non ſolum 49
malè, ſed peſſimè gubernatur. At mundus non peſſimè gubernatur. Ergo non malè, ſed benè gubernatur: ergo à Deo gubernatur, tum quia ideo dicunt à Deo non

guber-

Digitized by Google

gubernari, quia malè gubernatur; ergo si non malè, sed benè gubernatur, à Deo gubernatur; tum quia nil præter Deum potest habere sufficientem scientiam, & potentiam ad mundum benè gubernandum; quin & supra ipsius etiam Dei vires tantum negotij esse effutiebant. Quod autem si mundus malè gubernatur, non solum malè, sed pessimè gubernatur, liquet: nam qui dicunt mundum malè gubernari, tamquam connexum tenent, casu, & fortuna gubernari (vt fatum nunc Stoicorum prætereamus, quod ijsdem conteritur) quæ autem casu, & fortuna gubernantur, pessimè gubernantur: nauis casui, & fortunæ commissa pessimè nauigat; familia casui, & fortunæ relicta tota est confusio: agricola seminans, & fortunæ reliqua relinquens nil colligit; & idem est siquis litem moueat, & casui relinquat, & in regno, & in studio, & in pictura, & absolutè in omnibus. Et itē; quia naturæ vis est potētissima, vt patet in fulminibus, in elementis, & in mari, & in alijs: quorum consequenter inordinatio, & error nequit non esse summus, & eo maior, quo sunt potentiora, & ita vel vnum elementum absumpsisset aliud iam pridem, vel mare absorpsisset terras, &c. Et etiam quia mala naturæ siquæ sunt, cum ipsa natura esse cæperunt, & continuantur per tot sæcula: cum ergo mala etiam minima tempore multum crescant, & euadant maxima, iam mala naturæ post tot millia sæculorum essent horribilia, & quam dici possit maiora. Ergo si mundus malè gubernatur, non male, sed pessimè gubernatur. At non pessimè gubernatur; quia si ita esset, iam pridem se consumpsissent elementa pugnando perpetuò: iam pridem turbatus fuisset totus mundus; & tamen sunt elementa, sicut antea; Cœlum mouetur sicut prius, elementa durant, & singulis annis sunt ver, autumnus, hyems, & æstas sicut semper; & quod est mirandum, ex rerebus omnibus nec vna species defecit. Iam: non regna omnia pessimè gubernata sunt; & tamen omnibus defuit ratio, & modus se conseruandi; centies cuncta mutata sunt: mundus semper est, & quoad substantiam eodē modo, & quod fuit, hoc est; & quod est, hoc fuit, & erit, & nil sub sole nouum: quæ ita esse in pessima gubernatione est impossibile, & eo magis, quo potentior

Digitized by Google

tior est natura; quæ si errare incæpisset, omnia iam pridem egisset in præceps: sicut torrens ex alto ruens, imò multo magis. Mundus ergo non pessimè gubernatur: ergo benè: ergo à Deo, qui elementis moderatur, qui legem ponit aquis ne transeant fines suos; & mari iubet, quod in leui arena confringat tumētes fluctus suos. Hincque profundissimè dictum ab Apostolo intelligo:

Ad Rom. 1. *inuisibilia Dei per ea qua facta sunt intellecta, conspiciuntur*: si enim quæ facta sunt, non solum oculo videantur, sub quem inuisibilia Dei non cadunt, sed mente intelligantur, non exquisita solum intelligentia, sed mediocri, & obuia, non hinc per longos discursus colliguntur inuisibilia Dei, sed in hoc ipso, & in hoc intellectu, & intelligentia quasi inclusa conspicinntur; & qui intelligit, *mundus durat, tempora eodem ordine procedunt, mare terras non absorbet etc.* & in singulis horum intellectis conspicit Deum, & inuisibilia.

Hæc satis, abstrusioribus Scholæ relictis. Ergo 50
Deus est; ergo prouidentiam habet: ergo vera aliqua religio in mundo est, nec sermones insipientium quidquam infirmant, sed confirmant; quia produnt palam insipientiam suam. Et quod extremè amentium est, vno in summa malo laborant, quod vellent oculis Deū, & prouidētiam videre, & manibus contrectare. Quinimò nec hoc concesso, quiescerent; quia sensus etiam multoties decipiuntur, & corrigūtur ab intellectu; nam visus dicit in iride esse colores, virgam sub aquis esse fractam; manus esse Esau, vocem autem Iacob: quæ nisi intellectus corrigeret, ò nos miseros!

Iam verò mouent mille quæstiones de operibus 51
Dei, ad quæ nullum ius habent; & quod vanius est, etiā iudicant, & se iudices constituunt vniuersi, cum tamen sutor vltra crepidam non audiatur, nec vlla in re credatur nisi peritis in arte. Artem autem condendi, aut gubernandi mundum nemo habet, nec eius vmbrā; quia illa totius naturæ, & singularum rerum cognitionē postulat, & connexionum, & habitudinum, & vtilitatis, & inutilitatis omnium, & præsentium, præteritorum, & futurorum, imo etiam eorum, quæ non sunt, sed esse potuerunt, vel forent, vt est euidens; non enim satis est vnius solum partis; aut aliquarum cognitionē habere:

qui

Digitized by Google

qui enim ſolum cognoſcit partem, ſi reliqua ignorat, eius vſum omnem nequit comprehendere; ſi ex cithara (exemplum eſt d.Irenæi) ſolam vnam chordam audis, & res tibi videbitur inſulſa, & ſine arte, & ſi ſolam grauem, te potius offendet: neceſſe eſt ergo omnium concentum audire, nec aliter potes iudicare; at euidēs eſt homines nec hanc tantam cognitionem habere, nec eius vmbram, nec quiſquam hactenus vel vnam muſicā nouit ex integro, nec mundi totius concentum audit. Ergo ius non habent ad quærendū homines de ſingulis, & multo minus ad condemnandum, ſi ipſis ratio, & cauſa non occurrat, aut detur. At ſic procedunt, qui prouidentiam Dei negant, & mundum malè gubernari dicunt; quia ipſis multa inordinata, multa inutilia, multa denique mala videntur: ergo procedunt inſipientèr. Deinde dato, aut ficto, mundum à Deo gubernari, neceſſe eſſet à nobis multa non intelligi, alia videri ſine cauſa, & inutiliter facta, & in haſmet nos incidere quæſtiones. Ergo ex hoc ſtulte arguitur, mundum à Deo non gubernari: *quis enim cognouit ſenſum Domini, aut cōſiliarius eius fuit?* Nec vel in humanis eſt tolerabilis modus ille arguendi: ego non inuenio cui bono deſeruiat hæc diſpoſitio Regis: ergo eſt inutilis: ergo mala, niſi omnia comprehenſa habeam.

52 Hactenùs palam commonſtrauimus, Deum eſſe, ac mundum ab ipſo gubernari, darique proindè veram aliquam religionem; aliquos etiam ſermones inſipientium audiuimus, & contriuimus. At inferiùs occurret locus eos diſtinctius proponendi, tractandique tutiùs, poſtquam veritatis multa alia fundamenta iacta ſint, ac innotuerit nullo impios iure has cauſas, & lites cauſæ religionis illigare, quæ quippe, vt demonſtrabitur, tenenda foret, etſi nihil nobis interea ſuppeteret, quo his de diuina prouidentia queſtibus, & criminationibus faceremus ſatis.

Digitized by Google

QVAESTIO III.

Vtrum mundus hic, & homo visibile, testimonium perhibeant de sua temporali à Deo creatione, ac proinde de veræ religionis existentia.

MVndum ab æterno existere non potuisse 53
paucis supra commonstrauimus, & multa aderant id circa afferenda: sed illis, quoniam nimium abstrusa sunt, ad scholā derelictis, humaniora, & expeditiora adducamus hoc in loco non tam ad demonstrandum, quam quod oratorū est, ad persuadendum instituto: & quasi visibili mundi ipsius testimonio reuincendos peruicaces quosq;

Etenim mundum hunc, vt quidam ineptierunt, ab 54
æterno nō fuisse, sed aliquando, nec multa ante annorū millia cepisse, ac proinde ab aliquo authore factum extitisse, nec minori cum iure, quā populo alicui, aut homini pueritiam, adolescentiam, cæteraſq; hominis more ætates à viris sapientibus attributas illi fuisse, ipse eius progressus satis nobis, superq; demōstrat: siuè enim illa consideres, quæ corpus hominis, siuè quæ animam concernunt, haud multa ante annorum millia homines vix à feris discrepabant in victu, cultuque, & viuendi ratione vniuersa, si res hæc non temerè, sed maiorū nostrorum fide, atque historijs definienda est, atque decidenda; scilicet sine vrbibus, sine domibus, sine iure, sine lege, ac extra omne litterarum, scientiarum, artium cōmercium viuebatur. Mox vici, pagiq; sequuti sunt; deindè vrbes, respublicæ, regna paulatim constiterunt, factæ leges, artes inuentæ, atque excogitatæ scientiæ, cunctaq; illa, quæ ad pacis, ac belli, & tam publicæ, quam priuatæ vitæ rationem spectant: quorum omnium initia auctores, & tempus, quo esse cæperunt, & creuerunt, constant ex annalibus; imò ætatibus etiam nostris haud pauca inuenta sunt, & antiquis adauctus splendor, & perfectio. Quòd si mundus sempiternus fuisset, æterna homi-

Digitized by Google

hominum inuentione, atque laboribus, ante omnem maiorum memoriam cuncta illa fuissent ad perfectionē deducta. Quid enim immensa illa æternitatis retroacta series illis omnibus absoluendis, multisq; alijs excogitandis non suffeciſſet, ad quæ videmus ſuffeciſſe quatuor, aut quinque annorum millia. Quid nulla vaſtiſſimæ æternitatis ſuperuixit memoria, aut aliquorum in ſapientia excellentium, magnorum ducum, bellorum, vrbium, regnorum, ſed vniuerſa cum æternitate ipſa cōſepulta fuerint. Quis hæc credat? mundus ergo non ante noſtri, maiorumque noſtrorum memoriam natus hominis ad inſtar creuit.

55 Neque verò de aliqua orbis parte, atque barbara gente hic agimus; ſed de illis etiam nationibus, quæ rerum cognitione, & ingenio pridē cæteris præſtiterunt, vt de Aegyptijs, Græcis, & Romanis, quarum gentium principia, & primos legiſlatores, & ſcriptores, & ſapiētes ipſarum illarum hiſtoriæ memorant. Atq; vno verbo omnes fuerunt aliquando, quales modò ſunt Indi, aliæque barbaræ nationes.

56 Confirmatur; namqe ſi mundus ſempiternus fuiſſet, gens aliqua, & natio aliqua ſempiterna fuiſſet, ſiuè Gallica, ſiuè Itala, ſiuè Hiſpana, vel alia; nam homines cum ipſo mundo eſſe cæpiſſe, neceſſe fuit; & licet poſt æternitatem elapſam eſſe cæpiſſent, innumera ſæcula tranſierunt poſt ipſam etiam æternitatem. At nulla natio, nullum regnum ſempiternum aſſignari poteſt, & rideretur quicunque Gallos, aut Italos, aut aliam gentem ſempiternam diceret. Mundus ergo ſempiternus non fuit.

57 Quæ præterea ſtabiliuntur ex hominum ipſorum inclinatione, & indole conſiderata. Omnium etenim ſæculorum experimento notū eſt, nihil hominibus pluris fieri, quam propriæ gentis, vel reipublicæ antiquitatem, qui eſt veluti innatus hominibus amor, & appetitus. Quid ergo domus aliqua, aut natio, aut regnū æternitatem ſuam non iactat? Quid Roma ipſa, & Græcia, quid cæteræ gentes antiquitatis cupidiſſimæ primos ſuos fundatores, & erectores produnt.

58 Accedit & illud. Nihil etenim eſt hominibus familiarius, nihil iucundius, quam rerum antiquiſſimarū,

atque

Digitized by Google

atq; à nobis amotissimarum inquisitio : videmur quippè hoc pacto nescio quam diuinitatem nanciscí, si occultissima,& remotissima nouerimus: fidem faciunt tot libri de singularum gentium antiquitatibus,de veterum gestis,dictis,verbis,atque minutijs quibusq; conscripti; quod si ante maiorum memoriam,atque ab æterno homines extitere , illos etiam rapuisset hic idem antiquitatis explorandæ amor,& libido, & tamē nihil de æternis gestis memoriæ proditum est , sed omnia concluſa annis quinque,aut sex mille ?

Omnium rursus experimento notum est,homines 59
impetu quodam flagrare,& duci,vt sese,nomenq; suum æternum posteris faciant : quod testantur hominum in bello facinora,libri conscripti,ædificia,& quicquid demùm in mundo præclarum gestum est , illi ergo homines,qui ante sex millia annorum per æternitatem vixerunt,eodem posthumæ æternitatis amore tangebantur: & tamen nihil de æternis gestis supereſt,nulli libri, nulla ædificia,nullæ inscriptiones , nullum denique monumentum. Quis hæc crediderit ?

Hac quasi visibili,& obuia mundi ipsius inspectio- 60
ne,& consideratione ducti sapientes,& Philosophi omnes,quos sciam ante Aristotelem, Orphæus, Trismegistus,Thales,Sybillæ, Anaxagoras, Democritus, Empedocles, Melysus, Socrates,Plato, mundum sempiternū non fuisse magis , vt notum suppoſuerunt, quam disputarunt. Primus,quem sciam,Aristoteles mundum erroris admonuit,atq;æternitatis suæ conscium fecit,nulla, vt par erat,æternitatis afferens monumenta , sed quodam stramineo ductus,& deluſus argumento, quod Sāctus Thomas ad 12. metaph.atque alij ad 8. physicorum cōterunt. Haud planè hoc aliud fuit,quam si mihi ex paupere familia orto quisquam nunc longas auorū, & Proauorum illustrium,ac Regum series, atque origines appararet,ac prætexeret ; quod moris cū alijs quidem assentatores vanissimi , secum verò, & cum domo sua nonnisi insignitèr fatui gerunt,ac ridentur.

Cum porrò hic tantus Aristoteles in argumentū 61
à nobis factum de artibus, atque scientijs haud pridem inuentis incidisset,aliud,quod responderet,non habuit, quam sæpiùs vnamquanque artem,vnamquanque scié-

tiam

Digitized by Google

tiam, ipſamque philoſophiam fuiſſe pridem inuentam, ſed corruptam, extinctamque toties; eſſeque harum corruptionum reliquias cuncta illa, quæ aliqui ipſo antiquiores tradiderunt. Imò vt cohærenter loqueretur, infinities pridem artes inuentas, & infinities corruptas fuiſſe, concederet, neceſſarium fuerat. Ariſtoteli poſteà acceſſere alij non tam philoſophi, quàm diuinatores, quod ſi ab illis quæſieris quibus cauſis tanta, atque toties repetita artium, ſcientiarum, rerumque omnium corruptio, & ſtrages inducta fuerit, ad eluuiones aquarum, & combuſtiones temerarij confugiunt, quæ tam facilè negari queant, quam finguntur.

62 Sed vt reſponſioni colorem aliquem adhibeant, prodnnt diluuium Noemicum; quod non in pœnam à Deo inductum, ſed ab errantium ſyderum collocatione, & aſpectu contigiſſe, vaniſſimè mentiuntur. Alias etiã eluuiones memorant, vt celebrem illam Ogygiam: quæ tamen non orbem totum, ſed Atticam ſub Ogygio rege, & Achaiam, vel iuxtà alios Bæotiam abſorpſit, & contigit multò poſt diluuium Noemicum, & poſt Ogy-
63 gium aliud illud Deucalionis: nullum tamen vniuerſale, & totius mundi diluuium, & ſubmerſionem, vllæ hiſtoriæ commemorant, nec diuinatores iſti fundamentũ vllum afferunt ad vim eiuſmodi conferendam ſyderibus, & certè vt illius temporis homines teſtantur, vaniloqui iſti ſimile diluuium cõminati fuerunt anno Chriſti MDXXIV. qui tamen annus amæniſſimus ſereniſſimuſque fuit. Atque hoc ipſo nuper elapſo anno Chriſti MDCLVI. quia diluuium Noemicum contigerat ſimiliter anno creationis mundi MDCLVI. cum numerus numero congrueret, murmur quoddam eſſe cæpit de mox futuro diluuio, quam tamen vanitatem euentus ipſe deluſit. Quod de diluuijs, tantumdem de combuſtionibus reponimus contra dementatos iſtos.

63 At demus, & concedamus vltrò, infinita huiuſmodi, quæ tamen nemo prudens crediderit, accidiſſe vniuerſalia diluuia, quale nos credimus fuiſſe Noemicum, Sed vero ex eo Noemus cum familia ſuperſtes fuit, cõſeruauitq; & tradidit antiquarum rerum memoriam. Aſt volent, neminem fuiſſe ſuperſtitem; verum, vt audirentur, par erat, aliquam afferrent hiſtoriam, aliquod

monu-

Digitized by Google

monumentum, aut rationem aliquam, quam affert quidem Aristoteles, sed futilissimam, & quæ responsione nō indiget, nec cum ipsis etiam Aristotelis placitis cohæreat, vt retrò tetigi, atque Toletus, & alij 8. physic. euincūt. Sed aiunt, nihil cōtradictionis esse in eo, quod similes eluuiones contigerint. Sit planè ità, at ne ea cuncta credamus accidisse, quæ vt acciderent nulla erat contradictio? de facto est quæstio: factum autem ex non contradictione quis non delyrus deduxerit.

At placet liberalitatem omnem exercere cum his 64
hominibus: absorpti fuerint infinitis eluuionibus infinities homines, corruptæ, & extinctæ sciētiæ infinities: nullus superuixerit homo præcedentium rerum conservatās memoriam, nullus memor præcedentium artium, sed vero mòx quæro, vnde vnde genus humanum esse cæperit? an ex putrefactione terræ ad instar murium? at hæc putrefactio cum post etiam maneat, cur non quotidie homines sicut mures nascuntur sine patre, sine matre; idem porrò est, si ad cœlos confugias, si ad naturam, si ad elementa, si ad athomos: hæc enim cuncta supersunt, vigentque semper, mouentur, operantur, & tamen ne vnus quidem homo tot sæculis sine matre natus est, nec vnus equus, vel Leo, vel Aquila. Epicureorum prætereà fabula de athomorum cōcursu dificta est retro, reuinciturque manifestè ab Aristotele eodem libro 12. metaph.

Supereſt ergo, vt confugiant ad authorem aliquē 65
homine ipso, & visibili hoc mundo præstantiorem, illumque liberum, qui post extinctos eluuionibus homines creauit de nouo, atque condidit hominem aliquem, qui reliquorum, & totius humani generis esset parens, & principium; & quoniam Author ille liber est, destitit ab alijs denuò creandis, noluitque illos, nisi alios ex alijs generari, propagarique deinceps, quod sanè nec elementa efficere potuissent, neque athomi, aut alius author sine consilio, & libertate operans. At nos ex inceptione temporali mundi non aliud conquirebamus, nisi hunc authorem totius humani generis libertate, sapientia, & consilio præditum; authorem nec non animalium saltem perfectorum, & quæ ex putrefactione, vel athomis nasci nequeunt: hunc enim authorē Deum appel-

Digitized by Google

appellamus. Ergo eluuionibus, & combuſtionibus vltrò etiam admiſſis ſcopus noſter, & intentio, & diſcurſus minimè labefactatur.

66 Nec illud hic omittendum eſt, abſurdum planè, ex æternitate mundi conſectarium; ſequitur quippe, quod Sanctus Thom. alijque adnotarunt, vel animas hominum mortales eſſe, vel de corpore in corpus eaſdem infinities tranſmigraſſe, vel numerum iam infinitum exiſtere animarum; vt ad æternitatem abſoluendam, atque peragendam opus fuerat: quorum tamen vtrauis partium abſurda eſt, & in philoſophia conficitur. Hinc tam varius circa animarum immortalitatem Ariſtoteles: hinc tam nullus in rebus quibuſque magnis. Vtiliſſime porro, & magno ſcholarum incremẽto hunc Philoſophorum acutiſſimum in ſeruitutem Chriſtianam redegit S. Thomas.

Machiauelli nugæ.

67 Sedenim nihil, inquis, effectum eſt: nam debellandus adhuc ſupereſt Philiſtæus, Macchiauellus ille tantis aulicorum fauoribus elatiſſimus. Hic ergo omnium, vt retrò diximus, ſcientiarum ieiunus voluit vltra crepidam ſutor eſſe. Incidit quippe in argumentum à nobis tractatum in præſentia: illud forte caſu audiuit, & nonniſi delibauit: quia verò eluuiones, & combuſtiones memoratas dignas non iudicauit, quas aulicis ſuis propinaret, aliam molitus eſt euadendi viam: qualem tu videris. Dicit ergo mirabilis homo inductis nouis religionibus rerum præcedentium deletam fuiſſe memoriam: quippe id in primis curæ eſſe ſolere, ac debere religionis cuiuſque primis inſtitutoribus, vt antiquiorum omnem memoriam aboleant, quam in rem affert Chriſtianæ etiam religionis exemplum.

68 Mirandum foret minus ſi hæc blateraſſet in Barſauia, vel Mogor: at nemo non riſerit ea in Italia, ac in orbis Chriſtiani conſpectu effutientem. Vbi quippe Deorum ipſa ſimulacra, templa, & imagines poſt tot etiã ſæcula ſuperſunt. Vbi Deorum ſacrificia, ritus, cæremoniæ, fabulæ magis forte ſint notæ, quam ipſæ etiã Chriſtianæ chronologiæ. Ecce quale ſit Chriſtianæ religionis exemplum. Imò verò ſcriptis eam in rem libris Chriſtiani veterum errores, religiones, ac ſectas poſteris conſignarunt. Quid ad hæc reſponderit? verum de-

Digitized by Google

mus infinitarum retrò religionum omnem memoriam nouis nouarum religionum eluuionibus deletam fuisse, erasamque: at quid ad religionis institutionem attinebat, quod artes, & scientiæ, & reliqua etiam abolerentur? imò in eo operam collocare prorsus fuisset stultũ. Sed extinctæ fuerint artes, & scientiæ nouarum religionum maleficio: an etiam ædificia, & regna, & reliqua etiam cuncta deleri potuerint, atque eorum omnis eradi memoria? quid porrò insanius, quam si religionis institutores persuadere voluissent, ante ipsam, nec vrbes, nec homines quidem fuisse in mundo, cum interea ipsi illi homines, quibus religio proponebatur, viderẽt se, & patres, & auos ante illam in mundo vixisse; nec acriùs cum nullius roboris homine dimicandum: ad sua redeat Macchiauellus, & Principi Valentino per extremam quãdam, vt putat, fortunæ malignitatẽ oppresso succurrat. Quid eum non edocuit remedia illa, quibus fortunæ tam facilè obsistitur? quid eam fustibus non excepit? fraudibus itaq; & omni infidelitate armet principem, quo facto nihil sit principe suo magis imbecillũ, quippè cui nemo fidat, credat nemo, non Dux, non miles, non populus.

Argumenti facti efficaciam satis commõstrant ipsa hæc tẽtata politicorum, ac philosophorum effugia de rerũ, artium, regnorum deleta memoria per eluuiones, vt volunt philosophi, per religiones; vt garrit Macchiauellus. 69

Nec mouere quenquam debent antiquissimi quidam anni, quos Chaldæi, atq; Ægyptij memorabant de Phoroneo Inachi filio, & de Iside eiusdẽ filia adamata à Ioue, de quorum temporibus quasi antiquissimis meminit Plato in Timæo; sed Salianus ex testibus fide dignis euincit, Phoroneum Argiuorum regem floruisse anno mundi 2249: erat verò, quare Ægyptij Græcis exprobrarent, *Græci semper vos pueri estis: nullus in Græcia senex*, nam Ægyptij ex Hebræorum consuetudine multò antiquiora nouerãt, quam Græci, quorum Solon dixit primum hominẽ fuisse Phoroneum, qui tamen vixit anno memorato, & multò post conditum mundũ. In Psalmis etiam anni antiqui, & dies æterni memorantur, atque Doctores varias explicationes afferunt, vel 70

de

Digitized by Google

de mundi primis temporibus, vel de futura vita æterna: at consultiùs videntur exponi de longa, ac diuturna, & quodammodo æterna vita, & ætate primorum hominum.

71 Ex his autem omnibus palam conficitur, mundũ sempiternum non fuisse, sed in tempore, nec ante multa annorum millia à Deo conditum. Quod si mundus, & homo, Deo authore, nec ità pridem esse cæperunt, palam est colendum ab homine authorem suum, atque in religione habendum, nec primo concesso, secundum à nullo negatur.

72 Sicut porrò mundus principio non caret, ità illũ nec fine cariturum, & generationes aliquando demùm cessaturas ex ipsius Dei auctoris arbitrio videretur dicendum. Nec enim auctor consilio, & arbitrio operans operari sine fine potest: omnis autem in infinitũ processus fine caret, cum infinitum esse, & fine carere conuertantur: vndè author in infinitum procedens nullum sibi terminum, nullum finem præscribit. Ergo mundi Author nequit generationes, & motum sine fine, & in infinitum causare. Rursùs si motus, & tempus in infinitum procederet, possem ego, vel posset Deus aliquid seriò polliceri, vt si dicerem, *dabo tibi aliquando librum*, vel diceret Deus, *dabo tibi aliquando regnum*, quin ad dandum, ac soluendam fidem obstringi vnquam posset Deus, vel possem ego. Semper enim suppeteret appellatio ad futurum tempus, si semper futurum est tẽpus, quod cum ex terminis videatur absurdum, illud si ab alijs anteà dictum inuenirem, asseuerãter dicerem, motum, & tempus ex ipsa rerum natura, vt sempiternum esse non potuit, ità nec sempiternum posse esse in posterum, sed clausum necessario principio, atque fine: vti cætera composita omnia terminis demùm vltimis concluduntur. Neque ex his vlla est consecutio ad æternã beatorum vitam, in qua non tempore, sed æuo degunt sine mutatione, sine successione, aut vicissitũdinis obũbratione, quocirca aderat sublimis explicatio æui, & vitæ æternæ scholarum præceptoris Thomæ per analogiam ad æternitatem Dei, in qua nihil est prius, & posterioris, nec præteritum, aut futurum, estque beato-

An sit motus in infinitum.

De mundi fine.

Digitized by Google

ſum vita, ex quo eſſe incipit, ſine futuritione in poſterum; quæ aliò pertinentia, & alibi accuratiùs exponenda, hìc ſignificaſſe ſuffecerit.

QVAEST. IV.

Vtrum quicumque negat, Deum eſſe principium, & finem hominis, & conſequenter quicumq; negat, dari veram religionem, cogatur fateri, ſe eſſe ſtolidum, & amentem?

NON hoc quæro, vtrum qui prædicta negat, ſit ſtolidus, & amens? ſed vtrum qui ea negat, & perſiſtit, cogi poſſit vt fateatur ſe eſſe ſtolidũ, & amentem argumento, quod ad hominem vocant, & omnium manifeſtiſſimo. Operæ pretium porrò duxi, ſi in capitali puncto aliquid præter omninò neceſſaria quaſi ad abundantiam addiderim, pluribus interea ad ſcholam reſeruatis, & ſcholaſtica propriè pertinentibus. 73

Puto autem, quod abſit vt ad vanam oſtentationẽ dicam, vel promoueã, ſed ſyncerè, & coram Deo, eum qui prędicta negat, & perſiſtit, legitimè & ad hominem conuinci, vt ſeſe fateatur amentem: ad hoc verò iudicandum me mouent ſequentia, & à prima nunc quæſtionis parte exordiar. 74

Vel Deus eſt, & hominem fecit, vel omnes homines ſunt amentes. Sed omnes homines amentes non ſunt. Ergo Deus eſt, & hominem fecit. Iam ſi minorẽ, quis negat, cum ipſe quoque homo ſit, fatetur ſe eſſe amentem: vnde ſi furit, erit ligandus; ſi non furit, vel ridendus, vel miſerendus, & minimè ad quæſtionem admittendus. 75

Quod verò ſi Deus non eſt, nec hominem fecit, omnes homines ſint amentes, ſic perſuadeo. Nam ſi 76

Deus

Digitized by Google

Deus non est, nec hominem fecit, nullus homo iudicare quidquam potest, nullus inter verum, & falsum discernere; at perfecta amentia sita est in læsione totali partis iudicatiuæ, ex qua læsio ad discursiuam quoque resultat, quæ nequit constare sine iudicatiua, licet cum minore iudicatiua cohæreat vis discurrēdi velocior, vel subtilior, quam vulgò appellamus ingenium: quæ cum vera sint, & explicatu facilia, pedeo ad pōdus argumēti, quod nullus homo iudicare quidquam potest, nec discernere verum inter, & falsum nisi sit factus à Deo.

Homo non factus à Deo nihil posset iudicare.

77 In primis namque homo iudicat lumine intellectus. At nisi hoc lumen ab aliquo vero, & infallibili sit acceptum, non constat, quare vel vnde illud verum sit & quare vices non mutet inter verum, & falsum iudicādo verum falsum, & è contra: quemadmodum si ego vel lumen, vel notitiam aliquam ab aliquo accipiam, nihil vi eius iudicare possum nisi sciam prius, quale sit principium, à quo illā habui, an à somnio, an ab amente, an falsissimo homine, an à veraci, & vtor eo lumine, & vi eius iudico, vel non iudico pro qualitate, & merito principijs ex quo notitia, vel species illa emanauit. Conuenio nunc aduersarios. Si lumen intellectus à Deo non est, à quo est? Ab athomorum concursu, respondent Epicurei. O ad quam sapientem scholam nos vocant! At ab athomis, quæ omni arte, & intellectu carent, & solo casu gubernantur, cur lumen intellectus verum potius, quam falsum exiliit? cur rectum, & non defectuosum, mēdax, & fallax? imo cum omnis effectus causam suam redoleat, & sapiat, & nil fit magis sine ordine, arte, & intellectu, quam casus, vis proculdubio iudicatiua, lumenque intellectus necesse est, vt sint res quædam inordinatissima. Finge ad maiorem explicationem, quod athomi loquerentur: quis illis magis crederet; quam vel amētibus, vel simiæ? Nil ergo athomis, nec eorum casibus, & iactibus credi potest. Ergo nec illorum effectui, & partui, scilicet vi iudicatiuæ, & lumini intellectus. Et certe nisi eius veritas, & rectitudo aliā originem habeat, nemo iure illi fidet, nec credet: vnde in nullo iudicio quiescere poterit, & consequenter nil iudicabit, sed erit in sempiterno metu, & indeliberatione.

Sed

Digitized by Google

Sed ad manũ est, inquis, magna illa Philosophorum vox, *natura*, quæ omnia soluit: nam natura est recta, est certa, est vera, & nec fallit, nec fallitur: à qua proinde homo hausit vim iudicandi rectam, veram, & non fallentem in ijs, quæ ab illa accepit. Verum denudandum est nomen: nam de natura cum Deo hæc cuncta sunt vera; & de natura sine Deo cuncta falsa, nã natura sine Deo, vt iam indicaui, est velut corpus hominis sine anima, id est, sine intellectu, sine arte, qua homini vim iudicandi veram, & lumen rectum conferre queat: sunt enim cœlum, & elementa, & mixta intellectus expertia, nec confert quidquam intellectus hominis. Ad idem deinde reuertimur. Natura, & homo vel ab athomis sunt, & sic nil iudicare poterit homo vt est ostensum; vel à se, vel ab aliquo alio fallibili sine fine? & sic etiam nil poterit iudicare; quod est demonstrandum contra Atheos. 78

Natura sine Deo falli posset, & fallere.

Omne scilicet lumen, vel dictamen deriuatum, & acceptum à fallibili est fallibile; nam si qui homini infundit lumen illud, fallatur, fallit etiam lumen: si fallat, fallit similiter lumen: ergo omne lumen, vel dictamen deriuatum, & acceptum ab aliquo fallibili est fallibile, nec constat, quare sit potius verum, vel falsum: ergo nemo acquiescere illi poterit, nec vi illius quidquam iudicare, nec discernere inter verum, & falsum. At omnis causa, secluso Deo, est fallibilis, & solus Deus noster est infallibilis, non autem aliæ causæ, nec Dij quidem Gentium: vt patet: ergo nisi Deus hominem fecerit, illique lumen intellectus infuderit, nil poterit homo iudicare, & omnes consequenter homines sunt amentes. 79

Duo porrò rerum genera sunt de quibus iudicat homo, de alijs quidem sine arte, sine industria, & ipsius naturæ sensu, & consensu; vt sunt prima, & vniuersalissima principia tam in speculabilibus, quam in practicis, quæ appellamus lumine naturæ nota, & in his nõ errat homo: aliæ sunt, quæ discursu aliquo comparantur, & sub vniuersalissimis illis naturæ scitis, vel Dei scitis potius continentur, vel contineri videntur, & in his errat, & fallitur facilè homo. At nec de his quidem iudicare potest nisi in vi priorum, & illis ablatis essemus sicut bestiæ, vel amentes hoc, & illud apprehendentes, tamen 80

Tota primorum principiorũ rectitudo ad Deũ Autorem reuocanda.

iudicio

Digitized by Google

iudicio destituti, sicut cessante motu primi mobilis cessaret motus reliquorum orbium, sic cessantibus iudicijs illis vniuersalibus cessant omnia particularia. At tota veritas, & certitudo illorum vniuersalium fundatur in veritate, & indefectibilitate autoris: vnde si autor est mendax, vel dubiæ fidei, similia erunt ipsa illa vniuersalia iudicia: vnde in illis fisti non poterit, sed sicut pronunciata particularia sunt probanda, idem fieri oportebit de vniuersalibus. Exemplum sit: *æquum est reddere vnicuique, quod suum est*: Rogo: an hoc iudicari, & affirmari possit? Ais, Sed rogo: vnde hoc constet esse verum? Quia omnes, ais, in eo consentiunt. At si ab aliquo deceptore, vel ignorante, vel nihil sciente facti sumus omnes, omnium vox est deceptoris, vel ignorantis vox: vnde nil probat: imo præsumēdum est omnes esse deceptos, & errare. Quare erratimus forte omnes hactenus hoc iudicantes. Ideo ergo non erramus, quia id in quo omnes consentiunt, à natura est; quod autem à natura est, à Deo est, qui nec decipit, nec decipitur: ac proinde omnis rectitudo intellectus, & principiorum, & maximarum vniuersalium veritas, & certitudo ad certitudinem, & veritatem Autoris infallibilis resoluitur; quo sublato nil est verum, nec certum, nec sine probatione admittendum.

81 Discursus factus exponitur exēplo scholastico quidē, sed intellectu facili. Quærunt in scholis (an digne, ibi viderint) an Deus mentiri queat; vel vt reuerentius alij loquuntur, an decipere nos possit: quin propriè mentiatur? Negant verò constanter plerumq; omnes, eo inter alia ducti inuicto argumento, quod si Deus mentiri posset, nihil ei firma fide crederetur; vrgeret enim nos perpetuò scrupulus, an in vnoquoque nos fefellisset. Si ergo lumen intellectus, & dictamina, & principia omnia nostra à fallibili autore accepimus, illis stare minimè licebit, vrgebitque scrupulus semper, vnde sint illa; nam vnde sunt ipsa, inde vera vel falsa, vel dubia erunt. Aliud nobis exemplum suppeditant ipsi hi, quibuscum agimus: idcirco enim nolunt religionem vllam accipere, quia dubitant, vel iudicant, eam non esse à Deo donatam, sed artificiosè effictam ab aliquo homine, licet

Digitized by Google

licet ignorent, à quo vel quando fuerit introducta. At ecce nos eamdem litem mouemus de primis principijs, & de ipso lumine intellectus, & vi iudicatiua. Ergo nisi cõstet, ea fuisse donata ab aliquo qui nec fallit, nec fallitur, acceptanda non sunt, nilque consequenter iudicare licebit. Si eorum porrò Autor nec fallit, nec fallitur, Deus noster est: nam vt in nullo fallatur, opus est quod omnia sciat: vt fallere non possit, quod infinitè sit uerax: ex his autem duabus perfectionibus reliquæ omnes euidenter inferuntur, quas Christiani Deo nostro concedimus, & quas nullus gentium Deus habuit.

Scepticorum et Academicorũ responsio.

82 At hi ridiculi ne Deum vel religionem admittãt, nil non deuorãt, & si opus est, ad obsoletã ipsam Scepticorum scholam, uel inclinant, uel abeunt: & concedent, non absurdum, sed verum esse nos nihil scire, nec iudicare de aliquo posse. Scilicet schola illa nil statuebat, sed omnia impugnabat, deque omnibus dubitabat, & quærebat, & inquirebat.

Oppugnatur.

83 Verum hoc ipsum est manifesta comprobatio argumenti nostri, & doctrinæ; omnes nimirum homines fore amentes, & ad hoc fatendum eos cõuinci, qui hæc dicunt: Si namque nil statui potest, nil admitti, consequens est, ut nil iudicetur; nam iudicare, & statuere, & admittere, vel idem sunt, uel connexa, ut patet: at qui nil potest iudicare, est amens, ut est ostensum. Deinde uerò sequitur perspicuè, nec impugnare quidem eos aliquid posse; nam ad impugnandum etiam statuẽdum est aliquid uel uerum uel uerosimile, & qui nil tale assumendo impugnat, non impugnat, sed delyrat, & ridetur, ut est euidentissimum; & ità Lucianus, & Lucretius (quippe Macchiauellus, qui nil ex schola uel delibauerat quidẽ, mentionẽ nullã meretur) ex assumptis principijs ueris, uel uerosimilibus nos aggressi sunt. Quod, rursus patet luce ipsa clariùs; nam qui impugnationem incipit, quam scit; & supponit non esse absoluendam, sed relinquendam semper in principio, est amens magis multò, quam qui totum Oceanum bibendo exhaurire uellet: quia nimirum moueri ad impossibile cognitum est fatuum, sicut si ego uolare uelim, aut fieri Angelus. At isti pueri talem impugnationem incipiunt,

quæ

Digitized by Google

quæ ſcilicet poſt ſcriptum librum tam ſit in principio, quam in ipſomet impugnationis initio: nam omnia ſcripta, & addita ſunt, tàm ſunt dubia, nec magis vera, vel certa, quã fuerat ipſa prima propoſitio, à qua exorſa ſunt. Fatuus ergo, & amens conuincitur Lucianus ſcribens tot illos dialogos; fatuus, & amens quiſquis hùc recurrit. Quinimo ipſis nil licet loqui; nam nemo niſi amens dicit inter homines, ſtellæ maris ſunt pares; herbæ camporum totidem &c. quia hæc talia ſunt, quæ nec veræ in ſe apparent, nec probari à dicente poſſunt. At ex confeſſione horum hominũ talia ſunt quæcumq; loquimur: ergo ex ipſa ſua confeſſione conuincitur, eos eſſe tales quibus non liceat inter homines loqui.

84 In eo autem Sceptici ſunt laudandi, quod ex falſis rite colligerent, & inferrent; ſi enim Deus hominem non fecit, nil indicari, & ſtatui poteſt: imo quod addẽdum fuerat, nec impugnari, nec improbari, ſed tacendum eſſet perpetuo, vel dormiendum; vaniſſime autem ſchola iſthæc appellabatur ſpeculatrix, quaſi omnia exploraret, & ſpecularetur; nam omnis ſpeculatio ſemper erat futura in principio, & ita non erat ſpeculatio, ſed phræneſis: de quibus plura quæſt. ſeq. At in eo fuit ſtultiſſima, quod vel ob hoc ſaltem Deum hominis eſſe principium non agnoſceret, ne alioquin omnes fateretur eſſe amentes.

85 Deus ergo glorioſus eſt primum notum, & vniuerſale, & tranſcendens omnium principiorum principiũ unicum, & ſufficiens, & omnium probationum probatio, rationum ratio, & concluſio; ac omnium veritatum ueritas, & conſtantia, & ſicut ſeries tota cauſarum ad primam cauſam reſoluitur, & qua ſublata, nulla alia maneret cauſa, ita ſeries tota ueritatum ad primam ueritatem reſoluitur, quæ demum omnes ueritates uerificet, & qua ſublata eſſent cuncta, vt uocant neutra, ambigua, nec falſa, nec vera, & iniudicabilia. Et licet Ariſtoteles tradiderit prima principia à priori non eſſe probanda, dicendum eſt, uel ab eo hanc probationem non eſſe excluſam, uel nil intereſſe, quod ab eo ſit, uel non ſit excluſa: quid enim Ariſtoteles de Deo, & de ſummis rebus docuit niſi errores? longe diuiniùs Paulus Apoſtolus Athenis (actu. 17.) diſſeruit: *Quamuis*

Omniũ probationũ conſtãtia Deus.

Digitized by Google

non longe sit ab vnoquoque nostrum: in ipso enim viuimus, mouemur, & sumus: sicut & quidam vestrorum Poetarum dixerunt: ipsius enim & genus sumus. Tam prope enim adest, vt qui se, & sua tantisper considerare uelit, inueniat immediatissime sui à Deo originem, & genus. Vbi omitto alia.

Maiori adhuc perspicuitate conuincitur, eum qui negat Deum esse finem hominis, cogi demum vt se fateatur amentem: sed quia hoc de Deo fine hominis unico argumentum quamplura infert non recepta cõmuniter, à nobis in Dei eiusdem gloriam loco suo explicanda, comprobanda, & defendenda, ne nouas lites inseramus, abstinendum ab eo duximus, vbi præsertim ad abundantiam magis, quam ad necessitatem dicimus contra prophanos satis conuictos. 86

Esset vero absurdum, si ea contra datam doctrinã nunc opponerem, quibus quidam illi Deo nostro gloriam procurant, ut probent eum mentiri posse, uel decipere; ac proinde esse uel mendacem, uel deceptorẽ. Eos in scholasticis audiemus; satis hic fuerit ipsorum conatus mirari, cum Scribæ, & Pharisæi nil forte indignius, uel contra Christum effutierint quam illud: *seductor ille dixit.* Ipse autem nondum magnam differentiã intellexi seductorem inter, & deceptorem. 87

QVAESTIO V.

Vtrum inueniri possit vera Religio? vbi de veritatis inueniendæ possibilitate in genere.

CVm veram aliquam Religionem in mundo esse ostensum fuerit, supereſt vt hic illam inuenibilem demonstremus non tam apud Christianos, quod otiosum esset, quam vniuersalius, & apud eos, qui nihil præter rationem naturalem admittunt. 88

At mox ad materiam inde religionis, & argumẽti 89

Digitized by Google

ri nostri reuerſuris liceat generalius primùm auſpicari. Videas itaque homines in tres velut claſſes diuiſos, omnia quippe credentium, nihil credere affectantium, & nec omnia, nec nihil, ſed aliqua credẽtium: quæ tres differentiæ tres pridem ſcholas Philoſophorũ peperunt: & nunc ſine priſcis licet nominibus priſcos inuenias ſcholarum mores; alij enim nihil agunt aliud, quam vt impugnent, & reijciant, omnia quomodolibet & vtrolibet iudicantes poſſibilia: alij in omnibus velut ex tripode definiunt: circunſpectius alij media via incedunt, quandoque hærent dubij, quandoque opinãtur; reſoluunt affirmatiſſimè aliquando: & quod in ſcholis, hoc in plateis, in foro, viciſque repereris.

90 Fuit itaque ſchola grauiſſima Academicorũ præclariſſimos iactans Parentes, quæ viro ſapienti nihil turpius eſſe dicebat, quam opinari: nam opinans ſeſe, exponit errandi periculo: errare autem eſt velut extremum malum ſapientis. Hinc orſi pronuntiarunt demũ, nihil eſſe approbandum, nulli rei præſtãdum aſſenſum; quia veritas à nobis nec inueniri poteſt, nec percipi, nec diſcerni à falſo; ac proinde ſapientiam aiebant cõſtitutam in inquiſitione, & inueſtigatione veri, non autem in inuentione, ac perceptione, & poſſeſſione; quæ eſt impoſſibilis. Alij pronuntiatum reſtrinxerunt ad illas res diuinas, & humanas, quarum cognitionem ſapientiam appellamus; nam aliarum rerum naturalium, vel impertinentium nullam, uel non magnam ſibi eſſe curam, Carneades recentior Academicus, ac circunſpectior affirmabat. *Academiſmi fũdamẽta maxima.*

91 Nec uero illi tam erant inermes, ac fungi, vt more Machiauelli, & aliorum ſcientias omnes ignorantium, garrientium tamen liberè, ad hoc abſurdi ſine maximis fundamentis temere deueniſſent, & quæ noſſe tam erit utile, quam difficile reſpondere. Potiſſima fuere. Primum quidem definitio Zenonis, qua uerum, uel ueri perceptionem definiuit *quod ita eſſet animo impreſſum ex eo, vnde eſſet, vt eſſe nõ poſſet ex eo vnde non eſſet.* Quod Auguſtinus, à quo hic ferme cuncta docemur, exponit; *his ſignis verum poſſe comprehendi, quæ ſigna non poteſt habere quod falſum eſt.* At nullum nobis ueri ſignũ ſuppetit quod falſo ſubeſſe nequeat; accidit enim, vt quis

Digitized by Google

uero,& falso simul æqualiter, tamque firmiter adhæreat,vt inter utrumque discernat nihil: & nemo plane uidetur esse mortalium, tam errorum immunis,qui falsum non sit aliquando tanto complexus assensu,quantò nunc quæ uera censet,complectitur : atque inter syllogismum,& parallogysmum,quo quis est deceptus,nihil ab habente discerni sententia est communissima. Verum ergo,& falsum, & utriusque perceptio,nullis propriis signis differunt: ergo signa habent quoad nos communia: neutrum ergo à nobis distinguitur, & percipitur: ergo cohibendus est assensus. Hæc uero quodammodo urgent magis in materia religionum; nam infinitis religionibus, quas præter unam, omnes falsas existere necesse est,illarum cultores inuenias æqualiter affectos,& persuasos,ac certos æqualiter, quin in propria perceptione, & affectione experiantur quidquam discriminis : nulla ergo signa perceptibilia insunt: ergo uera nec percipitur,nec dignoscitur; cumque nullibi sit tam turpe, ac periculosum errare,quam in religione, nouus aliquis Academicus concludat, veram religionẽ in inquisitione sitam esse: nullamq; interim approbandam,ne,quod pessimum esset, falsam pro uera contingat assumere.

Academicorum laus ex Tullio.

Secundum est,quo Tullius Academicam scholam commendauerat,Academico nimirum sapienti ab omnibus cæterarum sectarum, qui sibi sapientes viderentur,secundas partes dari,cum primas sibi quemq; vendicare necesse sit; ex quo posse satis quidem probabiliter confici,eum rectè esse primum, qui omnium cæterorum iudicio sit secundus : quo ex principio nos quoque ueritatem catholicam inter alia commonstrabimus. Assumptio vero inde uidetur concludi alijs nunc prætermissis expositionibus, quod Epicurus rogatus, quem præferat,an Zenonem,à quo improbatur, & bestia quoque nominatur, an Archesilam,à quo non modo non improbatur,sed audit, *tu fortè verum dicis, & forte non tu, sed Zeno: sed explorandum magis*, an non Archesilam præferat: ac similiter Zeno præferat,necesse est, Archesilam Epicuro: ergo sapienti Academico secundæ partes post primas sibi ab unoquoque assumptas conceduntur ab omnibus sapientibus. Rite quidẽ 92

Au-

Digitized by Google

Augustinus prorsus difficile putat, quod hoc argumento quisquam non moueatur. At fingamus religionem quandam Academicam, quæ nullam determinate colat, sed quærat, & speculetur; & Christiano dicit, *forte verum dicis; sed indagandum est magis*: an Christianus non eam magis amet, quam Iudaicam: tantumdem vero illa diceret Iudæo, & Mahometano, & Gentili, & Luthero, &c. omnes ergo eam secundo loco ponerent post suam, vtpote suæ minimè omnium repugnantem, & aduersam: illa ergo, quæ cæterarum sectarum censura secundo loco donatur, primum rectè videtur mereri: ex quo prudenter reliquis eam anteferas.

93 Tertium suppeditant scholarum, & sapientium, & hominum quorumcumque dissensiones, opiniones, & rixæ: quamcumque enim materiam elegeris, haud inuenias hominem cum homine sentientem ex toto: imo plerique dissentiunt fere in omnibus; singuli interea apud se veritatem esse, obstinatissimè tuentur: vnde ergo tot inter falsa, & errores latentem veritatem dignoueris? quin is etiam ipse, siquis demum est, qui verum tenet, merito timeat, ne cum tot deceptis ipse quoque decipiatur: nec habet vndè illud percipiat. Pone v.g. mille esse nunc in mundo theologos magna ex parte sentientes diuersa, & in multis etiam pũctis velut capitalibus, vt contingit, discrepantes: omnes forte fallũtur: sed dato quod non omnes; saltem reliqui præter vnum fallũtur: at is vnus vnde sibi tantum tribuat, aut sine intolerabili superbia potest tribuere, vt se solum sapere putet nongentis nonaginta nouem errantibus? Vel si apud singulos portionem aliquam ueritatis velis esse, & ipsi hoc concedant, necesse est, vt etiam concedant, sese multos inter errores aliquid veritatis tenere; at cum omnia eodem ferme modo teneant, nõ ipsis constat, quænam sit pars errorum, quænam veritatum: alioqui id si ipsis innotesceret, singuli parte sua errorũ omissa partem veritatis ex alio acciperent, & omnes demum hoc pacto conuenirent. Ex quo concludunt, vel verum in mundo non esse, vel illud inueniri à nobis non posse: ac proinde in inquisitione constitutam esse sapientiam; vel si stulte impossibilia quæruntur; concludat cum alijs Lucianus, inquisitionẽ etiam ipsam omittendam,

Scholarum dissidia.

Digitized by Google

tendam, & comedendum, & bibendum, & reliqua ſe-
ctanda, quæ Epicurus præſcribit. Hæc porro omnia eo-
dem, ve' maiori pondere premunt in materia religio-
num, vt quiſque facilè conſpicit.

Etenim vt ex Ariſtotele exponit S. Thomas 4. me- 94
taph. lect. 11. nulla regula aſsignari poſſe videtur, per
quam inter contrarias opiniones diſcernatur, hanc eſſe
veram, hanc falſam. Non ſcilicet, quod dicamus, illam
eſſe veram, quam plures approbant; cum quandoque
quod pluribus videtur, ſit falſum: & verum quod pau-
cioribus, ſitque in prouerbio, loquendum quidem eſſe
cum multis, ſed ſentiendum cum paucis: non itē quod
dicamus, illam eſſe veram, quam ſapientes approbant:
cum de hoc ſit quæſtio, quinam ſcilicet ſint ſapientes:
nam ſapientes illi ſunt, qui verum norunt: ego autem,
vbi & apud quos illud ſit, quæro: vnde interea ſuppo-
nere non poſſum, hos eſſe ſapientes, id eſt, veritatis con-
ſcios: hoc enim ſi ſuppono, nihil vlterius opus habeo
eorum iudicio; cum ſupponam eo ipſo à me iam inuē-
tum quod quæritabam. Hoc circa fatigatus ſum, fra-
ctuſque aliquando, dum ratio à me quæreretur, cur tan-
ti faciendus ſit S. Auguſtinus, vel S. Thomas: permultis
enim alter Sanctorum Patrum magis forte probatur,
alijs Scotus: Ochamus, vel Suarez placet alijs: vnde er-
go quis & quantus ſit vnuſquiſque, & qualis, repugnan-
tibus demonſtraueris? de quo mox alia.

*Agitur ple-
rumq; cauſa
ingeniorum,
nō veritatis.*

Hùc & illud accedit quod B. Clemens initio Re- 95
cognit. dolet, nempe in ſcholis, & vbique cauſas magis
ingeniorum agi, quam veritatis. *Igitur cum à prima ætate* (ait) *in huiuſmodi animorum intentione verſarer, cupiens aliquid diſcere, Philoſophorum frequentabam ſcholas; vbi nihil aliud, quam dogmatum adſertiones, & impugnationes videbam agi ſine fine certamina: arte ſyllogiſmorum, concluſionumque agitari verſutias: nam cum Dialectica arte in vtramque partem diſputetur, non tam qui veram defendit, quam qui acrius, ſubtiliuſque diſputat, vincere ſolet. Et ſiquando obtinebat is ſermo, quod immortalis eſſet anima, gratulabar: ſiquando verò arguebatur quaſi mortalis, cum triſtitia diſcedebam: neutrum tamen in corde meo firmitudinem veritatis tenebat; ſed hoc tantum intelligebam, quod ſententiæ, ac definitiones rerum, non pro natura ſua, ac veri-*

tate

Digitized by Google

tate causarum, sed pro ingenijs defendentium falsa imaginarentur, aut vera: eoque magis in profundo pectoris cruciabar, quod neque aliquid ex his quæ dicebantur, tamquam firmum tenere poterã; nec abijcere desiderio requirendi, etc.

dum ergo domi, & in foro cuncta plena sint Dialectica, & vbique maius ingenium vincat, nihil tanquam firmũ teneri posse, aut credi videtur, nec in corde nostro, quidquid ceteris affectamus, ad firmitudinem veritatis accedere, vt Clemens loquitur. Nullibi porro factiosius agitur, vel obstinatius tractatur, quam in materia religionis: in ea ergo minimè omnium firmitudo veritatis obtinetur.

96 Si porrò Academicus causam suam vlterius promouere volet, scientiasque ipsas ingressus modum illarum discutere, perplura nobis obiecerit plane difficilia. Et primum quidem dicat, ab ipsis scientiarum Professoribus ab alijs Logicã dici necessariam ad quamcumque aliam comparandam scientiam: à reliquis ita requisitam, vt vix, vel difficillimè illius ignaris vlla vera contigat scientia. At innumeri sine illa aggrediuntur ius ciuile, & canonicum; ceteri loco veræ logicæ non aliud, quam Metaphysicas tractationes accipiunt: neutris ergo vlla vera scientia cõtingit, ac proinde nec vlla certa veritatis cognitio, & persuasio. Iurisprudentia deinde tam ciuilis, quam canonica sine Philosophia, & Theologia, à quibus respectiue loquendo deriuantur, vel etiam subalternantur, quidquid credere, & opinari vtcumque possint, at nequeunt verum à falso discernere, aut vlla firmitudine diiudicare. Mox Philosophia cum Theologiæ præmittatur, & inaudita Theologia iaciat sua principia, ac plerumque etiam doceatur ab his, qui Theologiam nondum satis notam habent: post verò ex illis principijs in Theologia decidatur, atque resoluatur, necesse est, vt Philosophia in Theologia imperet, & ex illius præscriptis torqueatur, explicetur, amplietur sacra autoritas, dum secundum præconceptas opiniones, & præiacta principia veniant exponenda, & diiudicanda omnia saltem non expressissima. At in cõfesso est non hunc esse ordinem veritatis, in quo scilicet Philosophia potius est exponenda per Theologiam, & sacra authoritas imperat; ratio audit, & subsequitur; &

Scholarum abusus opponuntur.

vbi

Digitized by Google

vbi vtraq; concurrit, torquenda est magis ratio, quam ea authoritas. Ergo ex inuerso ordine veritatis fiet, nec in Philosophia, nec in Theologia verum inueniri. Cum rursus sublunaria omnia non solum pendeant à causis inferioribus, sed etiam, & maxime quidem à celestibus, & vniuersalibus; ad vtrarumque autem comprehensionem necessaria sit & Philosophia naturalis, & Astronomia, & Astrologia, consequitur necessariò, nec eos, qui solum sunt Philosophi, quidquã rectè iudicare; nec qui solum Astronomiam, vel Astrologiam profitentur; cõsiderãt enim partem causarum alia magna parte ignorata. Et ne hic plura cumulemus, ipsæ illæ palmares Matheseos demonstrationes ex eo demum puncto pendent, quod ex minima particula capili diuisa impleri queat totus ambitus cœlorum, & mundi: dicent autem potiùs credendum insanire omnes homines, quam in capili minima particula deuoretur tanta latens multitudo partium: si ergo in hac omnium celebratissima veritatis perceptione tantum inest periculi, quid in reliquis tutum speremus?

Sensuum errores.

Postremò inde vniuersalissimam omnium rerum incertitudinem deducebant; quod demonstrationum, & scientiæ omnis, atque assensuum principium sint sensus: at in sensibus nihil est certum; nam oculis virga sub aquis videtur intorta: colores in iride, & in colo colũbæ apparẽt, qui non sunt: index horologij cum moueatur, continuo videtur quiescere: cælorum rapidissimus motus, & tantus nõ percipitur, & adeo nihil certo dijudicant, vt alijs terra ipsa rotari videatur, & cælos quiescere: ad quamcumque vel paleæ vnius mutationem totam terrã commoueri adhuc hodie alij sapiẽtes viri iudicant: & nihil sensus percipiunt: & vno verbo motus tardissimus, & velocissimus, cum adeo opponantur, eundem causant effectum in sensibus, & vterque non motus, sed quies videtur: trochus, cum velocissimè agitur, dormire dicitur à pueris. Auribus echo videtur vox humana; & hinc fabulæ origo: homines cantum passerũ affectant, & aliorum animalium voces; & nihil discernunt, & sunt omnia confusa, tum ex causis alijs, tũ quia ars imitando naturam decipit. De gustu vix quidquam opus est ponderare, cũ passim quod vni placet, alteri

97

displi-

Digitized by Google

displiceat quam maximè: herbæ camporum nobis ingratissimæ dulces,& gratæ sunt pecoribus: ipsa stercora placent gallinis;& sic de alijs infinitis: at sensus pecorum, & animalium tam sunt à natura, & tam recti, quam nostri: herba ergo illis dulcis,& amara nobis cur magis dulcis iudicetur,quam amara: quæ de multis indicasse suffecerit. Ergo in sensibus nihil est certi: ergo nec in intellectu. Quid si forte dormimus omnes, vel delyramus? Dormiētes quippe sæpe putant se vigilare: amentes se sapere, &c. Præterea autem causam illam etiam addunt de perpetua mutatione rerum, ob quam numquam equum bis flumen idē intrare asseruit Heraclitus: acutius nec vel semel intrare pronūtiauit Heracliti reprehensor Cratylus; vterq; vero cum alijs nihil esse verum tuebatur.

98 In contrarium Pythagoras omnia esse vera ex ijsdem ferme causis intulit, veritatem in apparentia constituens, & id dicens verum quod vnicuique videtur,& apparet: vnde si tibi hoc verum apparet, & alteri contrarium; vel tibi dulce, & alteri amarum,vtrumque verum,& hinc omnia vera esse dicebat:quò nonnihil & in parte videtur inclinare S. Augustinus lib. 3. solito se acumine explicans, & defendens.

99 Hos extremos errores de nullo uero, de omnibus ueris; de uero existente, & à nobis quærendo, sed ininuenibili,insequitur Aristoteles præsertim l.4. Metaph. & nō pauca dixit satis cōsulta; at nisi fallor ego,præcipua eius laus obscuritas fuit,quò fecit, vt ex ipso quidquam sumere velut inuenire sit; à nobis autem inuenta placent nobis quam maxime: de reliquo Academicorum de veritate ininuenibili quærenda sentētiam altius multò, ingeniosius, efficaciùs conuulsit Augustinus, vt mox adiungā, & vix quidquam doceor ab Aristotele.

100 Denuò verò hæc ad causam, & materiam religionis applicando, quò etiam Augustinus mentem direxit, dum ista tractaret, eadem modò sensa hominum repereris: alij enim effutiunt, religiones omnes esse fictiones, per quamdam extremam simplicitatem creditas; alijs aliquam veram existere placet, sed in tanta confusione ininuenibilem; atq;hinc quibusdam ab inquisitione cessandum videbitur;quibusdam autem dili-

Academissmus ad causam religionis obtrusus.

Digitized by Google

gentem inquisitionem omnium religionum optimam esse; alij Pythagorizantes quamlibet vel veram esse, vel saltem sufficere errore satis hac ætate communi concludent. Et addēt singuli nullibi plus periculi esse errorum, cum nullibi sint tam iuratæ factiones, & diuisiones, vtque prætermittamus reliqua, à fide humana sunt ferè omnia dependentia in materia Religionis: at nihil est fide humana incertius, fallacius, cum ex ipsa nostra Christianorum religione omnis homo sit mendax: omnia plena arte, & fraude, & superstitione. Ergo vel vera religio non est, vel inueniri non potest, vel omnes uerę sunt, aut sufficiunt. Atque hæc in genere sunt mala, quibus genus humanū laborat in hac causa, & errati quibus proinde occurrere remedio, & rē totam à principio aperire plurimum è re nostra fore putaui, ne si obiter agens aliquid tentarem, agerem nihil.

Quid veniat ostendendū.

His ita propositis, quid sit hic nobis agendum, 101
quid intendendum, & probandum, statuamus. Frustrà in primis esset, quòd cum Pythagorizantibus contenderemus, vt foret facillimum: omnes enim religiones viciſſim contrarias, & pugnantes simul veras non esse, quidquid tempore Aristotelis hæ ineptiæ apud aliquos valerent, nemo nunc sanus contendit: putant quidem, vel dicunt satis multi, quamlibet ad salutem sufficere: qui error à nobis inferius extirpabitur. Nec item pugnandum est cum Heraclito, & Cratylo nihil esse verū effutientibus: nam & veram aliquam religionē in mundo esse, satis nos in superioribus demōstrauimus: & nemo nunc, quem sciamus, ita ineptit, vt nihil esse verum dicat, cum si nihil est verum, nec hoc ipsum liceat pronuntiare, nec agere, nec loqui quidquam: quā in amentiam lapsus fuit demum Cratylus si Aristoteli fide; aliqua; cumque exprimere volebat aliquid, digitum mouebat, ratus rei veritatem, quā enuntiare volebat, transire, elabique prius, quam absolueretur oratio: at in motu etiam digiti, qui continuus cum sit, spatium temporis requirit, idem timere, atque cauere debuerat. Solum itaque Academismus de veritatis reperiendæ impossibilitate, & reliquis his ineptijs fundatior discutiēdus est, & reuincendus: in quo nihil fermè præstitit Aristoteles: in quo vt par erat totus, vel præcipuus fuit Augustinus,

Digitized by Google

gustinus: sed Aristotelis notus est mos aliorum extremas quasdam ineptias eligendi, vel etiam fingendi ventilandas, ac magno triumpho expugnandas.

Academismus reuictus.

102 EX ipsis igitur suis principijs conuelluntur Academici. Et primo quidem, vel illam Zenonis definitionem veritatis, aut perceptionis veri censent veram, vel non censent? Si primum respondere placeat: ergo aliquod uerum iudicant, & approbant. Quod si definitionem illam haud approbant: ergo ex illa moueri non debent, vt dicant ueritatem ininuenibilem, nec ueri inuentionem desperare. Commendatio deinde illa Ciceronis nulla est, & tanto indigna uiro, vt multipliciter Augustinus demonstrat; nam sapiens Academicus à nullo sapienti aliarum sectarum secundo loco donatur, si sese ex toto explicet, & aperiat: Si Zenoni dicat; uerũ forte dicis, sed speculandum est magis, at inueniendum numquam: Et in materia Religionis ille à singulis magis improbabitur, qui nullam approbandam dicit, quã qui aliquam approbet, ut patet: ergo si Tullij ualet illatio, ex infimo loco Academico sapienti attributo à cæteris sapientibus, fiet potiùs, Academismum esse omniũ sectarum ineptissimum saltem post illam Democriti, Cratyli, & aliorum de nullo uero stultitiam. *Primò ad hominem.*

103 Inquisitio præterea ueri ininuenibilis est fatua, sicut fatuum esset, si Romã proficiscaris, quò scis te numquam peruenturum: est enim frustra operari, & oleum, & operam, ut aiunt, uolendo perdere, vt patet, & facilè ostenditur à quolibet. Illud addo, inquisitionem istam esse impossibilem, nam ut est axioma, nemo mouetur ad impossibile, nemo enim hominum uolare nititur: sed de hoc mox plura. Omnes rursùs Academicorum oppositiones in ipsorum caput intorquentur: nam uel opponunt, & arguunt ex sibi acceptis, & probatis! & tunc iam aliquid, imò multa acceptant, & approbant, & credunt; uel ex non acceptis sibi, nec probatis, nec creditis? & tunc primùm quidem mentiuntur: & deinde ipsi sibi respondeant, & taceant. At arguunt, ais, ad *Inquisitio nõ finienda est fatua, et impossibilis.*

Digitized by Google

hominem contrà nos ex probatis, & creditis à nobis. Esto sane: ergo iam saltem sciunt, & credunt, illa cuncta esse à nobis credita, & approbata. Quod si nihil sciant, nec hoc quidem sciunt: ergo taceant: quod si nihil sciunt, nec hoc quidem sciunt, se non scire, & minus multò, nec nos scire, & ueritatem esse inuenibilem: denuò ergo & semper taceant.

Nihil agere possent Academici.

Ex his consequentèr in illud etiam generalius absurdum incidunt, quòd nihil omninò liceat ipsis agere, si nihil iudicant uerum, nihilque approbant: nescient enim, quid sit ipsis agendum: imò omnia agent, & nihil: omnia quidem, quia similiter ignorant, quid sit omittendum; nihil uerò propter eamdem agendorum ignorantiã. At, vt his occurrerent, ad uerisimile, & probabile confugerunt, dicentes nihil quidem approbandum; sed tamen multa esse uerisimilia, & probabilia: id autẽ ex Augustino l. 2. c. 11. probabile uel uerisimile Academici uocabant, *quod nos ad agendum sine assensione potest inuitare: sine assensione autem dico, vt id, quod agimus, non opinemur verum esse, agamus tamen.* Cæterùm nihil hic refugij habent; qui namque uerum nunquam dignouit, quid sit simile uero, nequit dignoscere: ac deinde probabile idem esse uidetur, atque approbabile: vndè quibus nihil probatur, nihil debet esse probabile: uel probabile significat, quod prope uerum est, & magnitudine fundamentorum quasi cõcluditur, & probatur: at si uerum prorsus est ininuenibile, semper ex æquo distamus à uero, nihilque prope uerum ponitur, sed semper sumus in probationis principio: omnia ergo erũt prorsus dubia. Hoc ipsum deindè, an hoc, uel illud sit probabile, nequit ab Academicis iudicari, si nihil iudicãt: ergo nihil agere poterunt, aut loqui. Contingit ptæterea, nos æqualiter, imò magis decipi in probabilibus, quam in certis, ut patet; ergo si propter errandi periculum nihil est pro certo habendum, nihil similiter habendum erit, vt probabile: unde sicut uerum, ita & uerisimile, & probabile erit ininuenibile. 104

Probabile, & verisimile nequeunt inueniri magis, quam verum.

Sed iam omissis quamplurimis, quibus Academismus facilè confutatur, vt ad magis propria indè demũ regrediamur, aperienda est hic nonnihil, & exponenda indoles, & natura intellectus. Ergo intellectus, vt de 105

discursi-

Digitized by Google

discursiua nunc taceam, duas habet quasi partes, alteram quam apprehensiuam nuncupamus, & cum bestijs communem; iudicatiuam alteram hominis, & intelligentium propriam. Pars quidem apprehensiua ad vera, & falsa anceps est, saltem in homine; & omnia apprehendit quæcumque audimus, & quæ nobis etiã nolentibus excitantur chimeræ, monstra, puerilia, & figmenta quęque; & nunc ego apprehendo, me scribere, & non scribere; me esse Papam, & Iesuitam; esse Neapoli, & in Iaponia: nec tamen inde moueor, vt me geram tamquam Papam: quod si facerem, ex ijs continuò essem, quos amentes appellamus. Nunc quæro ab Academicis, num hanc solam intellectus partem habeant? Quod si dicant: nos precor relinquant, & secum agant; nihil illis credere poterimus, in nullo fidere, si non alia loquuntur, quam quæ apprehendunt; imo uerò, cum utrumque extremum pariter apprehendant, & loqui, & non loqui, non erit undè ad unum determinentur; fiet rursus, ipsos, cũ errores, & falsa fugiũt, erroribus, & falsis onerari, cũ pars apprehensiua verorum sit, & falsorum; aliam autẽ, qua inter utrosq; discernatur, nõ admittant. Hinc nec bestiæ erunt, sed tamquam plantæ, & vegetabilia; nã bestiæ non vtrumq; extremum apprehendunt, sed vnum; atq; inde ad ambulandum, comedendum, & reliqua sua munia mouentur, & determinantur; quare bestia non apprehendit, se esse hominem, aut quiescere dum ambulat, aut dormire cum vigilat: at homo vt nostri omnium experientia constat, & ipsi etiam Academici opponunt, dum vigilat, apprehendit, se dormire, & hinc ipsi timent, ne forte omnes dormiamus, apprehendit vera, & falsa, se esse hominem, & bestiam; Papã, & non Papam; comedere, & non comedere: vnde ad nihil determinatè mouebitur, sed erit immobilis uelut planta. At Academici mouentur ad multa, & loquuntur, & disputant, & agunt quam plurima, nec cum bibere volunt, aquam, fugiunt; nec in præcipitium eunt, vt euadant periculum, sed cauent. Habent ergo aliquam aliam intellectus portionem, quam iudicatiuam appellamus.

Apprehensio est veri, & falsi.

Academici non essent sicut bestiæ, sed omnino immobiles sicut plãtæ.

Multa iudicãt, licet negent.

106 Pars porro ista iudicatiua nequit vlla sua operatione ferri nisi sub ratione veri; nam omnis eius operatio

Pars iudicatiua vero mouetur.

Digitized by Google

tio reducitur, vel ad certò iudicandum, vel ad iudicandum cum formidine, vel ad dubitandum, & abstrahendum nullo rei propositæ assensu præstito; & ad hanc etiam ipsam abstractionem, & hæsitationem mouet verum; ideò enim abstrahis, & hæsitas, quia ex propositis extremis vtrumque tibi proponitur contigens, & possibile; ac ideo vtrobique falsum metuis, & fugis, & intellectum ab assentiendo cohibes; nam si alterum appareret impossibile, illi dissentires: & vtrique si utrumq; repræsentaretur impossibile; & ideò Academici dicunt abstinendum ab assensu, quia vtrobique imminēt errores: vnde in hac ipsa abstractione iudicium, & assensus inuoluitur, quo iudicatur, neutrum extremum esse tutum, & exploratum, ac ideo cohibendum assensum. Atque hunc assensum necessariò inuolui in ipsamet hæsitatione Academicorum probant multa; tum quòd alioquin nullam aliam operationē exercerent nisi partis apprehensiuæ, vtque nuper differebam, nihil agere, possent, nec loqui; tum quòd opponunt scholas alias, & sectas inter se pugnare; herbas easdem apparere dulces, & amaras: quòd idem est atque dicere, in utroque extremorum subesse posse errorem, & timeri: quòd dicant nihil sciri: hoc vel illud sibi videri; hoc vel illud esse probabile: videri autem non idem est atque apprehendere; nam apprehēdunt, verum esse simul, & apud Aristotelem, & apud Zenonem: non verò id sibi videtur; ergo sibi videri, aliquod est iudicium; at non cum formidine; alioqui enim, quod turpe putant, sapiens opinaretur, cum opinari sit cum formidine iudicare: ergo certò iudicant, in omnibus rebus propositis, & sectis falsum vtrimque imminere, vtrumque extremorum esse contingens, & possibile.

Digitized by Google

Qui nihil ſeſe credere affectant, plus omnibus credunt, ſuntque omnium ſimpliciſsimi.

107 NVnc verò ex his quæſtionem vtiliſſimam decidamus : qui ſcilicet plus credant, an qui affectant ſe nihil credere, vtque prudentiſſimi videantur, nullam religionem approbant? an illi qui multa credere, & aliquam religionem colere profitentur? Patet enim primos plus multò credere, & iudicare : & vt omittam dicere de alijs materijs, in materia religionũ ipſi putant, & credunt, omnes veras eſſe poſſe, & falſas. Rabinos Iudæorum fortè ſapere, fortè Mahometum, fortè Bõzios, fortè Chriſtianos, & fortè Lutherum, &c. & fortè Atheos, vel Epicureos. Ego credo Deum eſſe; tu credis, fortè eſſe, & non eſſe; ego credo, mundum ab eo conditum; tu credis, fortè ab illo conditum, fortè à nullo conditũ, fortè compactum ex athomis : ego credo, Deum Trinum, & vnum ; tu credis, fortè Trinum, fortè nõ Trinum : ego credo, Deum hominem factum; tu verò, fortè factum, & fortè non factum; atque ita de ſingulis : ſi enim vnum apparet verum, & alterum falſum, iam aliquid approbas, & aliquod verum percipis. Hinc efficitur, quòd nullum ſit figmẽtum, nulla fabula, chimæra nulla, quam ipſi, vt nihil credant, non credant poſſibilem : quod nulli credentium nec ſimpliciſſimo quidem decrepito, vel ineptiſſimæ anui accidit; nam ſi aliquid credunt impoſſibile, v.g. Deum eſſe, vel eum ſi eſt, eſſe alatum, iam hoc reprobant, & oppoſitũ approbant: quod ſi nihil approbant, nec reprobant, omnia vtròque credunt poſſibilia, dubia, cõtingentia : muſcam fortè eſſe Deum, & fortè non eſſe; Iunonem adhùc fortè parere noua numina : ſeſe fortè eſſe Deos, fortè Reges, fortè Lepores, fortè piſces. Ecce quãto plura, quãque ridicula credunt iſti prudentiſſimi. At dicent, ſeſe ita abſtrahere, vt nihil credant nec poſsibile, nec impoſsibile, ſed omittant omnia. Sed redimus ad priora. Ergo ſolum apprehendunt, nec vltra procedunt : quod oſtendimus impoſsibile. At deinde æqualiter apprehẽdimus,

Digitized by Google

dimus,verum esse inuenibile,& esse in inuenibile; quandoquidem de vtroque loquimur; ergo si ab omni alius intellectus operatione abstinent, haud dicant verũ esse ininuenibile, sed esse inuenibile, & simul ininuenibile; comedendum, & non comedendũ; colendã aliquã religionẽ,& non colendam: ipsos esse Academicos,& stoicos,& Mahometanos,& Christianos. Atqui licet omnia hæc apprehendant,haud tamẽ omnia dicunt: ergo non solum apprehendunt, sed etiam iudicant, & credunt.

Sed ego, inquis, Academicos non curo, nec Academicus non sũ, vel Scepticus, sed Atheista, qui ne sim simplicior, nec Deum credo,nec religionem vllam colo: nec in rebus alijs cum Academicis delyro,sed credo quæ video. Sis sanè qui voles: satis enim multa,& irrationabilia Atheistas approbare, & credere, quæst. 1. & 2. commonstratum est. Quid deinde credunt Deum non esse, quod etiam non viderunt? pariter namque simplex quis est in credendis citiùs negationibus atq; affirmationibus,v.g.si credas homines in India volitare vel passeres non volitare,par est stultitia. Atheistæ præterea credunt totum genus humanum falli, quod si ista esse potest, facilius erit totam vnam ciuitatem, vel regnum falli: ergo nulli credere cohærenter poterunt,nec de proprijs parentibus,nec fundis, nec de rebus præteritis, nec factis, nec gestis, nec successionibus,nec iuribus: hinc autem remouendi continuò veniunt ab hominum commertio: ergo tot & talia coguntur credere, vt illis creditis nequeant conuiuere cum hominibus,& in societate: hæc autem talia credere extrema simplicitas est; & plus multò,quam credere Deum, & inde consequentia: nec enim simplicitas,& leuitas in sola creditorum multitudine sita est, sed etiam in qualitate:& vnum credere,quo fias ineptus,peius est quam centena minora deuorare: Atheistæ autẽ credunt omnes gentes,& regna mundi falli; & falli quidem in maximis,ac summis rebus: ergo regnum vnum falletur facilè: ergo non fuit fortè in mundo nec Cæsar,nec Cicero, nec Carolus V. & fortè Auus tuus totius orbis imperium gessit; imò fortè mundus ipse nonnisi centum ante annos esse cæpit: vndè demùm ad Academismum paulisper prolabuntur. Rursus, ipsum non credere est 108

cre-

Digitized by Google

credere: & ideò non vult Atheista credere vllam religionem, quia omnes illas reputat, & credit falsas; & in singulis religionibus singula mysteria: ego credo Deum esse, ipse Deum non esse; ego credo, mundum à Deo factum; ipse credit ab infinita serie causarum peractũ; ego credo infinitum absolui, & pertransiri non posse; ipse credit, imo nihil factum, ante quod infinita quædam series non excurrerit: ego credo Deum, quem non vidi: ipse credit infinitam rerum, & causarum multitudinem, quam non vidit: ego credo mundum à Deo regi; ipse nõ regi: ego credo animam superesse posse mortem, quod non vidi: ipse credit, illam euanescere, quod etiam non vidit. Ergo omnes credimus, & multa credimus, & Academici, & Atheistæ, & Christiani: nec alij alijs simplices habendi sumus, quia credimus, vel multa credimus, sed quia ineptiora credimus, vel nimia credimus; at ostensum est, eos credere inepta, quibus scilicet creditis redduntur inepti, & ridiculi, & insociabiles. Demùm quandoquidem omnes credimus, illud est hic rursùs notandum, scilicet non credere credenda esse credere non credenda; nemo enim non credit, quæ iudicat esse credenda; qui ergo nõ credit credenda, putat, & iudicat ea non esse credenda; at iudicare non esse credenda ea quæ sunt credenda, est iudicare, & credere non credenda: sicut qui credit hominem non esse hominem, nec lapidem esse lapidem, credit nõ credenda: ergo quicunque non credit credenda, credit non credenda. Atq; eodem modo qui non credit credibilia, necesse demum est, quod credat incredibilia.

Credẽda nõ credere est credere non credenda.

209 Hinc similiter multi decipiuntur, ne decipiantur, & ipsum nolle decipi multotiès est decipi: audimus nõ semel rem fundatissimam: & fundamenta quidem talia adsunt, quæ fidem omni iure mereantur: quidam credunt, quidam non credunt, & hi, si secus res accidat, tãquam prudentissimi gloriantur: at verò præ omnibus ipsi decepti sunt; nam fundamenta digna fide iudicarunt non esse digna fide: in quo rursus enormiter errare solent, & decipi, nam rerum fundamenta cum sint diuersa, magna, parua, & minima, omnia apud hos eodem ponuntur in pretio, scilicet nullo; nam nullis mouentur, quod perinde est, atq; quantitatem magnam, &

Multorũ ad credendum tarditas imprudens.

Digitized by Google

paruam, & minimam æquales, imo nullas reputare, & credere: quòd ergo dignis fundamentis moueri noluerint, pertinacia est, imprudentia est: quòd deindè casu in re proposita non fuerint decepti, casus est; saxorum quoque laus ista est: nam nec saxa crediderunt; imo vitiperium est non credere, cum debuissent. Atque rursus non minor est simplicitas, & imprudentia in nõ credendo, quam in credendo; hinc q; multi scrupulosi fiunt inhabiles, quia omnia timẽt, & credunt nihil; & ad omnem humanæ vitæ rationem siue ciuilem, siue moralem necessarium est, nec credere omnia, nec credere nihil, nec omnibus, nec nulli: aliud est puerorum, aliud saxorum: ergo vanissimè politici, vel Academici sibi prudẽtes videntur, quia non credunt: imo falsò, & ignorantissimè dicunt, se non credere; cum plus cæteris credãt. Quòd porrò nolint credere, quia multi credendo decipiuntur, non aliud est, quam si comedere nollent, quia multi comedẽdo contrahunt morbos: nec litigare, quia multi vincuntur, nec nauigare; quia pereunt multi; nec domi esse quia forte domi sunt insidiæ; nec foris, quia ibi fortè erunt; nec nubere, nec non nubere. Vbi vanissimum Lucianum pluribus haud insequor.

Redit disputatio ad Academismum.

VT iam denique ad Academicos redeamus, & verum inuenibile ostendamus, ad illud est reuertẽdum, quo in superioribus etiam quæstionibus vsi sumus, capitale principium, quippe non omnium quærẽdam, vel petendam esse demonstrationem; nam si omnia sunt demonstranda, nihil est demonstrandum; nam nihil erit demonstrabile, sed probationis probatio sine fine poscitulabitur: quod autem non est demonstrabile, non est demonstrandum: si autem nihil est demonstrãdum, cessandum est à demonstrando: cum rursus omnia dicant probãda, & demonstranda, fiet, Academicos simul debere demonstrare, & non demonstrare: loqui & non loqui; ergo sese obligant ad impossibilia. Nemo rursùs, vt differebam superiùs, mouetur ad impossibile: at impossibilis est demonstratio, si omnia sunt demonstran-

Digitized by Google

ſtranda: ergo nemo moueretur ad demonſtrandum, ſi omnia eſſent demonſtranda. Minor eſt euidentiſſima. Maior ſimiliter; nemo enim mouetur, vt mare vno hauſtu abſorbeat; vt currentem in Moſcouia leporem capiat, vel Turcã Conſtantinopoli percutiat, Neapoli brachium mouet nemo, nec Academicorum vllus in ignem vadit pro aqua: nemo ergo (id eſt, ſciens, volensque) mouetur ad impoſsibile. At omnes etiã Academici mouentur ad loquendum, & aſſerendum multa, eaque probanda: ergo non putant impoſsibilem probationem, & demonſtrationem. Vel enim loquuntur probaturi: vel numquam probaturi, nec finituri probationem? Si nihil probaturi loquuntur, non ſunt audiendi, vt eſt oſtenſum: nec enim fide digna loquũtur. Si aliquid tandem probandum credunt: ergo non omnia ſunt probanda, vt patet: ergo aliquid eſt admittendum ſine probatione: & quemadmodum in humanis omnia credere, & nihil credere duo ſunt extrema delyrantiũ, ſic in genere omnia ſine probatione admittere, & nihil ſine probatione accipere duo ſunt extrema inſigniter oſcitantium: & omnis proceſſus in infinitum eſt ſtultus: in cauſis deueniendum eſt ad aliquam primam non factam; in tempore ad aliquod primum, ante quod nullum: in compoſitis ad aliqua prima principia ſimplicia, & quæ nec ex ſeſe, nec ex alijs fiant, vt Ariſtoteles voluit, in cuius tamen gratiam deuorent, qui volent illa ex alijs, & alijs ſine fine compoſita. Ergo & in probandis, & demonſtrandis deueniendum eſt ad aliqua non probanda, nec demonſtranda, quæ ſunt, & appellantur prima principia probandorum omnium, & demonſtrãdorum. Et ſiquid eſt in rebus exploratum, hoc eſt exploratiſsimum, & manifeſtiſsimum.

III Sed quærit hic Ariſtoteles, quænam ſint & vnde dignoſcenda veniant hæc prima, nec vlterius probanda principia? Tres eo loci aſsignat conditiones. *Firmiſsimum omnium principiorum* (inquit primo) *contra quod mentiri impoſsibile eſt*. Aſsignat deinde aliam conditionem negatiuam; & potuiſſet centum ſimiles memorare. Mox tertiam, vt ſcilicet ſit notum cunctis. In prima, vel petit principium, vel explicat idem per idem; qui enim nouit aliquid tale eſſe vt contra illud mentiri

Vnde agnoſcenda prima principia.

Digitized by Google

sit impossibile, scit quidem illud haud esse probandum; at qui ignorat, quid sit ita firmum, vt probatione non egeat, ignorat pariter, quid sit illud, in quo errare sit impossibile. Deinde secunda conditio est, vt dixi, negatiua; & per negationes nihil ritè explicatur; homo enim est non lapis, sed similiter est centũ non alia, nec equus, nec Leo &c. Tertia demùm conditio, vel sola sufficit; vel non est idonea; multa enim non probanda ignorantur à quam plurimis: si autem dicatur, ea satis explicata cunctis sine alia probatione acceptari, hoc solum sufficeret sine reliquis conditionibus. Præterea Aristoteles ignorauit, quare ea talia prima, & non probanda sunt necessario vera: nec enim huius rationem addit, nec dare cohærenter potuit; si enim natura à Deo non gubernatur, vt ipse multoties significat, nec fieri à Deo potuit: viluisset enim; & si eam fecisset, etiam gubernasset: at si natura à Deo facta, ordinata, institutaque non est, tam facilè tota illa errare potest, atq; ego: vnde quod omnes in aliquo sine probatione conueniant, nullum est veritatis argumentum, vt perspicuè liquet ex q. præc. Tam nihil tutò apud Gentes inueneris: quod intelligens Augustinus sapienter pronuntiauit, modum Philosophandi Academicorum illis fortè temporibus congruisse, illis scilicet ignorantissimis sæculis, & ætatibus: vndè enim vel quorsùm Aristoteles ostendisset, illa esse potius vera, quam falsa, quæ omnes vltrò, & sine probatione acceptat? Quia natura, inquit, non errat? Quid verò natura cæca, Numinis, & regiminis, & intellectus expers non potius erret, quam ego? Iure ergo Academici in omnibus metuebant: sed nullo planè iure Christiani apud Gentiles institui, docerique sperant; qui enim summa, & prima ignorarunt, quid de secundis rite norint, quæ à primis, & summis robur, constantiam, ordinem, cohærentiamque nanciscuntur?

Si natura à Deo non gubernatur, nõ est ei credẽdum.

Digitized by Google

Deducitur veræ religionis inuenibilitas.

112 OStendimus ergo quæſt. præc. quod apud Chriſtianos in obuio erat, conſtantiam totam primorum principiorum in eo eſſe ſitam, quòd natura non errat: ideò verò naturam non errare, quia à Deo facta eſt, & gubernatur; Deus autem nec errat, nec decipit: & ex hoc ipſo demonſtratur, Deum eſſe; vel alioquin eſſe nos omnes amentes, & delyrare. Hinc porrò ſumitur ſimili euidentia, quod à quæſtione prima reſumimus, & iuuat inculcare, ſi quæ ſunt prima, & non probanda, nec demonſtranda principia, illa ſaltem eſſe talia, in quibus gentes omnes, & regna ſemper, & vbique conueniunt; hæc enim inſtitutio neceſſario eſt à natura, & à Deo; vt retrò diſſeruimus, nec Ariſtoteles exhibuerit notam aliam magis rationi conſentaneam. Iam autem diximus, & eſt in mundo manibus velut ipſis attrectabile, in nullo à gentibus, regniſque omnibus ſemper, & vbique eſſe magis conſenſum, quam in exiſtentia veræ religionis in mũdo, & de præmijs, & ſupplicijs vitę futuræ? Quod ſi nihilominùs fabuloſa hæc ſunt, & ad multitudinis perſuaſionem; & legum robur efficta, vt Ariſtoteles 12. Metaph. ſignificat, ipſe, precor; nobis oſtendat, quid aliud ſuperſit ſine probatione acceptãdum? Si natura non errat, in hoc potiſſimum natura tota conſentit? Si aliquid nos à natura edoceri oportuit, hoc omnium potiſſimum, & ſummum erat? Si vt geometræ, & Metaphyſici eſſe poſſemus, natura curauit, inſtituit, & aliqua non probãda principia impreſſit, an vt boni eſſe poſſemus, vtque fælices, neglexit? Quod ergo omnium cardo erat, de exiſtentia ſua, & veræ religionis ingeſſit Deus irrefragabiles maximas, omnibus notas, non probandas; ſed ſine altercatione à conſiderantibus admiſſas.

Si porrò pro diſciplinis alijs præmiſit Deus illarũ principia, ex quibus homines poſſent eas inuenire, vel excogitare, à fortiori ea, quæ Deus nobis conceſſit de vera religione dictamina, & principia talia ſint, neceſſe eſt, quibus poſſint homines Deum, & veram religionem inue-

Nihil eſt inuenibile, ſi vera religio non eſt inuenibilis.

Digitized by Google

inuenire si velint; cum in hunc dumtaxat finem ea concesserit. Quibus consideratis omnibus asserendum indubitatè puto, ex toto rigore Philosophiæ, vel nullum verum esse inuenibile, sed sensus & mentem, & naturam totã forte errare, vel præ omnibus, ac potissimum esse inuenibilem veram religionem. Si enim Deus non est, nec naturam fecit, nihil tutum est, nihil inuenibile: si Deus est & naturam fecit, & hominibus prima documenta ingessit, quibus proficerent; euidens est in iis maximè edoctum hominem, quæ magis Deum decent, quæ pluris ipsorum quoque hominum interssunt, & quæ maxima, quæ summa, & capitalia sunt: in his autẽ omnium caput est vera religio: Ergo vel hæc inueniri potest, vel nihil inueniri potest: at multa inueniri possunt, & asseri, & probari, & agi, vt est cõtra Academicos demonstratum. Ergo vera religio inueniri potest.

Primum inuenibile Deus, & vera Religio.

Imò verò primum inuenibile est Deus: at Deo inuento, magna ex parte inuenta est vera religio, & reliqua facilè inueniũtur. Etenim si vt dictum est primorũ principiorum constantia Deus est, qui Deum nescit, nequit illorum veritatem certo scire; idcirco opinari quidem circa illa poterit, & si opinari turpe, & lubricum est, cessare ab omni assensu; nihil tamen certũ, & exploratum habere. Rursus autem necesse est hunc Deũ esse Deum Christianorum, & qualis à Christianis colitur, infinitus, omniscius, Omnipotens, optimus: nam si quid minus est, decipi potest, & decipere; & consequenter natura etiam ab illo facta: vnde in nullo tuti esse possumus; & forte sensus omnes errant: nam primo deficiẽte deficiunt reliqua; nec Dij illi ab Aristotele cælestibus orbibus deputati ad quidquam hic valent: vnde Philosophi qui indefectibilis, atque infiniti Dei nostri certo, & distinctè conscij non erant, nihil aliud, quam opinari potuerunt; nesciebant enim omnes reliquas veritates ad primam, quæ omnium subsistẽtia est, reuocare: ergo iure ab Augustino Academismus illis forte temporibus congruentissimus iudicatus est: ergo immeritò christianis temporibus thesauri sapientiæ, vel apud Gentiles conquiruntur, vel à Gentilibus expectantur; consultò quippe prisci illi non aliud, quam Philosophi appellati sunt, id est, Sapientiæ studiosi solum, atq; amatores; sapien- 113

Digitized by Google

pientes vero minimè: qui porro hunc omnia putant esse opiniones, sunt ignorātissimi, nec temporum agnoscunt differentiam, & cum Academicis oppugnati sunt.

114 Patet ergo ex discussis omnibus, multa vera inueniri, atque percipi; veram maximè religionem esse inuenibilem: at primum inuenibile, & quo non intento de omnibus dubitetur, esse Deum glorioſum: eo autem inuento, ex magna parte inuentam veram religionem: eo rursus admisso, euidens est inueniri ex integro posse veram religionem. Vndè veriſſima sunt Sanctorum Patrum documenta de notitia Dei omnibus naturaliter impressa: falsum est Aristotelis effatū, vt retro aduertimus, intellectum esse tanquam tabulam rasam: & iam omnes admittunt, multa esse naturaliter scripta, & edocta, & nota; cum ergo natura seorsim à Deo ignorans sit, & nihil sciat, nec doceat ea sunt proculdubio edocta à Deo: at autem ex ipsis terminis ignorantiæ meæ est valde mirabile, quod alia Deus docere, & imprimere debuerit; sui tamen notitiam, ac summarum rerū principia, & elementa tradere, imprimereque haud debuerit: audiui errorem de summis, maximisque rebus curandis à Deo, de negligēdis minimis, vt de Principibus est maxima; at à Deo minima curanda, & omittenda summa: imprimendas à Deo has necessario maximas, *totum est maius sua parte*, qua valeas geometer esse: *quodlibet est vel non est*: *quæ sunt idem vni tertio etc.* quibus Philosophus, vel Logicus esse possis, omittendum autē an Deus sit, vel non sit; an ad veram fœlicitatem suppetat hominibus via aliqua, ego fateor, non rite capio, nō satis intelligo, numquam credo. At quomodo, inquis, tam notum, & conspicuum Deum tot gentes tot sæculis ignorarunt? Cæterum ipsa etiam per se nota vincibiliter, & per culpam à nolentibus ignorari posse multi responderint. Sed consultius factum negatur: imo *hæc fuerat summa delicti*, ait Cyprianus, *cum nescire velle, quem ignorare non poterant*. Quod tam, credo verum, vt ipsam idolagamiam putem impossibilem vero Deo penitus ignoto: idolatratur enim veram diuinitatem idolis, vel hominibus, vel creaturis affingendo: nā gentes ex idolis, vel Dijs suis victorias, vitam, regna sperabant;

Digitized by Google

bant; ergo putabant esse in mundo aliquid, cuius in arbitrio essent victoriæ, regna, vita, & mors: hæc autem veri Dei sunt prædicata, ac stemmata propria: rursus credebant, oracula fallere non posse: ergo putabāt esse in mundo aliquid omniscium, quod falli, vel fallere repugnaret: hic autem proprijssime est Deus glorioſus, & ex hoc vno concesso demonstrantur euidenter, vel syllogizando conuincuntur cætera eius attributa æternitatis, immensitatis, &c. Resolue ergo idololatriam in duo asserta sic: est in mundo aliquid, quod vitæ, & mortis, & exercituum sit Dominus: cuius oracula necessario sint verissima: hoc autem tale sunt saxa, vel homo, vt Iupiter, vel Mars, vel fœmina, vt Iuno. Et primum concedunt omnes: ergo concedunt verum Deum: secundum ineptissime adiungunt Gentiles, & idolatrant: at negant Christiani. Ergo in ipsa idololatria inuoluitur necessario cognitio veri Dei naturaliter cunctis impressa, nisi quod hunc Deum sic cognitum alijs chimæris, & ineptijs implicant, & fatentur, & negant, & errāt, & delyrant.

Solutio argumentorum.

NVnc ad argumenta veniamus initio quæstionis 115
propositā. Et de vera quidem religione, & de ijs quæ illam inuentu impossibilem, vel difficilem conficere videntur, multa reseruo operis discursu commodius exhibenda. In genere autem admitto illam Zenonis de vero, vel de veri perceptione definitionem: at multa putamus esse ijs communita signis, quæ falso conuenire nequeāt: tale est quòd omnibus, & semper, & vbiq; aliquid videatur: in nullo namque huiusmodi sumus aliquando decepti; imò nec decipi possumus: quia hæc documenta ab illo sunt, quem falli, aut fallere est impossibile: idcircò veram in mundo religionem esse ita animis est impressum nostris *ex eo vnde est, vt esse non possit, vnde non est*, quæ erat definitio Zenonis: atq; per similia signa, & quæ falsis minimè congruant, veram infra religionem dignoscemus in specie, atque determinabimus. Idem de multis veris, de illis præsertim quæ

quæ nãturaliter notã exiſtimãntur, reſpondemus. Iam commendationem illam Tullij demonſtrauimus inaniſſimam.

116 Tertio loco ſcholarum ſectas, ac diuiſiones opponebant, de quibus periculoſum eſt dicere, & impeditũ reſpondere: ea etenim quæ obiecta ſunt, & alia, niſi ipſe ſum inſipiens, oſtendunt plane eſſe difficillimum veritatem in ſcholis inuenire: quod tamen, vt omnes norunt, nihil cauſis religionis præiudicat, de qua nullæ ſunt diuiſiones; & vbi diuiſio, & contentio permittitur, iam eo ipſo res ad religionem haud obligat.

117 Eſt ergo, fateor ingenuè, arduum valde veritatem in ſcholis dignoſcere, adeo vt ætates etiam noſtras illi Clementis queſtus videantur cõprehendere, non quod ſcholas ipſas, non quod facultates, & ſciẽtias liceat accuſare, ſed earum tractatores quam plurimos, quorum vitia adeo inacceſſam veritatem reddiderint. Vtque pauca ex multis delibem, magnum inde fructum mox capturus, colunt ſcholas, & diſcipuli, & Magiſtri, hoc eſt, quaſi emptores, & venditores veri, ſeù accepturi, & daturi veritatem, vt loquar circunſpectiùs. Omittamus nunc diſcìpulos multos ineptos; nihil minùs, quã ſcientias in ſcholis quæritantes permultos, qui lucri, vel honoris futuri gratia, ad quæ per errores ex æquo multotiès, atque multotiès faciliùs perueniunt, eam vitæ rationem capeſſunt: idcirco haud mirum, ſi verum quod non tam multi quærunt, inueniant perpauci. De Magiſtris vt dicamus, illi ſunt infiniti numero, & fortè eſt facilius Magiſtros, quam diſcipulos inuenire. De ineptis nihil opus eſt dicere: peccant & ipſi, & illi, à quibus docendi muneri præficiuntur. Omnes porro peccare grauiter, ſi vera, aut veris magis ſimilia non tradant, iam pridem & ritè expreſſerat Caietanus: idẽ eſt, ſi in quærendo diligentiam non adhibeant, ſi incerta pro certis, ſi non examinata pro exploratis reddant: niſi enim pecora, & fundi pluris ſint, quam mens, quam doctrina, & veritas; ijs obligationibus tenentur Magiſtri, quibus cõmunis, & nota cauſarũ ſententia Iudices obſtringit; produnt quippe alioqui iuuentutem, produnt hominũ partem principem mentẽ, produnt Rempublicã, & ex ſcholæ erroribus multa deinceps, & magna præiudicia

Magiſtrorũ obligatio.

Digitized by Google

in mores, in leges, in Patriam, in religionem, & fidem deriuantur. Ego quidem grauiùs me peccaturum crederem, si hic mentirer, magisque præiudicare, quam si furaret carlinos decem: Differt vero commentatorem inter & Doctorem: illius est, quid Autori visum sit, fideliter reddere; at Doctoris, quid sibi videatur, edicere: & peccat commentator si commutet, ac eò quidè grauius, quò Autoris maior est in mundo autoritas: atque similiter peccat Doctor, si solum commentetur, dum Doctoris gerit personam: sicut Iudex si ex aliorũ opinionibus, & non ex propria sententia definiat: vterque enim fallit, & præiudicat in re graui. At autem consultum fortè esset, si illi, qui viribus nõ valent, nec ipsi ritè quærere, & discutere causas possunt, ad Autorem aliquem exponendum, & ex illo dicendum cogerentur. An porrò iura illa, & similia quamplura in scholis obseruentur, & seruentur, mihi quidem liceat ignorare? an diuisiones ex condicto contra illa sint, viderint sapientiores? an si hæc & similia confunduntur multoties, si in partes iurata sint consilia; si solum ex ingenio, vel ex vno quinternione nihil ferme examinando deciditur, inueniri verum queat; licuerit mihi concludere, id fore difficillimum, & ad Academizandum fermè cogi homines.

Verũ est inuenibile in scholis.

Nihilominùs non est impossibile, veritatẽ in scholis inuenire, atque per ea illam signa dignoscere, quæ numquam fallant, si in Theologiâ v. g. loca eius probe noris, si ordinem serues, si sacra primùm doctrina, si sensu deinceps Ecclesiæ, si sacris Conciliorum Canonibus, si Patrum documẽtis, & sic vltrà ordine suo vtaris, & explores, idque seriò, & ex animo, ac diligenter: si bonos Autores, & libros consulas: ores verò in primis Deum, à quo omne bonum, ac potissimum sapientia: Et quidem inter bonos, & malos, inter veri, & partium sectatores tam facilè discernitur, atque inter cibos, si gustum quis habeat, & palatum. At si nihil discernas, si Doctores illi celebratissimi haud placeant, si theologia veritatis ijs Auerrois conferta non displiceat, si à Christo collatum mundo lumen non agnoscas, si illius comparatione Gentilium doctrinæ tenebræ non videãtur, procul erraueris à vero; atque per similia signa suos 118

quis

Digitized by Google

quis errores, vel ſapientiam deprehenderé poteſt. Multos porrò chriſtianis temporibus fuiſſe ſapientiſsimos, magnarumque rerum certiſsimos, tam facilè multi vident, quam facilè videmus lumen ſolis in meridie. At ſicut cæcis impoſsibile eſt lumen oſtẽdere, ita malè affectis, vel ineptis demonſtrare planè nequeas, quis vel quantus ſit Auguſtinus, vel Thomas: quam ſyncerè veritatem quærat Suarez; quam factioſi ſint alij, quam indiligentes, quam oſcitantes, quam ignari multi: quos inter nihil diſcernentibus id demonſtrare eſt impoſsibile. Quod autem decepti quoque ſibi ſapientes videantur, & ſint firmitèr de erroribus perſuaſi, nihil ad dubitandum mouet ſapientes: ſicut quòd dormientes ſibi multoties videantur vigilare, non mouet vigilantes ad dubitandum, an dormiant, vel vigilent; & ſi dubitarent, tradendi forent Medicis. An verò hi etiam veritatis conſcij ſapientes in aliquo erreut? negauerint quidem alij: ſed ex eo videtur ſine dubio concedendum, quod in aliquibus inter ſe pugnẽt, & diſcordent: at fortè de illis nõ fuerant certò perſuaſi, & opinabantur magis, quam decernebant: errores deindè corrigunt, & retractant, vt Auguſtinus veritatis amator infractus.

119 Hinc Clementi concedimus, eam veritatis firmitudinem, quæ ad religionem poſtulatur, & quam ipſe conquirebat, in ſcholis haud comparandam, vt mox exponemus: inferiorem etiam aliam, & qua ſapiens eſſe queas, eſſe adquiſitu difficilem, & vera primum religione non inuenta forte impoſsibilem, ſi de maximis, & ſummis rebus loquamur, quarum ſcilicet ſcientia ratione conſequenti conſtat inferius exponenda.

120 Concedimus ſimilitèr in ordine, ac methodo ſciẽtiarum peccari multotiès, vitio tractatorum, non ſcientiarum. Nam ſi abſque Logica alias facultates aggrediuntur, quis prohibet, illam primò addiſcere? Si Iuriſprudentiam ſine Philoſophia morali ineunt, hoc non crimen ſcientiæ eſt, ſed profeſſorum alia magis quam veritatem, & ſcientiam ipſam conquirentium: & ſic de alijs. Philoſophia quidem præmittitur, & præmittenda eſt Theologiæ: at vbi pugnant, corrigitur Philoſophia per Theologiam, quæ firmiora ſortitur principia ſermonis Prophetici: ſi ſecus fiat, ac Philoſophia impe-

Conceditur in ordine ſcientiarum peccari plurimum.

Philoſophia per Theologiam corrigenda, non contra.

Digitized by Google

ret, culpa erit Philosophi,& minimè Philosophiæ. Ad ea quæ de Philosophiæ naturalis incertitudine addebãtur, vt de me & pro me respondeam, ego hac in parte cum Clemente sum: vix enim quidpiam prorsùs firmũ in ea inuenio, vel dignoscere saltem valeo: nam materia illa prima, quæ prima reliquorũ est basis, nullo certo principio demonstratur, & meliora fortè sunt, quæ contra eam,& illius autorem Aristotelẽ Iustinus Martyr quondàm allegauerat: quòd ex tribus principijs,& non pluribus, nec paucioribus, omnia fiant defenditur magis,quam ostenditur: priuationem,quæ nihil est,esse principium,vix vnquam satis intelligas, cum manifestius sit illud,nullius entis nullas esse proprietates: iam deinde cum Aristoteles entis continui,vel integralis infinita inducat principia, quæ vocat infinita in potentia & nõ actu,cur simile commentum non inuehatur in cõpositionem essentialem? Mox ex his tribus principijs duo conuertit in causas: hinc multorum remorsus vix intelligẽtium,ea, ex quibus res componitur,causas esse posse compositi: & forte meritò: indè difficultas causã in communi definiendi, dum in causarum numerum ascita sint elementa,ex quibus res fit à causis suis. Reliqua octo librorum fundantur in quibusdam ex motu sumptis principijs: quòd non sit motus omnium possibilium tardissimus,& item velocissimus, haud assequor demonstratum ab Aristotele: quibus sublatis cuncta labascunt: video ex his principijs itum esse ad falsissima, scilicet ad æternitatem mundi, ad tollẽdam Deo libertatem; atque similia: ducimur etiã ad partem capilli, quæ diuisa compleat cœlos, quod ipse nisi à Deo reueletur, credere nunquam hominibus potero; quomodò etiam in rarefactione,& condensatione eadẽ non aucta quantitas plus,vel minus loci occupet, liceat ignorare, nec credere: quid tempus sint,& locus nihil ex Aristotelis Philosophia intelligo; & veriora,& altiora visa sunt Augustini de tempore documenta. Potissima operationum omnium principia calor, & frigus cum designentur, vide nus carnes,quæ in feruenti olla, magnoque igne tam serò absumuntur, citiùs multò in alia cõuerti in debili stomacho;& item ipsas stomachi teneras carnes haud absumi: fortissimas alias immissas absumi

Totius Physicæ incertitudo.

quan-

Digitized by Google

quantociùs: aurum numquam in fornace, de facili in quadam aqua colliquefieri: in illa plumbum tam resolutu facile metallũ haud eliquari: perfacilè vero in alia aqua. Sexcenta inuenias huiusmodi sine solutione, sine exitu: cogimur passim ad occultas qualitates, ad latentes, & ignotas causas in obuijs, & quotidianis effectibus refugere: alij mox pro omnium supplemento ad causã primã aufugiunt: vnde Philosophia hæc se ipsam fatetur ignorantissimam. Propter quæ & similia, vt de me, & pro me respondeam, fateor ingenuè mihi suspectam videri hanc Aristotelis, quam terimus, viam: & vix quid quam firmitus animo impressum est meo: alij autẽ pro sese causam egerint, vt placebit. Idem porro fuisset de Philosophia morali, atque de Metaphysica, si de bono, & malo, de fine, & medijs, scilicet de moribus, ac virtutibus; si de diuinis, & altissimis, ac futuris rebus Deus noster haud dignatus fuisset nos luculenter instituere.

121 Nec vero frustra, & solùm, vt loquerer, aut carperem, hæc pauca de scholis, earumque periculis delibaui in præsentia, sed viam cum Augustino lib. 3. cap. 5. & 6. straturus ad sequentia, in quibus ostendendum est, veræ religionis doctrinam in humanis discursibus, & scholarum contentionibus haud esse fundatam; neque quærendam: imò etiam loquendo in genere, verum vix nisi Deo speciali cura instituente, & tradente dignosci. Induxerat quippe Alipius Academicorum sustinens partes, Proteum in specimen, & personam veritatis; qui vt fabula erat, cũ passim in omnes se figuras in arborem, in leonem, in taurum, in hominem, & reliquas vicissim cõuerteret, dignosci, vel capi non poterat nisi aliquo indicante Numine: per Proteum autem veritatẽ significatam volebant sapientes. *Quis autem verum possit ostendere* (ait ergo Augustinus) *abs te, Alipi, dictum est, à quo ne dissentiam, magnoperè mihi laborandum. Etenim Numen aliquod, aiisti, solum posse ostendere homini, quid sit verum, cùm breuitèr, tùm etiam piè. Nihil itaque in hoc sermone nostro libentiùs audiui, nihil probabilius. & si id Numen, vt confido, adsit, nihil verius.* Ecce quorsum Augustinus, vt Theologum Christianum decuerat, mentem direxit in

tribus

Digitized by Google

tribus illis contra Academicos libris: eodem noſtra quoque hùc vſquè reſpexit oratio.

Hinc ad ea, quæ de ſenſuum erroribus poſtremo loco opponebant, cum hæc ſit materia ab argumento, & inſtituto noſtro remotior, paucis reſpondendũ eſt, ſenſus ſcilicet omnes eſſe ab Autore certiſſimo, ſapientiſſimoque diggeſtos, conſtitutos, diſpoſitos: inde illos, ſi eos excipias, qui defectu cauſarum ſecundarum vitiati, & malè affecti euadunt, eſſe rectiſſimos; ſicut de natura reliqua, & intellectu noſtro commonſtrauimus. Virga ſub aquis apparet quidem intorta; in iride comparent colores, qui non ſunt: at, vt Auguſtinus ſcitè reſpondet, apparentia iſta eſt conformis rebus, & cauſis eo temporis adſtantibus; & error potiùs eſſet ſenſuum, ſi ita non appareret: ſicut ſi diſtantiæ perſpectiuæ non tales apparerent: vident ergo veriſſimè etiam bruta non ſolum veros, ſed apparentes quoque colores; apparenteſque tortuoſitates, nec vlterius quidquam iudicãt, nec ibi eſſe quidem veros colores; ac ideò in nullo errant. Homo verò, ne id ita iudicet, & erret, ac fallatur, intellectu pollet, quo facilè dijudicet. Ex quo ea, quæ de motu, & auditu obijciebant, eodem pacto diſſoluuntur. De guſtu fatemur quidem atque videmus herbas nobis ingratas eſſe pecoribus gratiſſimas, & ſic de alijs; at, quod niſi Omnipotens Deus facere non valuiſſet, nec niſi infinitè ſapiens excogitare, oportuit, ſingulis fermè ſpeciebus animalium diuerſos placere, & conferri cibos, alimentaque diuerſa, vt eſſe poſſet victus omnibus ſufficiens, nec aliæ ſpecies alijs adeò eſſent infenſæ, vt conſeruari nequirent. Idcircò in ſingulis eſt conſtitutio guſtus diuerſa: & non falsò, ſed verè alijs grata exiſtunt, ingrata alijs eadem alimenta. Verè ergo dicimus, hoc vel illud eſſe gratum; hoc aliud inſipidum, ſed, vt ſenſus eſt loquentium, reſpectiuè intelligendo, & frequentius quidem de homine, & ea excludendo, quæ ægrotis, & malè ſanis placent, vel diſplicẽt. Sed iam mox conferendo ſenſus cum ſenſibus, & guſtũ hominum cum reliquis, vel reliquos inter ſe, vtri præſtent, non noſtrum eſt, ſed Philoſophorum diſcutere, decernereque. 122

An

Digitized by Google

123 An demùm, in quo maxime reluctantur Academici, deceat, opinari virum sapientem, sitque consultius, assensum quidem suspendere, operari tamen secũdum ea, quæ probabilia, vel probabiliora iudicata sunt? est similiter à proposito nostro remotum, & idcircò hic omittendum, & alibi, aut ab alijs explorandum: & certè suspicor delicatioribus ingenijs nauseam efficere hæc veritatis nondum inuentæ probabilia, nec satis cocta cibaria, & rarò fortè assensum præstare. Imo verò, an possint, sitque illud voluntati in intellectum arbitrium, vt ad veritatem non certam, nec inuentam, sed probabilem illum determinet, & cogat, vt recepta fert opinio, forte non satis discussum, atque examinatum est. Ex hoc porrò, atque ex alijs hactenus discussis, cum nullibi fortè, quam in morali Theologia opinandi magis licentia præiudicet, & percrebuerit, nullibi sit culpabilius vera non quærere, vera non prodere; diligenter non quærere, circunspectè non loqui, in promptu erat, sed longum, vtiles illationes conficere.

QVAESTIO VI.

Vtrum ex dictis consequatur, doctrinam veræ religionis non esse naturalis rationis, & discursus, & inuentionis, sed superiorem, ac diuinitùs traditam, & credendam?

124 SI quæ diximus, vana haud sunt, & inania, illud mox consectarium licet desumere, doctrinam numinum veræ religionis non humanæ rationis, & conuentionis esse, sed superiorem, & diuinam; non scholarum, aut librorum contentionibus depromendam, sed delapsam è cœlo, traditam à Deo, credẽdam ab homine. Quod de facto saltem ita esse cum Christianorum negauerit nemo, frustra esset, si scripturæ id testimonijs, atque SS. Patrum constabilitum irem

suf-

Digitized by Google

ſuffragijs. Noui verò, quãti interſit doctrinam iſtam præmittere, explicare, cõmunire modis omnibus: voces enim illæ, *ratio naturalis*, *ius naturale*, vtinam non nimiũ ſapientiæ, atque moribus identidem offeciſſent! multi ſcilicet quod ſibi videtur, rationem naturalem, & ius naturale appellant continuò: ad hæc rationis, & iuris naturalis tribunalia appellant paſſim: omnia inde iura, omnes inde doctrinas vel exponunt, vel corrigunt, vel commutant; & ò vtinam non eludant quoque & conterant? Hi porro rationis naturalis amatores, ac exaltatores nimis, quam ad nihil non ſufficientiſsimam, & ad omnia inuenienda, & excogitanda valituram, iudicant, humanæ conditionis, & ſortis æſtimatores certè peſsimi, atq; miſerandi, vellent, quod murmur ineptiẽtium animarum ſobolui cum dolore aliquando, vellẽt, inquam, doctrinam etiam ipſam religionis eſſe in ratione naturali fundatam, Deum admitti, ſi demonſtretur; animam immortalem concedi, ſi demonſtretur; hincq; de demonſtrationibus immortalitatis animæ tam ſunt ſoliciti. Hinc rurſus, cum Deus poſt redemptionẽ nullum fortè beneficium nobis contulerit tam præclarum, quam quod Magiſter dignatus ſit fieri noſter, & altiſsima quæque, & diuiniora reuelare, onus putant, & præiudicium ingratæ animæ, quod ad credendum cogantur, cum vel Magiſtris hominibus credere iubeamur, & ſit credendum neceſſariò, ſi quidquam ſumus profecturi. Inde ſimiliter nihil non aggredimur examinandum, & quæ ſupra cœlos ſublata latent, & quæ demerſa in profundo, in ea auidius inuolantes, quæ nobis ſunt magis, ac magis abſcondita, cum non minus, quam mari, ſint rationi naturali præſcriptæ leges, conſtituti termini, & aſsignata confinia: quid porrò magis interdictũ, quam futura? at quid aſſertum iactantius? auditum iucundiùs, exploratum inſaniùs per tot illas Aſtrologorum tabulas! & creditum leuius non à vulgaribus ſolum, ſed à viris maximè Principibus?

Multi nimiũ extollunt rationẽ naturalem, & ius naturale.

Faceſſat ergo humanum ingenium, ſileat murmur: agnoſcat ſuam homo pauperiem: norit diuini Magiſterij indigentiam; ſciat intellectum, rationem, ingeniũ præclara quidem eſſe Dei munera; at ad religionis fundandam doctrinam inſufficientia. Fiet enim ita vt per- 125

Doctrina religionis nequit fundari in ſchol.s.

Digitized by Google

perlibenter post credemus, vbi innotuerit secundum ipsam, quam iactant, rationem naturalem esse, quod credamus. Age ergo ex quæst. præc. inferamus, doctrinam veræ religionis esse, qualem diximus, non humanæ rationis, & discursus, sed diuinitùs traditam, & credendam. Hoc in primis, vt iam dixi, agnoscunt Christiani omnes veri, & falsi: agnoscunt Iudæi; agnoscunt Mahometani: Imo nec Gentiles negabant; nulla enim nec Gentium est, vel fuit tam humanitùs instituta religio, quæ oracula, & leges Numinum non quæsierit, non audierit, in ijsque sese potissimum haud fundauerit: ipsi nimirum Græci, qui sapientiam, id est, rationem, & demonstrationem quærebant, oraculis quā maxime abundarunt: & siquam eorum Philosophi colebant ex animo religionem, nō eam ad scholam vnusquisque suam, eiusque sententiam efformabat, sed ad fabulosam illam Numinum doctrinam, & normam; cum haberent, vt est pulchra sententia Augustini, scholas pugnantes, sed tēpla communia. Ergo illatio nostra, siue positio est secundum sensum, & consensum gentium omnium, & religionum.

126 Iam ipse scholarum Præceptor, atque institutor præcipuus, & Angelicus Thomas factæ illationis nobis conferat firmamenta. Cum itaque 2.2.q.2. art.3. & 4. duo vtilissime distinxerit, vtrum scilicet oporteat, hominem credere aliquid supra rationem? & vtrum rursus, ea etiam ipsa, quæ sub rationem, & intelligentiam nostram cadunt, similiter oporteat nos credere, & per modum fidei accipere? vtrumque affirmauit, & probauit; atque de ijs primum dicamus, vel dicat, quæ omnibus gentibus sunt communia, ac sub omnium cadunt rationem.

127 *Dicendum* (ait) *quod necessarium est homini accipere per modum fidei non solum ea, quæ sunt supra rationem, sed etiam ea, quæ per rationem cognosci possunt: & hoc propter tria. Primò quidem, vt citius homo ad veritatis diuinæ cognitionem perueniat; scientia enim, ad quam pertinet probare Deum esse, & alia huiusmodi de Deo* (scilicet Metaphysica, & apud nos Theologia) *vltima hominibus addiscenda proponitur, præsuppositis multis alijs scientijs: & sic non nisi post multum tempus vitæ suæ homo ad Dei cognitio-*

Triplex illationis, & doctrinæ nostræ probatio ex D. Tho.

Digitized by Google

gnitionem perueniret: quod cum absurdum sit, & ex scholarum ordine consequatur necessario, sit doctrinam religionis, quæ potissimum de Deo, atque de diuinis decernit, haud esse fundandā in scholis, vel scientijs. *Secūdò* (ait) *vt cognitio Dei sit communior: multi enim in studio scientiæ proficere non possunt, vel propter hebetudinem ingenij, vel propter alias occupationes, & necessitates temporales vitæ, vel propter torporem addiscendi, qui omnino à Dei cognitione defraudarentur, nisi eis proponerentur diuinæ per modū fidei*: non ergo est ex scholis haurienda doctrina veræ religionis, nec in naturali inuestigatione fundanda, sed credenda. Sed has rationes, inquis, non esse metaphysicas. Largire, veras esse, & valeto. *Tertio modo* (ait) *propter certitudinem; ratio enim humana in rebus diuinis est multum deficiens, &c.* quam nos rationem quæst. seq. prosecuturi sumus luculentiùs.

Multiplex confirmatio. Quibus fulti rationibus, & authoritate tanti Doctoris nonnihil amplius differamus hoc circa ex quæst. superiori. Vera religio ab omnibus est inuenibilis: ergo doctrina illius ab omnibus est inuenibilis, qua quippe non inuenta nequit illa haberi. At doctrina scholastica, & controuersa non ab omnibus est inuenibilis, sed à paucis, & magnis, vt quæst. præc. est commonstratum: ergo doctrina veræ religionis non est doctrina scholastica, seu scholarum discussionibus, atque humanis contentionibus comparata, & explorata. Rursus veram religionem, & eius doctrinam omnes putant à se habendam, & si non haberetur, quærendam, siue viri, siue fœminæ, siue agricola, nautaue, & sartor, & ancilla; at non omnes putant, à se haberi scientias, vel quærendas, si non habentur; ergo veræ religionis doctrina non est scita, nec habita per scientiam, & discursum: ergo credita: non hominibus, vt patet: ergo Deo. Vix rursus, vt dicebat Clemens nosque comprobauimus, quidquam in scholis, & scientijs, nisi auxilium diuinæ doctrinæ accedat, ad firmitudinem veritatis peruenit: doctrina autē veræ religionis, cum nō sit opinio, necesse est, pertingat ad eam firmitudinem. Tam deinde in scholis, & humanis controuersijs veritas est agnitu difficilis, vt nisi à præstantissimis, & studiosissimis vix vnquam certò dignoscatur, opusq; est aliquo indicante Numine, vt Augusti- 128

Digitized by Google

guſtinus cum Academicis concluſit: ergo ſicut prius. Dicant deinde ex qua ſcientia naturali, & humanæ inſtitutionis promi queat doctrina veræ religionis? Non à Phyſica, & inde ſubalternatis, nec à Iuriſprudentia, vt liquet: quid enim in illis de Deo, de diuinis, ac futuris rebus? Supereſt, vt ad Philoſophiam moralem recurratur, vel Metaphyſicam. At autem moralis Philoſophia naturaliter inſtituta, & diſcuſſa ſine ſuperiori doctrina, eſt ignorantiſſima, & ſine fine, & exitu, atq; ſolutione, vt magis quæſt. ſeq. exponam: atque idem eſt de Metaphyſica, in qua nihil præter opiniones, & inuolucra inuenias de rebus ſumnis, vt docti videre poſſunt ſi volunt, & exponemus, & viſum eſt in ſuperioribus. Ergo doctrina veræ religionis non eſt ſcienda, aut comparãda per vllam ſcientiam: loquor vero in ſenſu formali, & de illa quà tali; nam nihil prohibet illam iam creditam in ſchoſis quoque explicare, explorare, defendere.

129 Verùm actum eſt, inquis: nam naturam totam, atque rationem naturalem ſubuerſum imus. Audiamus ab ipſo S. Thoma oppoſitionem. *Videtur* (ait) *quod ea quæ ratione naturali probari poſſunt, non ſit neceſſarium credere: in operibus enim Dei nihil ſuperfluum inuenitur multo minùs, quam in operibus naturæ: ſed ad id, quod per vnum poteſt fieri, ſuperfluè apponitur aliud: ergo ea, quæ per rationem naturalem cognoſci poſſunt, ſuperfluum eſſet per fidem accipere.* Reſpondet, inueſtigationem naturalis rationis humano generi haud ſufficere ad cognitionem diuinorum, etiam eorum; quæ ratione oſtendi poſſunt, & ideo non eſſe ſuperfluum quod ea credant. Quo loci Caietanus dubium nouitiorum (ait) occurrit: quia Deus, vel natura defeciſſe videtur in neceſſarijs naturalibus, ſi vera eſt præſens littera. Soluit libito ſuo de littera diſponens, vt ſæpe ſolet, ineptis, & mulieribus concedens non ſufficere inueſtigationem naturalis rationis ad cognitionem diuinorum, & ſic, & hoc ſenſu nec humano quidem generi; at aptis, vt ipſe fuit, inueſtigationem illam voluit ſufficientiſſimam. Sed vidit proculdubio acutus homo, hanc non eſſe litteram, ſed gloſſam ſuam. Nam apti quoque nonniſi poſt multum vitæ tempus ad diuinorum cognitionem per ſcientiam perueniunt; quæ eſt prima Doctoris ratio: ergo etiam

Opponũt rationem naturalem ſufficere ad fundandam doctrinam religionis.

Caietani diſtinctio.

Tamẽ præfertur Sancti Thomæ, vniuerſalis aſſertio de inſufficiẽtia rationis naturalis.

Digitized by Google

illis non fuit superfluum, sed necessarium, quod diuina per modum fidei acciperent: nisi Caietanus duodennis esset iam perfectus Metaphysicus. Item ratio humana in rebus diuinis est multum deficiens, non solum in mulieribus, sed in viris quoque, & ingeniosis: quæ est tertia ratio Doctoris; cuius signum esse ait, quod Philosophi naturali ratione perscrutantes in multis errauerũt: vt ergo esset indubitata, & certa diuinorum cognitio, quæ est Doctoris consequentia, oportuit, quod diuina illis per modum fidei traderentur. Deinde solutio Caietani consequenter concedit naturalem inuestigationem sufficere ad religionis integram doctrinam hominibus ad fœlicitatẽ naturaliter necessariam. At oppositum nos quæst. seq. commonstrabimus: oppositum satis etiam quæst. præc. probatum est: oppositum S. Doctor mox exponendus toto art. præc. contendit: scio ab eo adhibendam eam explicationem, quam in simili, & connexo adhibet 1. p. q. 12. sed verò alio opere si Deus concedet, ostendemus, quantum in his, horumque causis maximis glossa pugnet cum littera. Demum ex dictis liquet abunde veram religionem constare non posse doctrina scientiarum, ac naturalis inuestigationis. Et certe quandoquidem apud Christianos nunc peroramus, illud mea sententia S. Th. resolutionẽ de inuestigationis naturalis insufficiẽtia cõfirmat validissime, quod de facto, cũ sint scholæ nostræ tanto reuelatæ doctrinæ lumine adauctæ, tamen non sit facile, sed perdifficile via scientiarum ad liquidam, distinctam, & exploratam diuinorum cognitionem peruenire, vt satis est ostensũ quæst. præc. & ò vtinam non tam experientia comprobatum! Iam totum illud lumen tolle; nihil nos Deus vlterius instituerit: & vide, quantum valitura sit humana inuestigatio. Dubium ergo Nouitiorum erat; quia Deus & natura defecisset in necessarijs naturalibus, si littera consisteret. At S. Thomas illud dixerit nouitiũ, quod in necessarijs naturalibus connumeretur certa, & explorata, & cõstans diuinorum cognitio; quia humana ratio est multum deficiens in diuinis rebus: sed id non sit ita ex natura ipsa rerum; at dicet, solum à nouitijs inter Christianos ignorandum, quod genus humanum de facto cum malis alijs ignorantiæ quoq; vulnus

Inter naturalia connumeranda nõ est doctrina religionis.

con-

Digitized by Google

contraxerit: ex hac ergo saltem suppositione, naturalem inuestigationem non sufficere: certè ad eam rerum firmitatem, & constantiam, quam doctrina religionis expostulat, inuestigationem eam imparem esse exploratis exploratius est; eam rursus doctrinam inter necessaria naturalia ponere, ac numerare consultiùs S. Thomas inter absurda reponet.

130 Hinc non absurdum, sed consectarium est, atque verum, in hac saltem lapsæ, vt vocamus, naturæ conditione, & constitutione, qualem ipsi quoque non Christiani, si non credunt, saltem experiuntur, neminem humana solum institutione, & inquisitione sine superiori auxilio perfectum Metaphysicum, id est, diuinorum rite conscium, ac vno verbo sapientem posse euadere. Cõsequitur hoc ex positis, ac magis cõmunietur quæst. seq. Id porro, credo, docent Theologi communiter ad 1.2. q. 109. vbi de insufficientia naturæ ad veritatum etiam naturalium cognitionem disputãt, & decernunt: ex quibus saltem quod intulimus, sequatur, ac admittatur, necesse est: de quibus enim veritatibus ibi decernitur, si non de summis diuinis, & humanis, quarum agnitionem sapientiam maiores nostri compellarunt? de quo rursus auxilio Dei mouentis definiunt nisi de superiori, quodque naturæ vires, ac facultatem excedat? cũ auxilium Dei naturaliter mouentis, ac prouidentis, vel ad mouendã festucam vnam, postuletur ex placito omnium communi: Et quid precor in sacris litteris exploratius, quam sapientiam esse donum Dei? quid ab ipsis etiam Gentilibus agnitum magis, & commendatum magis à Tullio? Sed denuò quæst. seq.

Vera sapientia nequit cõstare sine doctrina superiori, & reuelata.

131 At aliam quoq; causam D. Thomas protulit, quare naturali inuestigatione nequeat doctrina religionis constare: quia nimirum religio opus habet cognitione eorum etiam, quæ ratio naturalis haud assequitur; non autem est doctrina ex suppositione, vt volet Caietanus, sed per se, & ex natura iterum ipsa subnascens. *In omnibus naturis ordinatis inuenitur*, inquit, *quod ad perfectionẽ naturæ inferioris duo concurrunt. Vnum quidem, quod est secundum proprium motum; aliud quod est secundum motũ superioris naturæ, vt aqua secundum motum proprium mouetur*

Alia probatio necessitatis doctrinæ reuelatæ.

Digitized by Google

uetur ad centrum, & ſecundum motum Lunæ mouetur circa centrum ſecundum fluxum, & refluxum. Similiter etiam orbis planetarum etc. Natura autem rationalis habet immediatum ordinem ad vniuerſale eſſendi principium, ſcilicet Deum: cuius rei hic cauſam illam ſignificat, aliàs explicatam fuſius, & à Caietano verè, & ſcitè ibi confirmatam; quippe quia cognoſcit vniuerſale boni, & veri rationem. Infert iam: *perfectio ergo rationalis creaturæ, non ſolum conſiſtit in eo, quod ei competit ſecundum ſuam naturam, ſed in eo etiam, quod ei attribuitur ex quadã ſupernaturali perfectione bonitatis diuinæ. Vnde* (quod valde doctrinam iſtam fulcit) *& ſupra dictum eſt* (imo etiã demonſtratum) *quod vltima beatitudo hominis conſiſtit in quadam ſupernaturali viſione Dei, ad quam quidem viſionem homo pertingere non poteſt niſi per modum addiſcẽtis à Deo Doctore, ſecundum illud Ioan. 6. omnis qui audit à Patre, & didicit, venit ad me. Huius autem diſciplinæ fit homo particeps, non ſtatim, ſed ſucceſſiue ſecundum modum naturæ ſuæ. Omnis autem talis addiſcens oportet, quod credat ad hoc, vt ad perfectam ſcientiam perueniat; ſicut etiam Philoſophus dicit, quod oportet addiſcentem credere. Vnde ad hoc, vt homo perueniat ad perfectam viſionem beatitudinis, præexigitur, quod credat Deo tãquam diſcipulus Magiſtro docenti.* Quibus nihil potuit dici ſapientius; aut chriſtianæ doctrinæ cohærentius, aut rationi naturali conſonantius: quòd ſi nõ audient, ſed contemnent magni quidam Metaphyſici, non inde multùm contriſtabimur. ...

Deniq; ne in re perſpicua prolixiores euadamus, liquet, non omnes poſſe, nec debere, vel ſcholas frequentare, vel ſcientias addiſcere. Ex quo illud ſequatur, neceſſe eſt, vt illi in fide eorum religionẽ fundent, qui ſcholas profitentur, vt patet. Ergo, quod eſt abſurdiſſimum, illorum in primis religio in ſola humana fide, & opinione conſiſteret, & minimè ſubſiſteret; cum rursùs ſcholaſtici pugnent, diſſentiantque viciſſim, nec ignorantes inter illos dijudicare valeant, non eſſet, quare alijs præ alijs crederent: ab humana deinde nec omnium conſentientium authoritate, quidquid credere prudentèr poſſent, at obligari non poſſent, indeque li- 132

ceret

Digitized by Google

ceret cunctis Atheiſmum, vel Epicureiſmum amplecti: quod item hodie vnius aſſertione videtur verum, alterius cras impugnatione falſum apparet, eademq, cauſa, vt quæſt. ſeq. dicet Clemens, nunc iuſta, nunc iniuſta videtur, &c. Ergo indocti nequeunt hac via religionem vel quærere, vel dignoſcere, vel ritè aſſequi. De doctis, & ſcholas profitentibus haud minor eſt difficultas; hi namque vel autoritate ducuntur, vel ratione. Primum ad modò dicta relabitur. Si porro ratione agatur, magna in primis ſequitur confuſio; vix enim duo aliqui eiuſdem ex integro ſenſus, & religionis erunt, vt experientia demonſtrat in rebus, quæ ſola ratione diſcutiũtur; vnus mox ipſe, ſi diligenter veritatem inquirat, nouo examine nouos induit ſenſus, & opiniones mutat. Sed vero quid in his immoremur? Siue enim priſcas Philoſophorum ætates conſideres, ſiue noſtras, in quibus ſunt ſcholæ viciſſim pugnantes, quis ad vnam alicuius ſectæ profeſſionem obligetur? rationi rationem opponunt: hinc fortior vrget ratio, maius inde authoritatis pondus, & nihil ferme aliud inuenias, quam certamina, quam lites, quam opiniones? Excipio illa in Chriſtianorum ſcholis, quæ in doctrina diuina fundantur, quæ grauia ſunt, & magis conſtantia, ac vniformia. Quæ omnia ſeq. qu. manifeſtiora reddentur.

Digitized by Google

QVAESTIO VII.

Vtrum id ipsum, scilicet superioritas doctrinæ veræ religionis ex ipsa quoque natura eius doctrinæ demonstretur?

TAnti est hoc principium stabilire, vt ex illo 133
pænè vno putem, veram religionem, atq; illius conquirendæ modum deprehendi perfacile. Veteres ergo Philosophi nihil iudicabant admittendum, quod ratione, quod demonstratione non constaret, vt Paulus memorat, liquetque ex ipsis illorum voluminibus cuncta ad rationis naturalis normam exigentibus, ridebantque Moysem, quod diceret quidem multa, sed probaret nihil: quò nunc etiam prophani Politici eunt; & ex omni gente satis multi, vt quæst. sup. obseruabam, in id extremi, vel abeunt, vel inclinant. Contrà vero Christiana religio, vt idem est testis Paulus, vniuersa fundatur, non in persuasibilibus humanæ sapientiæ verbis, sed in stultitia, vt vocat, prædicationis, id est, in simplici rerum assertione sine rerũ probatione, quod sæculi sapiẽtibus stultitiæ loco haberetur. Vnde illud necessariò cõsequitur, vel nos, vel illos esse insigniter stultos, si vel nos probanda non probamus, vel si illi nolint non probanda, sed credenda sine probatione accìpere.

Igitur fidentissimè asseramus, ipsos esse, quam maxi- 134
me stultos; quia ex ipsa doctrinæ veræ religionis natura liquet palam, & constat, eam non esse humanæ inuestigationis & inuẽtionis, sed superiorem, ac diuinitùs traditam: hinc porrò consequitur manifestè, eam non esse probandam, & intelligendam, vt accipiatur, sed credendam: quæ subsumptio magis, ac magis demonstratur quæstionum subsequentium progressu.

Ra-

Digitized by Google

Rationis naturalis insufficientia ad diuina.

135 POsitio verò constat multiplicitèr. Primùm sic. Doctrina veræ religionis illa esse nequit, quæ circa necessaria, & quasi essentialia religionis maximè deficit, & errat: at huiusmodi est omnis doctrina solum fundata in ratione naturali, & naturalis inuentionis, ac inuestigationis: ergo &c. Sola minor reuocari potest in dubium: sed ea constat euidentèr; quia materia necessaria, & quasi essentialis religionis sunt Deus, & diuina, ex omnium religionem aliquam profitẽtium consensu, ex natura ipsa religionis, quæ primitùs in Dei cultum dirigitur, &c. At doctrina naturalis inuentionis, & inuestigationis, ac solum in ratione naturali fundata maxime deficit, & errat circa Deum, & diuina. Id quod euidentibus est euidentius. Est enim principij loco traditum à Gentilibus ipsis, atque à nobis receptum, humanam rationem se habere ad Deum, & diuina, sicut noctuam ad lumen Solis: at quid iudicet noctua de lumine Solis? Est etiam ex ipsa rei euidẽtia obseruatum, notatum, traditum à Trismegisto, Pythagora, Platone, reliquisque humanæ sapientiæ Proceribus, vt Cyrill. Alex. 2. contra Iul. commemorat: an ergo, quod esset ineptissimum, soli Christiani superbiant, & repugnent? Probat S. Thomas; quia humana ratio circa Deum, & diuina est multum deficiens; cuius signum est (inquit) quod Philosophi naturali inuestigatione perscrutantes in multis errauerint. Est item euidens ex Dei à nostra mente distantia, & elevatione, & infinitate: ex Dei cum creaturis, per quarũ species, & imagines cognoscimus, infinita, & quã dici queat, maiori dissimilitudine. Hinc aureum illud; Deus nisi de Deo non cognoscitur; sicut Sol nisi immissa prius ab ipso luce non conspicitur, nam lucem habitat inaccessibilem. Hinc cum Philosophorum nullus plus ingenio fiderit quam Aristoteles, cum nullus minus crediderit, maiorum fidem adeo cõtempserit, plus ratione inquisierit, cum nemo ingenio magis saltem valuerit, errauit tamen tam turpiter nemo in summis, ac diuinis rebus; Trismegistus, Pythagoras,

Digitized by Google

Plato, qui ex Prophetis multa hauserant, & crediderat, quod Clemens 1. Strom. Cyrill. Alex 1. & 2. contra Iul. & diffusè Eugubinus commonstrant, veriùs multò locuti sunt, ac diuiniùs. Hinc denique verissimum illud Euangelij de magnis, ac diuinis ad paruulos reuelatis, & absconditis à sapientibus, id est, ijs qui tales in mundo habebantur reuera ignorantibus. *Non enim* (inquit Irenæus lib. 9. c. 1.) *nos aliter discere poteramus, quæ sunt Dei, nisi Magister noster Verbum existens, homo factus fuisset*: vel modo alio consimili. Hoc vt agnoscerес, hoc vt agnoscerem, hoc vt agnoscerent vniuersi, Deus gloriosus mille plus annis summa plane ingenia, Philosophorum illa capita mundo concessit, qui assiduo, ac improbo labore in his explorandis desudarent. Quid porro factum? Perhibeat incorruptus, & magnus, ac nullius hoc circa exceptionis testis Tullius 1. de natura Deorum. *Cum multæ res* (inquit) *in Philosophia nequaquam satis adhuc explicatæ sint, tum perdifficilis. Brutè* (quod tu minimè ignoras) *& perobscura quæstio est de natura Deorum, quæ & ad agnitionem animi pulcherrima est, & ad moderandam religionem necessaria. De qua tam variæ sunt doctissimorum hominum, tamque discrepantes sententiæ, vt magno argumento esse debeat, causam, id est, principium Philosophiæ esse scientiam, prudenterque Academicos à rebus incertis assensionem cohibuisse, &c.* Mox prodit Philosophorum pugnantia placita, Deos negantium, Deos ponentium, prouidentiam negantium, & ponentium, de figura, de loco, de sedibus, de actione, vel otio Deorum discordias, & causas: post quæ: *quorum opiniones* (subdit) *cum tam variæ sint, tamque inter se dissidentes, alterum fieri profecto potest, vt earum nulla, alterum certe non potest, vt plus vna vera sit*, & auditis omnibus, atque reliquis saltem præter Platonem, & Aristotelem satis conuictis, imo & illis pro eo rerū statu non insufficienter refutatis, ad Academizandum tandem coactus fuit acutùs certè, ac prudentissimus Philosophorum. Ecce quid comparatum est tot sæculorum laboribus, quo vsque peruenerat naturalis summorum Virorum de natura Deorum inuestigatio. Eia agite Pelagiani, & naturæ vires extollite: properate inconsideratiores Christianorum, atque in abditis Gentilium, quorum consul-

tissimi

Digitized by Google

tissimi se nihil scire, professi sunt, vos interea diuinorũ cognitionem conquirite, religionem fundate.

136 Hinc non religiosioris sensus, sed seueriſſimæ Philosophiæ conclusio illa consequitur, quã D. Petrus apud Clementem lib. 1. Recognit. deduxit ex ijsdem ferme causis, atque principijs. *Hunc ergo qui ad auxilium domus* (id est huius mundi) *caligine ignorantiæ, & vitiorum fumo repletæ perquiritur, illum dicimus, qui appellatur verus Propheta, qui solus illuminare animas hominum potest ita, vt oculis suis inspiciant viam salutis. Aliter enim impossibile est de rebus diuinis, eternisque cognoscere, nisi quis ab isto vero Prophetæ didicerit: quia sicut ipse* (hoc est Clemens) *paulo ante memorabas, fides rerum, causarumque sententiæ pro ingenijs magis defendentium ponderantur, & eadem causa nunc iusta, nunc iniusta putatur, & quod modo verum videbatur, alterius assertione falsum videtur: ista de causa religionis, at pietatis fides veri Prophetæ præsentiam postulauit, vt ipse nobis diceret de singulis, prout re ipsa veritas habet.* Quod ipsum Cicero quoque desiderauerat, & pridem Plato, infæliciore tamẽ, quam Clemens, euentu.

137 Sed verò hæc, licet tam granibus fundamentis stabiliantur, obstrepent tamen hic multi, rationem naturalem Deo demonstrando sufficere; ex illa Dei existentiam, inde prouidentiam, ac rerum procurationem demonstrari; at demonstrationem gignere cognitionem certissimam, exquisitam, constantem; hanc porro ad Dei cultum, atque religionem ex natura rerum sufficere. Nos rursus, inquient, qui ingenij perspicacia nec summi existimus, nec Gentium illis Proceribus comparandi, multa interea de Deo, de prouidẽtia, de præmijs, atque supplicijs tam liquidò demõstramus, nihil vt possit ostendi euidentius: ergo ratio, & inquisitio naturalis sufficit; imo abundat; nam maiora à maioribus demonstrari potuerant, poteruntque in posterum, si ingenia venient præstantiora. Aliud enim est, quod fideles simus, ac credamus; aliud quod sciamus, ac demonstremus: hoc fides facit, qua ratio naturalis caret ex natura sua; at quod sciamus, atque demonstremus, non fidei est, quæ probat nihil, sed ingenij, sed rationis, sed naturæ. Ergo valet natura, & ratio ad eorum, quæ diximus,

Digitized by Google

comparãdam cognitionem certissimam, indubitatam, exactam, constantem, & qualis ad religionem postulatur. Quin dicent nosmet cum nobis pugnare, cum dictũ sit, Dei notitiam esse hominibus cum natura ipsa à Deo donatam, insitam, indelebilem; atq; multa similia. Quid ergo tam inaccessa sit rationi naturali Dei, diuinarumque rerum cognitio. Verùm constitit quid tot sæculis effectum sit naturali indagine à summis ingenijs: quod cum facto ipso constet, sumitur liquidò, hæc quæ sunt obiecta modò, esse suspecta, esse fallacia. At erit decursu quæstionis locus aptior dicendi, respondendi, exponendi; nec enim verum cum vero pugnat, ac ipsæ nostræ probationes responsa parient oportuna.

Rationis naturalis insufficientia ad finem hominis.

NVnc probemus denuò positionem de insufficientia naturalis inuestigationis. Doctrina veræ religionis illa esse nequit, quæ circa maximè necessaria, maximè deficit, ac est impar: at talis est omnis doctrina naturalis inuestigationis. Quod probo: nam in tota doctrina religionis post Deum nihil est scitu dignius, aut magis necessarium ex natura rerum, quam finis hominis religionem profitentis: nam finis, est primum moues, quo cessante cessant omnia; finis est, qui ad ipsã religionem accipiendam, colendam, & ad ea quæ religionis sunt, peragenda ducit: & hunc nostrum finem, & fœlicitatem omnes insito appetitu prosequimur, hunc omnes quærimus, hunc quæsierunt Philosophi, quæsierunt Atheistæ, quærunt singuli: quicumque ergo religionem aliquam colit, agnoscat, necesse est, quo demũ officijs suis pergat, cum religio in summa via sit ad fœlicitatem comparandam. At ad hanc fœlicitatem, & finem hominis agnoscendum impar est naturalis inuestigatio. Quod non ex laboribus Metaphysicæ, sed ex facto ipso omnibus noto, necnon obuia ratione à priori ostendo. Facto quidem assumendo rationem naturalem, vbi sola ipsa est, nec exceptionem habet: 13

sci-

Digitized by Google

scilicet non in nobis, in quibus coniuncta est cum fide, atque à fide iuuatur, sed in illis eisdem Philosophorum summis ingenijs, assiduis laboribus, atque vigilijs. Omnes illi nullibi magis laborarunt, aut disseruerunt ingeniosius, quam in quærendo fine, & fœlicitate hominis: imò hoc caput potissimum exstitit diuisionis schodarũ. Omnes tamen quasi in cæca nocte delyrarunt, cum in hac solum vita, vbi euidens est, fœlicitatem, & hominis finem non esse, eum quærerent, & ponerent. Quod solito acumine obseruans subrisit Augustinus, illud dicens mirabile, quod Academici, Stoici, Aristotelici hominis in hac vita finem, ac beatitudinem ponerent, & quo nihil erat stultius, simul dicerent, posse etiam sapientissimos sibi mortem inferre, vt à malis, quibus hic premimur, sese liberent. O egregiam, & à beato ipso meritò iugulandam beatitudinem? Pythagoras, & Pythagorici ridiculam illam transmigrationem animarum posuerunt: haud repugnarunt Platonici: Epicurei ineptiùs in libidine, cibo, & potu eam collocarũt: rigidiores Stoici finẽ posuere in medijs, scilicet in virtutibus, & quod cõsequens erat, virum probum, aiebant, beatum etiam in equuleo. Sed quid Aristoteles? Hinc sapientius, hinc ineptius philosophatus est; in operatione animi præstantissima, quippe in cognitione aliqua beatitudinem dixit repositam; at ne cum Stoicis cogeretur sapientem etiam in equuleo beatum confiteri; inconsequentius alia quædã adminicula corporea ex schola plane Epicurei mutatis nominibus mutuatus est, quibus sublatis iam beatitudo non esset amplius beatitudo. Et quæ domum sit in hac vita illa sapientia, quæ beatum faciat, nisi Aristoteles, quod esset extreme delyrantis, concederet, se assecutum beatitudinem, & finem hominis? Et humquã ab illa se cum Solone lite expedire potuit Aristoteles, quando scilicet esset homo dicendus beatus, ante mortem ne, an post? Solon voluit ante mortem, cum omnia sint mutationi, ac miseriæ exposita, nihilq; sit in tuto: beatitudinem autẽ ex Aristotele ipso oporteat esse constantem, neminem esse, nec dici posse beatum: Aristoteles noluit, hominem post mortẽ, & quando ipse non est, esse, vel dici posse beatum. Adeo erant cuncta impedita, & sine exitu, vt eo temporis non forte

Philosophorum summa de fine hominis ignorantia.

Aristoteles implicatus.

adeo

Digitized by Google

adeo ineptierit Epicurus; recurrit enim ad bona, quæ essent, & inuenirentur re ipsa. Erant etiam quædam de altera vita, ac præmijs, & supplicijs memoriæ, reliquiæ certè doctrinæ Dei; at illæ à Poetis plerumq; tradebãtur, erantq; fermè fabularũ in loco, & pretio. Ecce quantũ effectum negotij inuestigatione naturali. Hinc porro promptum erat in tanta finis confusione, & nulla pœne cognitione curam omnem nihil pro futuræ religionis deponere. Hunc in finem inter alia sapientissimus Deus tantos viros tanto tempore permisit delyrare, vt nobis demum constaret, quid natura valeret: at forte non omnes tot etiam aliorum experimentis hactenus dedicerunt. Factum ergo, quod probandum suscepimus, est manifestum.

Ratio etiam adest concludentissima. Nam, vt 139
multis demonstrat S. Thomas, finis, atque fœlicitas hominis solùm in Deo viso, vel cum eo cõnexis situm est; quod nos quoque sub tanto Doctore, si quid aliquando demonstramus, speramus suo loco demonstraturos apertissimè; nec enim homo nisi Deo impleri, satiari, quiescereque potest: & licet quidam, ijque Doctissimi alios, nescio, quos fines, ac fœlicitates imperfectas, & quæ syncerè, & pleno ore dici tales nequeant, aut ponant, aut obloquantur, nos porrò insito appetitu appetimus finem verè talem, id est, quem scholæ simpliciter talem appellant; nec aliter quiescimus, & tale secundum quid non est verè tale. Vnde qui ad hanc imperfectam beatitudinem confugiunt loco suo expugnandam, haud expediunt Philosophorum curas, & studia, sed cedunt potius dicẽtes, nullam veram beatitudinem quærendam ex rerum ipsa natura; & in eo illos erraſſe, quod illam vel quæsiuissent, vel appetiuissent; nec enim tam ignorantes rerum erant, vt vel in schola Epicuri, vel in Stoica, & vbilibet, ac facilè beatitudinem imperfectam, ac finem *secundum quid* multiplicem non inuenirent. At ratio naturalis nequit assequi visionẽ Dei, quæ *in cor hominis non ascendit &c.* & cui, precor, Philosophorum illa vel in mentem venerat, vt patet. Ergo. Cæterum cum ista nec hic exponenda sint, nec ab ignaris scholarum, nisi multum explicata percipiantur, aliã nunc causam significemus captu faciliorem. Quippe,

Philo-

Digitized by Google

Philosophi in eo nonnulli Christianis consideratiores extiterunt, quod non solius separatim animæ, sed hominis ipsius, cuius par est anima, curam, vt par erat, susceperint; nam videbant, hominem nec animam esse neq; corpus, sed tertiam quandam naturam ex vtriusq; compactam quidem, sed neutram: illius ergo naturæ, & tui, & mei, ac singulorum beatitudinem omni studio quæ-rierunt. At cum viderent simul, hominem post mortem non esse, nec resurrectionem inuestigatione naturali valerent assequi, vt probant Christiani, & nonnihil in subsequenti ratione dicemus, ideo non temere, sed ipsa rerum consequentia ducti supposuerunt magis, vt notum, quam probarunt, hominis in hac solùm vita quærendam esse beatitudinem: hinc miseri tot illa deliramenta, & somnia coacti sunt ponere, nisi Academici consultiùs assensum omnem cohibuerint. Et mihi crede Christiane, quod fuit, hoc quoque fuisset, nisi misericors Deus suo nobis lumine subueniisset. Impar est ergo prorsus inquisitio naturalis sola ad finem hominis determinandum, & agnoscendum; & quicunque religionem aliquam coleret in illa sola fundatam, quæsitus, quid demum speraret, aut quæreret, quòue tenderet suis officijs, vel ignarus non aliud responderet, quã se nescire: vel ineptiret cum Philosophis non finem proprium assignando: quod vtrumque est absurdum.

Non solius anima, sed hominis quærendus finis.

Rationis naturalis insufficientia ad diuinam prouidentiam.

140 SEd verò cum præuideam, fore non paucos harum rerum haud scientissimos, qui nobis in tam necessaria doctrina repugnent, ostendamus iterum, & tertiò inuestigationis naturalis insufficientiam. Etenim nullo admisso reuelato, atque per solam naturalem rationem procedendo, moraliter saltem necessariò (vt scholam caueam, & cum schola loquar) erratur circa diuinam prouidentiam, nec certa, & indubitata eius cognitio, & qualis ad religionem exposcitur, potest haberi in hac sal-

Digitized by Google

saltem, in qua sumus, naturæ rei constitutione, vel imperfectione. Indè factum est, quod multi virium suarum fidentissimi prouidētiam, atque vias Domini examinare incipiant: mox intricantur, ac dubitant: demūcum eas comprehendere nequiuerint, prouidētiæ simul atque religionis curam omnem relinquunt, fiuntq; vno verbo prophani; sunt enim prouidentiæ, & religionis connexæ causæ, vt patet. Causa porrò circa prouidentiam Dei errandi, vel dubitandi, quo est etiam illitteratis manifestior, eò est pernicioſior. Omnes quippe cōspiciunt vitam istam, quam omnes tenerrimè diligimus, tot malis, ac miserijs implicitam, ex quarum sensu, ac dolore haud benè erga eius gubernationem afficimur: subit mox apprehensio, Gubernatorem illum, qui per tot strages, ac miserias tam sine fine, & tam nullo sui bono affligit homines, Deum bonum esse non posse: ex quo alij Manichæi, alij Epicurei facti sunt. Occurrunt probi in equuleo, Tyrāni in sceptro passim, ac quotidie innocentes deprimi: extolli nocentes &c. inferunt inde: ergo horum Rector, & Gubernator Deus non est, qui si est, iustus vtique est; iustus autem non est, qui æquum, & iustum non solum non seruat, sed vices commutat, ac Latronem donat præmio, & rei Dominum laqueo suspendit.

His vt satis fiat, quæ sunt murmur omne impiorū, 141
Atheorum, & Epicureorum, occurrit mox sermo de immortalitate animæ, atque de illa magna solicitudine inquiritur. At nullus hinc est exitus. Primùm quidem, quia vt S. Thomas harum rerum scientissimus, & dixit, & probauit, si non est resurrectio mortuorum, *non de facili, imo difficultèr sustinetur immortalitas animæ*: idcirco tam inconstans, & dubia extiterat apud naturales inuestigatores de immortalitate animæ opinio. Sed verò constaret illa indubitatè. Occurrit tamen, non solū animabus, sed etiam, & maximè hominibus ipsis seruādam esse iustitiam: homines ipsos esse bonos, & malos, luxuriosos, & castos; fures, & iustos: ipsos malis affligi, atq; bonis perfrui: extolli, deprimi, valere ægrotare, &c. Hominum autē nullam esse vitā futuram; nam eam ratio naturalis haud assequitur; imò principij loco apud Philosophos habebatur, à priuatione ad habitum, à

morte

Digitized by Google

morte ad vitam nullum esse regressum.

142 Hinc variæ, & pugnantes inuestigatorum naturalium illationes, atque sententiæ. Pythagoras transmigrationem animarum inuexit: sed vt patet, nodū haud expedit. Aristoteles dubitauit, ac varius extitit circa immortalitatem animæ. Plato, cui Tullius, necnon aliquando ipse quoque Aristoteles accessit, animas asseruit pridem conditas peccasse, atque vt pœnas luerent, trusas in corpora. In quo & in Philosophiam ineptijt, vt loco suo ostenditur, & quod nostri argumenti est, peccauit in Theologiam, nec difficultatē expedijt: iniquum enim est, & cōtra ius, propter peccata solius animæ hominem puniri, qui non peccauit; & ad hoc solum homines condi, vt puniantur, affligantur, crucientur, quin tamen peccauerint. Hanc administrationem Dei boni, & iusti esse non posse conclusit Epicurus; & idcirco mundum casu, & fortuna gubernari. Omnium consultissimi Academici, cum hinc diuinæ prouidētiæ tanta conspicerent argumenta, hinc nullum in his inuenirent exitum, ab approbando, vel improbando supersedere. Postea vero hæretici Manichæi mundi administrationem inter Deum, & aliam illi coæuam malorum primam causam ineptissime diuiserunt. Causa porrò omnes multū commoueret, necesse plane erat. Etenim nunc quoque fatemur omnes, administrationem mundi rectam, & iustam non futuram, si anima nō esset immortalis, & præsentis vitæ inæqualitas in futura vita esset ad æqualitatem reducenda; hincque frequenter videas immortalitatem animæ comprobari. At Epicurus haud conquieſcit; nam Deus, si est, iustus est, inquit, iustitiamque seruat non animabus solum, sed ipsis potissimùm, quorum causa tractatur, hominibus. Hinc, vt est notatum rat. præc. Philosophi omnes finem non solius animæ, sed hominis quæsierunt, & in hac vita, cum aliam agnoscere non valerent, eum vanissime commēti sunt: eadem hic consequentia in mundi administratione bonitatem, sapientiam, iustitiam requirent pro hominibus: aliam hominis vitam ratione naturali non inueniunt: quærent ergo iustitiam in hac vita, quæ cum non saluetur, vel dubitabunt, vel hærebunt, vel negabūt: quibus sola ratione naturali, certo saltem, & euidenter,

Digitized by Google

vt ad religionem in ratione fundandam opus esset, impossibile esset occurrere. Resurrectio porrò mortuorum, licet ijs in mentem veniret, tot aliunde, tamque magnas patitur difficultates, vt certam saltem, ac indubitatam de ea sententiam stabilire pariter esset impossibile; imo nunc etiam à Christianis, postquam semel credita est Deo, defenditur magis, quam demonstretur; & satis nobis est eorum, quæ credimus, habere iustam defensionem.

His ergo sola doctrina diuina, & reuelata occurri 143
potest, & ea duplici. Altera resurrectionem mortuorum, & vitam futuram hominum sempiternam nobis tradit. Altera peccatum originale: *omnes enim in Adam peccauerunt*, & per peccatum mors, & alia mala intrauerunt in hunc mundum. Quamobrem licet homo non sit finaliter, vt dicunt, & ad pœnam æternam damnatus, damnatus est tamen ad pœnas maximas temporales, & quicumque pœnas vident, & causam ignorant, inferunt mundum male gubernari; atque ita iudicent, necesse ferme est. Pone aliquem rerum ignarum apud inferos repente constitui, aut ibi creari; videret ibi tot animas tam acerbè torqueri, tractarique tam crudeliter: ignoraret vero illas propter ante acta scelera illuc trusas ibi puniri, eumque locum esse pœnarum: quid, precor, inferret? Credo, vel hæsitaret, vel cõcluderet, earum animarum curatorem, & Autorem Deum bonum, sapientem, iustum non esse. Ecce quid in hac vita accidat naturalibus inuestigatoribus: vident, imo quod plus est, patiuntur etiam ipsi tot in ea calamitates, miserias, mala: causam ignorant: locum putant esse bonorum, cum locus sit etiam pœnarum: solum de Dei bonitate cogitant; non de iustitia. Et quid concludunt? Quod Epicurus, quod Plato, quod Aristoteles, quod Manichæi, quod Academici. Ergo in hac saltem, in qua sumus rerum, & status nostri constitutione impossibilis est certa, explorata, constans prouidentiæ sententia, & qualis demum ad religionem ex omnium sententia postulatur, fide doctrina diuina, & reuelata.

Ast eam, inquis, non admittit Epicurus, non ad- 144
mittunt Philosophi. Verum ego non hic cum Epicuro litigo, qui expugnatus est in superioribus: cum illis iam

ago,

Digitized by Google

ago,qui religionem aliquam colunt ex animo, quibus proinde in confesso sit,necessariam esse certã,& exploratam de diuina prouidentia sentẽtiam. His ergo probaui,eam comparari non posse per inuestigationem solam naturalem. Vnde coguntur concedere necessariã esse altioris iudicij de ea sententiam,& doctrinam. Igitur demõstraui retro, veram religionem in mundo esse eamque inuenibilem. Nunc ostendi eam non posse esse fundatam in ratione naturali. Concludo: ergo fundata sit,opus est,in doctrina superiori,& indefectibili, & diuina. At ais,nolo Christianam admittere. Sed nondum ego de hoc ago, quæ doctrina admittenda veniat, & quæ re ipsa sit diuina: hoc nunc nobis concedant reliqua decursu illaturis,ac probaturis, ad religionem necessariam esse doctrinam diuinitùs traditam. Imo si solum doctrina Christianorum, & nulla alia expedit difficultates summas, & summarum rerum, ex hoc solo, eam verè diuinam esse, affatim commonstratur.

145 Suppetunt præterea quamplurima in eumdem scopum,quæ cum sub omnium hominum experientiam cadant, propterea tutiora sint,& vbique gentium valitura. Mortalium scilicet nemo non experitur appetitus,& partis,quam inferiorem vocamus,vim magnam, ac prævalentiam,cui ratio,quæ dominatura videbatur, pœnè captiua inseruiat;cum tamẽ secundum naturam, & rationem esse videatur, quod nobilius in minus nobile gerat dominatum, & prævaleat. Natura rursus quælibet magis inclinata est in finem suum, quam in contrarium; in bonum,quam in malum,idque ita esse ratio videtur postulare; hominem porrò magis multò inclinatum esse in vitia,quam in virtutem; in repugnãtia,& opposita fini, quam in finem,vtinam non tã esset omnibus nobis malo nostro exploratum,atq;deplorandum? Hanc naturæ humanæ inordinationem ratione ipsa naturali deprehendi satis quidẽ probabilitèr posse docuit Thomas; deprehensam illam ab Aristotele,Tullio,& alijs exprobrat Iuliano Augustinus. Hanc appetitus,& carnis in rationem petulantiam, atq; rebellionem a Deo rationis, ac virtutis fautore iniectam non fuisse, satis saltẽ probabiliter Manichæi assumpserunt; inde aliam vt dictum est,causam primam malorum,

Digitized by Google

æterno Deo coæuam intruſerunt: ex quo duæ religionis ponantur, neceſſe eſt, pro vtroque primo principio exorando, & placando; illæque, vt ipſe pugnant principia, pugnantes inuicem, & abſurdæ, & ridiculæ. Porrò Philoſophi eaſdē illas, quas nuper proferebamus, intuliſſent, vel etiam intulerunt concluſiones. Quod vero omnibus eſt impudentius, iam proteſtantes in Deum Autorem referunt ſcelera vniuerſa. Quid demum Chriſtiani? Naturam dicimus vulneratam, malè habentem, infirmam; vires arbitrij non quidem extinctas, ſed tamen extenuatas, imbecilles, parum valentes. Iam hæc cauſa vbique nationum nota eſt; vbique ad controuerſiam ducitur facile: agitur porrò de re principaliſsima, ex qua alij Dei prouidentiam, alij Deum totius ſaltem naturæ Creatorem negent. Reſpondeat quidem, & ſoluat cuncta ratio naturalis veriſimiliter, & probabiliter: at certò, at indubitate, clarè, manifeſtè, quod ad religionem in ratione fundandam opus eſſet, nemo, credo, adeo ſuperbierit, vt aſſerat. Ergo certam, ac indubitatam ſolutionem, & expeditionem ſolùm habet in doctrina reuelata, & credenda de peccato originali.

Hùc & cauſa illa attinet ex præcedenti ſubnaſcens 146
de neceſſitate peccatorum. Hanc peccatorum neceſsitatem Chriſtiani Theologi fatentur; & eam ſcholarum yſu appellant moralem, ſapientioribus ſignificatū proprium retinentibus; aſt alijs ampliantibus, abutentibuſque nomine. Nos hic à vocibus abſtrahamus, loquamurque cum omnibus. Illud, credo, mihi diffitebitur nemo, eam eſſe neceſsitatem peccandi in hac, in qua naſcimur, ſorte miſerrima, vt non minùs rideretur ille, qui diceret, eſſe in India populos, & regna integra, in quibus nec grauiter, nec leuiter, nec opere, nec mente nullus peccat, quam qui diceret, eſſe ibi ignem, qui non comburit, homines, qui non moriuntur, & æquos volātes per aera. Hanc autem tantam peccatorum neceſsitatem, dicent, à Deo bono non eſſe: hinc inferent, vel à Deo nos factos non eſſe; vel non eſſe factos ex integro: ſin minus dicent, Deum fuiſſe ſatorem ſcelerum, Deum amando naturam, quam fecit, amaturum neceſsitatem peccandi, & ex conſequenti ipſa peccata; quæ cum ſint abſurdiſsima, vel hærebunt dubij, vel creationem negabunt,

Digitized by Google

bunt, vel diuident; & opinari quidem poteris; at non ſtatuere certò, diſtinctè, indubitatè. Ergo ſicut prius.

Ratio naturalis ſibi relicta implicatur, nec exitum inuenit in rebus ſummis, & ad religionem neceſſarijs.

147 IAm poſtremò naturæ ad religionis doctrinam inſufficientiam, & doctrinæ diuinæ neceſſitatem, vt demonſtremus, litem moueamus de ſumma rerum à ſola ratione naturali inextricabilem, vt ſaltem ad religionē poſtulatur. Ecce nos aggreditur Atheiſta contendens, Deum non eſſe, & dicit: vel Deus non eſt, vel liber eſt: at Deus liber non eſt; ergo Deus non eſt. Maior propoſitio eſt explorata, & à nobis conceditur. Minorē probat: vel Deus non eſt, vel immutabilis eſt; at ſi liber eſt, immutabilis non eſt; ergo Deus liber non eſt. Maior eſt ſimiliter recepta, & conceſſa. Vt minorem oſtendat, mouet nobis celebrem de actibus Dei liberis quæſtionem, & de libertate cum immutabilitate componenda difficilem Prouinciam. Quis hic ſenſus ſapientium? Alij aiunt eam compoſitionem, & concordiam tam eſſe rationi difficilem, & inacceſſam, atq; eſt concordia vnitatis Dei cum Trinitate: at iſtam ratio naturalis ſola non aſſequitur, vt eſt in confeſſo: ergo neque illam; ergo vinceret cauſa Atheiſtæ. Alij, licet illam cum Trinitate haud cōparent, gemunt tamen ſub pondere, & ſatis putāt, ſi probabiliter cōponant, & reſpondeant. Ergo lis maneret dubia: certè illa conſtans, & certa ſententia ſtatui nequiret, quæ ad religionem expoſcitur. Eodē argumento pro fato pugnabunt Stoici, eodē Ariſtotelici pro æternitate mundi; eodem Epicurei, vt Deum à creatione, & prouidentia rerum remoueant. Immiſcebunt etiam, ſi placeat, diuinæ prouidentiæ cum humana libertate incompatibilitatem tot tricis nondum ſatis expeditis implexiſſimam. Inferent alij apud Tul. 3. de nat. Deorum, reliqua quidem externa bona à Dijs procurari, & accipi: *virtutem autem ne-*

mo

Digitized by Google

mo(ait) *vnquam acceptam Deo retulit. Nimirum rectè; propter virtutem enim iure laudamur, & in virtute rectè gloriamur: quod non contingeret, si id donum à Deo, non à nobis haberemus*: idemque mox de sapientia subinfert. At Epicurus, si magna, & potissima à Deo non procurantur, nec conceduntur, minimorum curam consequentiùs remouerit. Mox Paulus, & sapientissime quidem clamat, *quid enim habes, quod non accepisti?* si vineta, si segetes, si oliueta, Cicero, Deo refers accepta, si fundorum est ille Dominus; an non tui, quem etiam fecit, & propter quem reliqua illa fecit? Quid verò Epicurus? casui omnia committit: vnde vnde eum expugnaueris?

Inferamus igitur, rationem cum ratione pugnaturam, si ipsa sola sibi relinqueretur. Primùm equidem ego Atheistam, vel Epicureum conuincerem, & vt in superioribus factum est, apertissime Deum, & eius prouidentiam, atque veræ religionis in mundo existentiam demonstrarem ita, vt nihil possit demonstrari patentius; imo sciatur nihil, subsistat nihil, si ea non constiterint. Sed mox ex actore fio reus, atque de rebus conuenior summis, æternis, & diuinis, & ad doctrinam religionis necessarijs, quales hac quæst. protulimus aliquas; in quibus aduersarius ratione pugnat; ego ratione respondeo; sed, vt visum est, causa valet; & vincor, vel impedior saltem, atque confundor. Quid porrò hinc nascatur? Vtique quod apud Inuestigatores naturales natum fuit, dissensiones, opiniones, scholæ, sectæ, errores, quos & quales subortos esse, satis supra explicuimus, ne hic denuò eadem referendo fastidiosior contingat disputatio. 148

Obiectionibus occurritur.

EX quibus, vt ad ea occurramus, quæ pro rationis naturalis sufficientia retrò allegabant, haud negamus, sed concedimus, sed contendimus, posse Deum, Deique prouidentiam ratione naturali demonstrari; imò inditam esse omnibus Dei notitiam. At id addimus, mox à contrario tot, tamque diffi- 149

Digitized by Google

difficiles quæstiones occursuras, quæ cum ratione naturali expediri satis nequeant, vt ostendimus, faciant in ipsis etiam demonstratis dubitare, vel ad errores ducant intolerabiles, & religionem ipsam, de qua tamenda tractatur, destruentes, vt exemplis, & illationibus Gentilium commonstrauimus: nimirùm syllogismus cum syllogismo pugnaret, & sese vicissim vel destruerent, vel elideret. Quid enim pro diuina prouidentia demonstranda assumam ego vrgentius, quam quod ad eamdem remouendam licet assumere Epicureo, scilicet vel Deum non esse, vel eum immutabilem esse; at immutabilem, & liberum simul eum esse non posse, cum liberi sit velle, & nolle; vndè & velle, & nolle ineſſe Deo posset, & abesse: quod qua ratione, citra mutabilitatem subsistat, adeò est explicatu difficile, vix vt inueniatur quidquam aut Theologis molestius, aut rationi insuperabilius. Hinc Perez diuinam libertatem à serie recta causarum quoad effecta naturalia, falsò quidem, sed non sine solito ingenio excluſit. Alter itaque argueret, *Deus est: ergo liber est, & prouidentiam habet*: alter regula cunctis accepta ab opposito consequentis ageret ad oppositum antecedentis: *Deus liber non est; ergo Deus non est.*

150 Hæc alium exitum certum, constantemque non habent; quam quem ipsa illa ratio naturalis suppeditat, suam scilicet ad diuina exploranda, ac pede inoffenso percurrenda inualetudinem, caliginem, incertitudinem, vt ratione præsertim prima ostensum est, probatumque à priori. Nihil enim esset ipsi rationi naturali repugnantius, quam asserere, Deum, & diuina esse per ipsam inuestigabilia, expedibilia, & intelligibilia. Ex quo Epicurus, & Atheus, & quicumque erit, modò indocilis non erit, admittet, quod ex Academicis retulimus, par esse, vt de Deo, & diuinis ab ipso Deo instituamur, numquam alioqui satis profecturi; esseque plenum stultitiæ, de rebus diuinis eas solum admittere, quas naturalis ratio demonstrat; eas respuere, quas non demonstrat, nec intelligit: Deum quidem esse per ipsam rationem demonstrari: de cætero audiendum ipsum, & accipienda, quæ dicit per modum fidei, tanquam ab eo dicta, quem fallere repugnat

Digitized by Google

pugnat vel falli: accipiendam item Theologorum regulam aientium, ea quæ sunt religionis, & fidei, satis esse, si defendi queant, licet demonstrari nequeant: de quo copiosius in seqq.

At Christianis temporibus, quibus auctior, & 151
plenior Dei doctrina concessa est, tum ad respondendum, & defendendum, tum etiam ad probandum, atque demonstrandum sumus incomparabiliter expeditiores. *O Christianè* (inquit August. serm. 187. de temp.) *qui tibi videris nihil scire, si scias hoc ipsum, quod nescias, nonne plus magis à cæteris videris scire? Gentilis homo videt lapidem & Deum putat: Philosophi vident cælum, & putant Deum, &c. Tu verò considera, quantam super istos habeas scientiam.*

Fides iuuat plurimùm etiam ad sciendum.

LIcet enim fides, qua doctrinam religionis, & di- 152
uinam accipimus, probet nihil, sed credat, multipliciter tamen ad respondendum, & probãdum, processumq; scientiarũ deseruit; certificat primò, atque monet de erroribus; quare qui v.g. ex immutabilitate Dei fortè duceretur ad Deum in operando necessarium concludendum, erroris à fide prænonitus eum cauet, & alio discursum, & cursum dirigit: certificat rursus de veritate, v.g. de diuina in operando libertate, & qui incautus prementibus in contrarium difficultatibus cessisset, haud cedit, sed solutiones, & exitus quærit: qui similiter vitæ futuræ ignarus hic & ibi finem, & beatitudinem conquirendo cum Philosophis delyrasset, iam de fine certus per fidem, mentem, & operam illi explicando adhibet: & sic de alijs infinitis; ex quo haud ineptè fidem dixeris frenum, & rectorem simul humani discursus, & ingenij, in inuia alioqui ituri, atque præcipitia. Deus denique gloriosus suis discipulis, & à principio, vt par est, credentibus, audientibus, rerum creditarum maiorem in dies communicat intelligentiam, & sapientiam, cum id vel Magistri etiam homines modo suo efficiant.

Hæc

Digitized by Google

Hæc porrò factum ipsum reddit manifestissima; videbit enim quicunque non prorsùs ignorans, Christianos Doctores nullibi certiùs decernere; subtiliùs, consequentiùs, delicatiùs, altiùs discurrere nullibi, quam in rebus diuinis, æternis, & futuris, in illis ipsis, in quibus haud imparia Philosophorum ingenia nihil efficere valuerunt: non ad longum examen te voco, nec difficile: sume in manus cunctis obuiam summam S. Thomæ: nimium hoc est; sume quemque de populo theologum; atque simul magnum illum Aristotelē: & quære, quis sit Deus, qualis; quantus, de numero, de sedibus, de actione, de potentia, de scientia, atque beatitudine Dei consule: mox perge; finem, ac beatitudinem nostram quære; quære viam; quære reliqua, quorum scientia sapientia est, quorum scientia reliquis præstat, quæ summa sunt, & quæ fermè sola nos attinent, & quæ potissimum Philosophi quæsierunt. Videbis, credo, tam clarè nihil vt sit in mundo clariùs, in his saltem rebus Naturales inuestigatores nec dignos quidem existere, qui cum vel minimo Christiano Doctore conferantur. *O Christiane, considera, quantam super istos habeas scientiam!* Noli tamen gloriari, *quasi non acceperis*; ipsorum quippè illorum Philosophorum insipiens cor obscuratum est, quia cum cognouissent Deum, non tanquam Deum glorificauerunt, aut gratias egerunt, sed euanuerunt in cogitationibus suis.

153 Hinc Christianus haud debet vires, ac facultatem rationis naturalis in se, vel in Christianis Doctoribus examinare, ac trutinare, in quibus cum concurrat simul, & coniuncta sit doctrina diuina, confundimus facilè, & quæ Dei sunt, in nosmet, ingeniolumque nostrum, tam facile, quàm vanè referimus. Sumat ergo rationem, ac inuestigationem naturalem, vbi sola ipsa fuit, vel fermè sola, in Philosophis sæculi, atque mundi sapientibus, quos planè christiani haud præcellimus, vel acumine, vel diligentia: ibique facile deprehendet scrutationis naturalis inualentiam. Dubitationes Thomæ plus fidei nostræ profuisse, quam fidem promptam Magdalenæ, Sanctorum Patrum sententia fuit; sic enim concludentiùs, ac in iudicio, vt aiunt, contradictorio euicit Deus resurrectionem Christi.

Digitized by Google

Haud ero temerarius ipse, si asseram similiter, plus cō-
siderantibus profuturam ad sapientiam sapientium
mundi ignorantiam, quam multorum aliorum sapien-
tiam, & documenta.

Et tamen ipsi illi Philosophi fuerunt, quodāmodò 154
modestiores. *Nonne terrebimur exemplo Pythagoræ?* (in-
quit Aug. l. 14. de Trin. c. 1.) *Qui cum ausus non fuisset sa-
pientiam profiteri, Philosophum potius, id est, amatorem
sapientiæ se esse respondit: à quo id nomen exortum ita de-
inceps posteris placuit, vt quantalibet de rebus ad sapien-
tiam pertinentibus quisque, vel sibi, vel alijs videretur ex-
cellere, nonnisi Philosophus vocaretur.*

Nec Pythagoram, aut Pythagoricos effugit hæc, 155
quam adstruximus, solius rationis naturalis ad diuina
exploranda ineptitudo. Idcircò, vt Cyrill. Alex. ex
Halicarnaseo prodit, Numa scholæ quippè Pythagori-
cæ, Deum dicebat fide colendum, templaque constru-
cta vocabat Fidei, præcipiebatque subditis per fidem
iurare, etsi apud Romanos haud multum profecisset.

Haud porrò quisquam existimauerit, tot nos la- 156
boribus, atque argumentis pro aliqua, aut nunc nata,
aut ex cerebro fabricata, aut ex antris eruisa doctrina,
desudasse. Obuia illa erat, ac notissima sapientibus:
adeò vt simplici etiam populo tradendam eius summā
proposuerit Parochis fel. record. Pius V. in proemio ca-
thechismi. *Ea est (ait) humanæ mentis, & intelligentiæ
ratio, vt cum alia multa, quæ ad diuinarum rerum cogni-
tionem pertinent, ipsa per se magno adhibito labore, & di-
ligentia inuestigauerit, ac cognouerit, maximam tamen
illarum partem, quibus æterna salus comparatur, cuius rei
in primis causa homo conditus, atque ad imaginem Dei
creatus est, naturæ lumine illustrata cognoscere, aut cer-
nere nunquam potuerit.* Subdo nimirum aliqua christia-
næ etiam authoritatis firmamenta, etsi nihil apud alios
valitura; vt enim fatear ingenuè, nullos hìc, atque in
doctrinis similibus timeo magis, quam Christianos ali-
quos: & hos video tàm prompte, quàm hilariter di-
stincturos, & nuper adductum Catechismi testimo-
nium, & multa alia superiùs discussa: dicent quippè
sermonem esse de Deo authore supernaturali, de fine
itidem supernaturali: non autem de Deo simpliciter,

quem

Digitized by Google

quem ſcilicet vt Autorem, & Gubernatorem totius naturæ cognoſcere, cernere, imo etiam exhaurire, ſi opus eſt, queat ingens vis humanæ intelligentiæ: de æterna, aiunt, ſalute agi; cuius rei cauſa homo conditus de facto fuerit, quæri: at aliud eſſe de facto, aliud de poſſibili, aliud in hac rerum ſerie, aliud in alia; aliud ex rerum ipſa natura; aliud ex ſuppoſitione, quod Deus de facto ſic, vel ſic vltro de homine diſpoſuerit. Ecce quantum audeat humana præſumptio, cum tamen totum genus humanum nondùm hactenus comprehendere potuerit vel muſcæ vnius, aut formicæ compoſitionem: imo nec mediocriter quidem intelligere, aut ægritudinem aliquam tuam, quam experiris, ſatis noueris. Agite interea & Deum authorem naturæ, eius ſcientiam, potentiam, prouidẽtiam, cauſas & fines, vias, & exitus, cohærentiam totius vniuerſi, & partis cum parte, & partium cum toto; præſentium inter ſe, atque cum præteritis, & futuris ordinem, ſeriem, concatenationem, magnis veſtris ingenijs abſoluite: religionem, ſi placet, fundate; audete, peragite omnia.

157 Hæc ergo ſubterfugia præoccupata ſunt, præciſaque in noſtris probationibus; Pius V. maximam partem, ait, eſſe inacceſſam eorum, quæ ad ſalutem æternã comparandam requiruntur; at exemplificat finem hominis, vnde nos ſecundo loco argumentati ſumus contra ſufficientiam humanæ inueſtigationis, & probauimus impoſſibile eſſe, quod homo ratione ſua iſta, qua, & quali de facto viget, potuerit quidquã certò ſtatuere de fine ſuo, & cuius rei gratia conditus ſit: interim de poſſibili, vel de potentia abſoluta, vel in alia rerum ſerie, quæ ad nos nunc haud attinet, habeat ſi placet, homo Deo ipſi parem in intelligendo perſpicaciam. Mihi tamen liceat modo meo ſapere, & dicere, non ex ſuppoſitione aliqua, ſed per ſe, atque ipſa rerum natura, & ex terminis ipſis eſſe veriſsima, eſſe innegabilia illa Chriſtianæ ſapientiæ documenta: quis cognouit ſensũ Domini? aut conſiliarius eius fuit? ò altitudo diuitiarum ſapientiæ, & ſcientiæ Dei! permittatur addere; ò altitudo perfectionum Dei? quibus plena eſt ſacra pagina: Nimirùm quod aliàs quoque ingemino, haud fecit nos Deus conſiliarios ſuos, ſed populum ſuum, &

Digitized by Google

quidem rusticissimum: quibus proinde ab ipsa natura præscriptum est, vt de rebus diuinis Deo ipsi credere debeamus. Scitè sap. 8. docemur: *& vt sciui, quoniam aliter non possem esse continens, nisi Deus det, & hoc ipsum erat sapientia, scire cuius est hoc donum: adij Deum, & deprecatus sum illum etc.* Magna est rationis naturalis perspicacia, magna laus, & vtilitas, si in primis nouerit vires suas, insufficientiam suam, dependentiã à Deo suã; maximè verò ad religionis doctrinam; & eam scinerit, cuius sit, à quo postulanda, vbi quærenda, cui accepta referenda. Quæ cuncta progressu illationum, & quæstionum magis, & magis firmantur, explicantur, fouentur.

QVAESTIO VIII.

Vtrum aduersus Gentiles, atque sapientes sæculi consequatur, veram religionem, nec quæri debere, nec inueniri posse per examen rerum, & religionum.

HAC, & sequenti illatione cauemus, nisi fallor, atque amputamus causas omnes immediatas, & proximas errandi in materia religionis, & quibus sublatis vix sit vlterius locus de religione dissentiendi; incurritur quippe error omnis, vel quia res, vel quia scripta veræ religionis examinatũ imus: quod vtrumq; ineptissimum esse commonstrandum est. 158

Illatio multipliciter explicata, & probata.

Nunc porrò examen rerum remoueamus ex dictis; quò etiam examen religionum, & sectarum reuocatur. Hoc examen, quandoquidem de rebus religionis est, atque de illis discutiendis, & approbandis, vel improbandis, non est rationis iam Deo credentis, sed nondum credentis, & examen instituentis, vt credat; & ita est inuestigatio purè naturalis. At nos quæst. præc. demon- 159

Digitized by Google

demonstrauimus, rationem humanam, inuestigationem naturalem esse imparem, & insufficientem ad res religionis explorandas, componendas, & iudicandas ex ipsa illarum rerum natura. Ergo est examen naturalis insufficiens, & impar, & nihil concludens: ergo ineptum. Rursus: vt ibidem est ostensum, examen hoc tentatum est à summis viris summis laboribus, & per plurima sæcula: & nihil inde conclusum, quam vel audaciorum ineptiæ manifestæ, vel cordatiorum illa conclusio, se nihil scire; cuncta esse confusa; approbandum prorsus nihil, vel improbandum. Hoc denique examen rationis nondum credentis ad scholas pertineat, necesse est, & ad scientiam aliquam: at ostensum est alia etiã quæstione, doctrinam veræ religionis multis de causis, quas ibi commemorauimus, per viam scholarum, & scientiarum fundari constare, consistereque non posse.

160 Alio præterea modo explanatur viæ istius absurditas. Nequit scilicet via illa esse apta, & recta ad veram religionem, per quam melius itur ad falsam, quam ad veram, & in qua deterior sit futura causa veræ religionis, quam falsæ alicuius: vt iter ad Hispaniam haud est, quo non ad Hispaniam itur, sed ad Poloniam: At talis est via per examen rerum institutæ. Quod probo? nã euicimus, doctrinam veræ religionis natura sua esse de rebus altissimis, & diuinis, & hoc ipso nobis difficilibus, ac parum notis; eam item esse de rebus æternis, atque futuris, quarum nec experientiam, nec vsum, nec speciem propriam habeamus, neque simile: vnde vera religio ad examen nostrum vocata difficilior erit, & obscurior, quam falsa aliqua: fabricem enim nunc ego religionem quamdam partim Philosophicam Deum mundi creatorem ponendo, & demonstrando, partim cum Academicis ea, quorum demonstrationem non habeo manifestam, nec approbando, nec improbando; vel exemplo sagacissimi Mahometis tollã à Iudaismo vanam Messiæ expectationem, multaque puerilia: tollã à Christianismo Trinitatem, Incarnationem Verbi Dei, Sacramẽta, & alta, & difficilia quæque: ab ipso demum Mahometismo spurcitiam, & barbariem, quæ ad nauseam mouet sapientes quosque: & cum hac a me sic fabricata,

Examen rerum ad falsa ducit.

bricata,& apertè falsa,aut alia simili cõferatur vera religio,quæcumq; demùm illa erit,per examen rerum. Euidens est, prævalituram falsam, quæ probat bona,& clara ratione,quæ ponit,atq; soluit obiecta:vera porrò nec demonstrare multa potest, eaque principalissima; nec multotiès,vbi de summis,& natura sua abstrusis rebus tractatur,ita liquidò obiectiones dissoluit, vt replicari amplius non possit. Vinceret ergo religio falsa. Ergo via hæc apta non est,nec recta, sed absurda, atq; contraria.

Confirmatio ex August. Id ipsum denuò conuincat apertissimè Augustin. 161
epist.49.ad Deogr. *Proposita* (inquit) *exposuimus, vt potuimus: sed ille,qui proposuit,iam sit Christianus: ne fortè,cum expectat antè librorum sacrorum finire quæstiones, prius finiat vitam istam, quam transeat de morte ad vitam. Ferri enim potest* (id est permitti,& tolerari) *quod antequam Christianis Sacramentis imbuatur, quærit de resurrectione mortuorum. Concedendum etiam fortassis, quod de Christo quæsiuit, cur tantò post venerit;vel siquæ sunt aliæ, pauca, & magnæ quæstiones, quibus cætera inseruiunt. Si autem qualis est illa,in qua mensura mensi fueritis,metietur vobis,vel qualis ista de Iona, etiam omnes tales, antequã sit Christianus,finire cogitat per perã cogitat,vel cõditionẽ humanã,vel ætatem iam suam. Sunt enim innumerabiles,quæ non sunt finiendæ ante fidem,ne finiatur vita sine fide. Sed planè retenta iam fide,ad exercendã piã delectationẽ studiosissime requirenda; & quod in eis eluxerit,sine typho arrogantiæ communicandum: quod autem latuerit, sine dispendio salutis tolerandum.* Quibus nihil esse potest concludentius. Permittit porrò Augustinus,quod de paucis, & magnis quibusdam quæratur, non quidem eo genere examinis,vt inde dijudicanda veniat,& accipienda, vel refutanda vera fides,& religio: nã ad hoc omnia essent examinanda,sed ita vt is qui iam fidem accipere decreuit magna illa, & potissima quoque modo intelligere velit ante fidem.

Huc etiam ratio illa spectat,quam quæst.1. contra veram religionem obiecimus, vrgeturq; à Luciano ad sectas Philosophorum explodendas. Quicumque enim veram religionem quærere per examen rerum

insti-

Digitized by Google

instituit, necesse est, vt non vnam, sed omnes religiones, resque illarum examinet, discutiat, & iudicet, quandiu falcem veram non inueniet. At hoc nullus mortalium præstare valet: primò enim, quod fidentissimè pronuntiauerim, nemo mortalium, vel sola nomina nouit religionum, sectarumque omnium. De Christianorum solum diuisionibus, & iam pridem agens Augustinus lib. de hæres. fatetur palàm, nec à se, nec ab alio quoquam, nec à doctissimo quidem Hieronymo hæresum omnium haberi notitiam: Celsum quemdam sex non parua volumina implesse sectis dumtaxat Philosophorum: enumerat demùm ipse hæreses octoginta octo, & concludit: *Vnde meritò credo, nec me posuisse omnes; quia nec omnes, qui de hoc scripserunt, legere potui, neque hos quemquam eorum, quos legi, video fecisse. Postremo etiamsi fortasse omnes sint, vtique nescio.* Hæc & olim Augustinus nulli vel ingenij celsitudine, vel quærendi diligentia secundus. At nota sint tibi religionum, sectarumque omnium nomina: & examinare pergas. Sed verò ex quanam incipiendũ? Anne ex Philosophis? Verùm ad res illorum singulas exactè intelligendas, & iudicãdas, anni vix centum sufficiunt, quod prophanus ille Lucianus haud debilibus fundamentis ibidem commonstrat. Sed fuerint anni quadraginta: mox vero Christianam aggrederis. Sed ecce summa ingenia in illa exploranda integram vitam insumunt, & totam illam exhausit nemo: post omnium labores noua in dies difficultates, nouæ in dies defensiones, & expositiones occurrunt. Is ipse Augustinus mortalium ingeniorũ stupor epist. 28. ad Hieron. *doce ergo, ait, quod doceam; nam vt doceam, multi à me flagitant, eisque me, sicut alia multa, & hoc ignorare confiteor, & fortasse, quamuis in os meum verecũdentur, tamen apud se dicunt, Tu Magister in Israel, & hæc ignoras, etc.* & ad finem; *quamuis autem à te desiderem, rogem, votis ardentibus exoptem, & expectem, vt per te mihi Dominus huius rei (scilicet originis animarum) auferat ignorantiam; si tamen, quod absit, minimè meruero, patiẽtiam mihi petam à Domino Deo nostro, in quẽ sic credimus, vt si aliqua nobis nõ aperiat etiã pulsãtibus, nullo modo aduersus eum murmurare debeamus: memini prius Apo-*

stolis

lis ipsis dictum, multa habeo vobis dicere, sed non potestis illa portare modo, etc. Multa enim similiter nescio, quæ cõmemorare, vel enumerare non possum. Pudeat interea sciolos quosdam, qui quod summæ ignorantiæ argumentum est, de quauis facultate, & re proposita intrepidè respondet, iudicant, & definiunt: siquid enim ritè scirent, ex hoc ipso alia à se ignorari dignoscerent. Sed ad rem nostram concludamus; ergo via quærendi veram religionem per examen rerum est non solum absurda, sed impossibilis etiam robustissimis ingenijs defectu luminis, defectu temporis, & vitæ. Alijs deinde libri desunt, alijs pecunia, alijs salus: alij iuuenes moriuntur, alij viri: vt demum quæstionibus præcedentibus est demonstratum, vera religio ad omnes attinet? examen rerum plerosque ex toto fugit, propter hebetudinem ingenij, propter occupationes vitæ necessarias, vt Thomas statuebat.

Concludamus ex his, quæ euidentissima sunt, sapientium sæculi stultitiam, qui rerum instituto examine volunt de causis religionis iudicare: hinc illæ de diuina prouidẽtia quæst. hinc illa murmura insipientium cordium; inde de immortalitate animæ tollenda, vel examinanda solicitudines: de quibus abusibus magis in specie dicemus denuò infra. Prodeat nunc magnus ille, sed spuriæ naturæ soboles Machiauellus sciẽtiarum etiam ipsarum prorsus ieiunus; & audeat, & garriat, & decernat. Quid hoc puero puerilius? & tamen cultores habet, sed ignorantissimos, sed vanissimos, licet in purpura. At quod haud multò minus inuerecundum, & ineptum est, Cardanus ille astrologiæ, vt putat, solus sapiens, & plenissimus religiones etiam ipsas ex astris dijudicet? genituras constituat; & palmam, & triumphũ deferat Mahometismo. Siccine delyrabit humana fatuitas? Quid à causis religionis remotius astrologica facultate? iam & Medici ex Medicina dijudicent; Poetæ ex Poesi: haud ergo conqueramur de Deo, si adeo libet insanire. Quid vero Cardane? an non ante te omnes in genituris etiam infantium assignandis errarunt? Ais. Tantumdem porro de te reposuerint posteri. Verum nihil ad nos hæ nugæ. Illud haud grauabor quærere;

161

Cardani fatuitas religionibus genituras constituens.

Digitized by Google

rere; quod tempus apud te designaueris pro religione Christiana? An quo natus est Christus? At horam quis reuelauit? Sed reuelauerit. At quid non potius, quo prædicare cæpit? quo moriens legem impleuit, & omnia consummauit? Sed nec hoc forte fuerit; sed quo discipulos prædicare iussit; vel quo re ipsa misit illos in mundũ. Delyra, mi homo, quantum voles, nam per me licet; & pudet cum his disputare.

163 Ergo ad Gentiles redeamus, qui non tam vltrò ineptiebant, sed ipsa rerum difficultate victi, & coacti, vt quæst. sup. est obseruatum. Distinguendum est inter Philosophos, & populum. Philosophi certè errabant, nam religionem quærebant per sapientiam, vt prodit Paulus, vt produnt ipsorum illorum scripta, & relicta monumenta. At ostensum est, religionem non sic esse quærendam; imo ordinem esse inuersum, & sapientiam per religionem esse quærendam: nec aliter diuinarum, æternarum, & summarum rerum constare, aut subsistere notitiam. Hinc futile illud contra Moysem; *multa loquitur, sed nihil probat; seu benè loquitur barbarus, si probaret*; non enim erant res probandæ, sed credendæ: vnũ probare Moyses debuerat, quod abunde probauit, vt dicemus. Sicut ergo, qui nihil sine probatione admittit, nullam scientiam comparauerit, vt est demonstratum, suntque multa non probanda ex natura sua: sic res veræ religiones minimè omnium sunt probandæ.

164 Gentilium porrò populus abundauit oraculis, & Numinum suorum reuelata doctrina. At hoc opus, hic labor, & miseranda gens nec probando, nec credẽdo in tuto esse potuerat. Non quidem probando, & examinando, vt demonstrauimus; nec item credendo: nam ipsorum Dij tales non erant, quibus sine examine esset credendum. Vel enim res erant inanimes, vt elementa, & flumina, & cœli; vel vegetabiles vt plantæ; & his nullus est sensus, nulla locutio; ac proinde creditur nihil: vel erant animantia, vt serpentes, & pisces; & his nulla est doctrina; ac proinde in eorum reuelatis vera religio fundari nequiuerat. Sed age: magna illa Numina admittantur, Iupiter, Apollo, Mars, Amida: at hi homines erant, vel fœminæ: nescire poterant, & deci-

Digitized by Google

pere: sapientiores haud erant Socrate, Platone, vel Pythagora: ergo examinanda erat eorum doctrina; pars vera admittenda, respuenda inueriſimilis; & vno verbo ſic erat cum eis agendum, vt agimus cum hominibus: fideſque comparata imbecillis, & incerta foret, &c. Idcirco Gentium ſapientes nihil eorum credebant. Idem vero eſt, ſi Dœmones ponas, ſiue Solem, & Lunam. Ergo doctrina veræ religionis eſt doctrina Dei, quem nihil omninò lateat, qui omnia ſciat, & quem proinde falli repugnet: ergo infinitè veracis: ergo Dei Chriſtianorum, vel Iudæorum, vel Mahometanorum.

Gẽtium miracula etiã admiſſa nil probant.

Hinc quod ſummæ expeditionis ad has cauſas erit, 165
gentium miracula, vel præſtigiæ nihil ipſorum religiones confirmant. Nam primò vera miracula edi nequeunt niſi ab eo, qui totius naturæ, & in totam naturam habuerit dominium; ſitque proinde tota natura potentior: at nullum huiuſmodi Numen ponebant, vel ponunt Gentes, ſed Deos inter ſe pugnantes, & limitatos; & qui ab ipſa etiam natura paſſi ſint ſitim, vel famem, vel mortem. At hæc quæ loci huius tam propria non ſunt, ſubticeamus; ſint Dij quantumcumque potentes: nihil interea eorum facta veritatem concludũt, quidquid mortuos etiam ſuſcitauerint, ſi neſcire poſſunt, aut decipere, imò quò maior, eò erit periculoſior potentia: vt apud nos, licet mendaces, aut ignorantes Demones mortuos etiam ſuſcitarent, haud ideò veritatem concluderent, ſed confunderent, & eò minus eſſet ijs fidendum, eò metuendum magis.

Ex quibus idolatriæ omnes conuincuntur per re- 166
ductionem, vt aiunt, ad impoſſibile; id eſt, per reductionem ad fundandam religionem in examine rerũ, quod oſtendimus impoſſibile. Etenim quicumque Numen aliquod non habent, & colunt, quod & falli, & fallere repugnet, tenentur eius doctrinam non vltrò credere, ſed examinare: at nullum tale Numen idolatræ habent vel colunt; nam ſunt homines, vel fœminæ, vel Dœmones, vel aliquid minus: & deinde quodcumque falli, & fallere repugnans eſſe infinitum, vnicum, æternum, & qualis demùm eſt Deus Chriſtianorum, eſt euidentèr demonſtrabile, & iam à me cum alijs 1. par. demõſtratum.

Digitized by Google

tum. Ergo idolatræ tenẽtur doctrinam Numinum ſuorum, non vltrò credere, ſed examinare, atque in rerum ſapientia fundare religionem: quod cum oſtenſum ſit impoſſibile, conuincuntur ad abiurandam idolatriam. Eodem verò iure licuit etiam Chriſtianis Doctoribus Gentiliſmum per examen quoque rerum aggredi, inuadere, expugnare.

167 Hæc proculdubio omnia, & maiora comprehendens diuinus ille Auguſtinus lib. 10. de Ciuit. Dei c. 16. ſententiam illam protulit primo aſpectu difficilẽ: gentium quippe miracula memoratus, fidem tamen vnius Dei præhabendam concluſit, licet nullæ illi confirmandæ ſupereſſent miracula: quod vltroneũ, nec ita æquum videbatur. Verùm re conſiderata nihil ſapientius, & æquius: vidit diuinum lumen ingenij miracula Deorũ etiam admiſſa nihil concludere; vt eſt probatum. Vel enim non ſunt vera miracula, vt de limitatis Dijs iure præſumitur; & nihil probant; vel ſunt vera miracula, & eò minus probant. Vndè Deorum religiones tam non confirmabantur miraculis, quæ etiam adeſſent, atque religio vnius Dei, quæ nulla haberet: quare in pari vtrimque quoad miracula caſu merito multis de cauſis antefertur religio vnius Dei; atque ex eo in præſentia, quod impoſſibile ſit niſi in doctrina vnius Dei veram religionem ſtatuere. Sint itaque hæ concluſiones infallibiles: ergo vera religio non eſt quærenda per examen rerum; & cum hac connexiſſima hæc alia: ergo vera religio quæri debet in doctrina, & fide alicuius, quem falli, aut fallere repugnet.

168 Iam quid dicas in præſentia de Chriſtianis gentilizantibus, & per ſapientiam quærentibus religionem? Quid enim vſitatius, quam quod nos Caluiniſta aggrediatur impoſſibilitatẽ myſterij Euchariſtiæ oppugnãs? concordiam libertatis, & gratiæ inuadentes Proteſtantes omnes, & Pelagiani? tantumdem Ariani, Neſtoriani, Eutychiani, Manichæi, & omnes in ſumma hæretici auſi ſunt. Age ergo cunctorum illorum conteramus vanitatem, & faſtum.

Digitized by Google

QVAEST. IX.

Vtrum aduersus hæreticos omnes, & Iudæos consequatur, veram religionem nec quæri debere, nec inueniri posse per examen articulorum; nec item scripturarum.

SVperiori capite dicebam causam immediatam 169
errandi omnem ad examen rerum, atq; scripturarum reuocari; inter remotas quippe veniunt numerandæ causæ aliæ superbiæ, ingratitudinis, luxuriæ, & siquæ erunt huiusmodi. Haud porrò ita solis gentilibus res religionis examinare moris est, vt in id vitij non passim prolabantur etiam hæretici; vnde in capitali puncto actum, vt aiunt, agere, & eadem illa antecedentium quæstionum hic significare denuò, atq; de nouo communire, prolixioris licet, operæ tamē pretium erit magnum: peccant verò magis in examine scripturarum hæretici.

Hic itaque duo occurrunt remouenda, & examen 170
articulorum, ac mysteriorum veræ religionis; & examē scripturarum. Video, vt omittam alios, Tertullianum lib. de præscript. & contra Marcion; & cōtra Valentinū; atque Augustinum l. de vnit. Ecclesiæ, & aliàs prima fronte inter sese contrarios: hic enim ex solis scripturis vult inter Christianos veram religionem iudicandā, & dignoscendam; ille ad id negotij recusat examen scripturarum. At vterque benè, vterque verè. Nam Tertullianus partem illam scripturarum recusat, quæ de mysterijs, quæ de articulis, atque rebus decernit; & quam scholæ vsitato vocabulo directam appellauerint; non autem partem illam reflexam, quæ signate, & reflexè de natura, & indole veræ religionis, ac fidei statuit, qua nimirum parte ipse quoque Tertullianus in ijs

Quod scripturarū examen remoueatur.

ipsis

Digitized by Google

ipsis libris vtitur, vt parabola zizaniorum, &c. Augustinus similiter partem directam recusat, quæ scilicet ante fidem discutienda tota foret, *prius finiretur vita ista, quam transiretur de morte ad vitam*, aiebat nuper. Solam ergo partem reflexam, qua signatè Ecclesiæ perpetuitas, atque illius, & veræ religionis per vniuersam terram diffusio, & alia signa affirmatissimè in Scripturis sanctis significantur, locum esse iudicauit omnium ad hæreticos expugnandos euidentissimum, atque tutissimum: non quod alijs etiam viijs commodissimè non peragatur idem negotij.

171 Quibus ita distinctis, & animaduersis, illatio, & cõclusio est: ergo vera religio nec quæri debet, nec inueniri potest per examen articulorum; nec item scripturarum de articulis, atque rebus decernentium. Hoc porrò totum tam est ex dictis consectarium, vt apud capientes iacta principia, nulla illatione, aut explicatione, aut discussione opus esset; si scilicet satis vel hoc vnum intelligeretur, doctrinam veræ religionis via scholarum, aut scientiarum non posse subsistere.

172 Nimirum scholæ, & lites, & opiniones non solum de rebus consurgunt, sed similiter etiam de libris, atque authoritatibus exponendis, ac intelligendis: & quemadmodum apud gentes erant scholæ Philosophorum dissentientes de rebus, ita apud nos catholicos v.g in ijs, quæ ad religionem haud pertinent, sunt circa Scripturam pugnantes, sanctorum etiam Patrum sẽtentiæ, nec Chrysostomus est semper cum Augustino, nec Augustinus cum Hieronymo, nec Hieronymus cùm Ambrosio, vel Cypriano: sunt subinde Scripturariorum recentium dissentientes doctrinæ, diuisiones, & sectæ: nec Sectarius cum Sectario, aut Caluinus cum Luthero cõsensit. Apud nos deinde Theologos, quas non discordias, & diuisiones peperit vel vnius Sancti Thomæ exponenda mens, & autoritas? Ergo sicut in rerum controuersijs nequit certa, explorata, constans, atque ad religionem necessaria doctrina erui, & statui via scholarum, disputationum, & similium, ita, cum ipsissima sit ratio, nec in controuersijs librorum, authoritatum, scripturarum. Vt rursus humana ratio errare potest, erratque perfacile in intelligendis rebus, ita & in intelligendis,

Eadem difficultas examinis rerũ, ac librorũ.

Digitized by Google

ligendis, ac exponendis libris : vt item nimis longum est examen rerum, sic & scripturarum ; ad vtrumque æqualiter impedit hebetudo ingenij, impediunt occupationes necessariæ huius vitæ; impediunt breuitas, & incertitudo vitæ atque demum, vbi res sunt abstrusæ, & profundæ, & difficiles, necesse est libros quoque de ijs tractantes esse abstrusos; & difficiles : idcirco nulla styli claritate, aut dicendi eloquentia res diuinæ, & æternæ reddi nobis possunt conspicuæ, & obuiæ, sed altitudine sua varijs sensibus, & intelligentijs manent expositæ : Ex quibus omnibus palmari argumento conficitur, tã non esse quærendam veram religionem per examen scripturarum, & librorum, quam non est quærenda per examen rerum; & conficitur similiter, Sectarios, qui in scholas blatterant, esse maxime omnium scholasticos, qui scilicet controuersijs, & examine suo volunt de religione iudicare, eosque in morem demum Gentilium incidere in sapientia religionem quæritantiũ : est quippe & sua librorum, vt & rerum sapientia : sicut Hieronymum in scripturis putamus sapientissimum, Zerdam in Virgilio &c.

Gentiles reducti ad impossibile.

Sit rursus liber quantumcunque certissimus, ipsis 173
si placet, Dei digitis exharatus : in eo certè nullus, fateor, erit error. At similiter nec in rebus est error vllus: Dei prouidentia, Dei perfectiones, animarum immortalitas certissimæ in se sunt, & constantissimæ, si sunt. Ceterum, quia non ita indefectibilis est humana ratio, & inuestigatio, error, qui non prouenit ex rebus, obuenit ex humana ratione exanimante, & inuestigante; inde concluſimus, quod Sectarij haud negant, nec saluis scripturis sacris negare possunt, ad constantiam, & indefectibilitatem doctrinæ religionis oportuisse, quod res religionis verbo Dei, atque reuelatione constarent. Atqui similiter error, qui non est in libro, ex humano examine irrepit perfacilè: ergo doctrina religionis cõstare nequit magis examine librorum, & scripturarum, quam examine rerum. Sed hoc posterius est Gentiliũ ineptientium. Ergo primum magis etiam est non credentium Gentilium, quam docilium Christianorum; & vtriusque eadem est causa superbia, & fastus. Vt enim in rebus manifestis manifesta vtamur expositione magis,

Digitized by Google

gis,quam argumentatione, ad errorem euitandum neceſſe eſt duplicem eſſe indefectibilitatē, ſcilicet & examinantis, & rei examinatæ; intelligentis,& rei intellectæ: ecce, mi Caluiniſta,errant erramus nos miſeri Papiſtæ in ſcripturis veriſſimis. Ergo ad euitandam defectibilitatem, & inconſtantiam doctrinæ religionis non ſufficit ſcripturarum veriſſima integritas; ſi examini humano illæ exponantur, tam periclitatur veritas, quā eſt periclitata in ſcholis gentilium.

174 Vnde gerræ ſunt, nugæ ſunt, mendacia ſunt,quæ de sāctarum ſcripturarum claritate garriunt contra mentem Sectarij,nec ad reuincendos eos opus eſt, producere earumdem ſcripturarum, & Sanctorum Patrum communia loca: nam de falſitate,& mendacio conuincuntur factis ipſis vniuerſo orbi manifeſtis. Aiunt,tam clarum,tam conſpicuum eſt, atque ex ſe ipſo dignoſcitur verbum Dei; atque eſt clara lux,& conſpicua,& ex ſe ipſa citra aliam probationem dignoſcibilis. Mentiūtur inſigniter;nam nullæ ſunt apud ipſos de luce dignoſcenda diſcordiæ; non ſunt diuiſiones aientium, & negantium lucem eſſe lucem, aientium eam eſſe noctem, eſſe lapidem: ſunt porrò diſcordiæ implacabiles, & infinitæ de verbo Dei,de ſenſu eius, de intelligentia eius. Rurſus nemo ad dignoſcendam lucem inſtitutiones cōponit, nemo commentarios, nemo varias, & varias interpretationes,& verſiones: at Lutherus,& Caluinus,& cætera capita Sectariorum de illis omnibus multa volumina conſcripſerunt: ergo non iudicabant,ſic eſſe ſingulis conſpicuam vocem Dei, ſic eſſe lucidum verbum Dei: ergo contra mentem, & mendaciter locuti ſunt. Sectarij præterea prædicantes habent,& conciones, in quibus ſcripturas, earumque ſenſum populo exponunt, & ſenſa etiam ſua argumentis confirmant. Non ergo credūt,eas eſſe ex ſe manifeſtiſsimas;alioquin vnaquæque anus,& ancilla, & puer, & ruſticus in domo ſua cū libro ſuo eſſet relinquendus, & agnoſceret totam Dei doctrinam; vt agnoſcunt,& interiudicant lucem: ergo mentiuntur. Et ſicut Academicos,& Scepticos cōuicimus,ipſos aliquid iudicare,& approbare,& reprobare; quia ad puteum vadunt pro aqua,à tauro fugiunt,à cibis

Digitized by Google

bis non fugiunt; & sic ex factis conuincuntur Sectarij, aliud ipsos iudicare, & aliud loqui; quia de scripturis exponendis scribunt volumina. Hanc deinde Theologiam ignorauit Christus: quid alioquin opus fuerat, apud Iudæos, & Gentes miraculis legem suam probare, & confirmare? quid Apostolos, quid discipulos tot mortibus committere? Siste, mi Christe: nihil opus est tantarum animarum sumptibus: satis, si Apostolorum loco mittas per vniuersum mundum scriptum Euangelium: videbunt omnes eam esse vocem, & legem diuinam: atque satis hoc solo omnes obligabuntur. Caluinus docet: Protestantes aiunt. At tu, mi Christe, verbis & factis negas. Verbis vtique; quia Iudæos, inquis, peccatum non habituros, si opera non fecisses, quæ eatenus peregerat nemo. Factis idemtidem; quia vt satis promulgaretur Euangelium, vt omnes ad illud obligares, probandum iudicasti, illud esse diuinum: ad id que Apostolos, & discipulos misisti, Domino cooperante, & sermonem confirmante sequentibus signis nihil alioqui effecturus. Quæ porro ex epistola 1. præsertim Ioannis hoc circa oblatrant, de amicis Dei vocem eius dignoscentibus, & de vnctione omnia docente, exponentur infra: & sunt hic absq; non sermo est de amicis, & diligentibus: prius est autem veram religionem habere, & agnoscere, extra quam scilicet, & nisi ea iam habita nemo amicus sit Dei. Testimonium itidem Dei est lucidum, & illuminans oculos, sed credentium: non autem vt credant. *O Christiane*, aiebat Augustinus, *considera, quantam super istos*, id est gentiles, *habeas scientiam*: & retrò expositum est, quantam mundo lucem attulerint diuina testimonia, & verba; nam delyrabat mundus de diuinis, de beatitudine, ac fine hominis, & magnis quibusque rebus, quas tenebras expulit doctrina Dei, sed à credentibus; vt autem crederent, diuina doctrina per se ipsam haud innotuit, sed miraculis, sed martyrijs mundus credidit, non vltrò, & ex sola Euangelij lectione, quod citra insaniam asseuerari nequit.

Atque demùm hoc Protestantium affectatum refu- 175
gium expugnatur, & doctrina nostra ostenditur; nam constat ex Paulo, & Ioanne constat ex facto, fuisse in

Eccle-

Digitized by Google

Ecclesiâ hæreſes; *oportet & hæreſes eſſe, &c.* hæreſes autem eſſe nequeunt ſine ſcripturis: ergo in ſcripturarum examine erratur, & ex erroribus proſiliunt hæreſes: non ergo illæ, vt garriunt, tàm ſunt conſpicuæ, & manifeſtæ. Diſſerat nonnihil Tertul. lib. de præſcript. c. 39. *Alius manu, alius ſenſu expoſitiones interuertit. Neque enim ſi Valentinus integro teſtimonio vti videtur, non callidiore ingenio, quam Marcion, manus intulit veritati. Marcion enim exertè, & palàm machæra, non ſtylo vſus eſt; quoniã ad materiam ſuam cædem ſcripturarũ confecit: Valentinus autem pepercit, quoniam non ad materiam ſcripturas, ſed materiàm ad ſcripturas excogitauit: & tamen plùs abſtulit, plùs adiecit, &c. Et ideò habent vim, & excogitandis erroribus fælicitatem, non adeò mirandam quaſi difficilem: cum de ſæcularibus quoque ſcripturis exemplum præſto ſit eiuſmodi facilitatis. Vis hodie ex Virgilio fabulam, in totum aliam componi, materia ſecundum verſus, verſibus ſecundũ materiam concinnatis. Ouidius Geta Medeam tragœdiam ex Virgilio plenſſimè expreſſit. Meus quidam propinquus ex eodem Poeta inter cætera ſtyli ſui otia Pinacem Cebetis explicuit. Homero centonas etiam vocare ſolent, qui de carminibus Homeri propria opera in vnum ſarciunt corpus. Et vtique fœcundior diuina litteratura ad facultatem cuiuſque materiæ. Non periclitor dicere, ipſas quoque ſcripturas ſic eſſe ex Dei voluntate diſpoſitas, vt hæreticis materias ſubminiſtrarent, cum legam, oportet & hæreſes eſſe, quæ ſine ſcripturis eſſe non poſſunt.* Quid plura? Quis hæreticorum hæreſim ſuam non ex ſanctis ſcripturis aſſeruit? Diabolus ipſe, quod Sancti Patres ponderant, an non ex ſcripturis contra Chriſtum pugnauit? An alio Iudæi in Chriſtianos pugnant? Et tamen Diabolus, & hæretici, & Iudæi errarunt, & errant. Ergo in examine ſcripturarum, ſicut & rerum errari poteſt: ergo tàm eſt inſufficiens hæc via ad religionis conſtantiam, atque via gentilium, & vtraque eſt ſcholarum non credentium, & humana: mentiunturque ſectarij, dum ſcripturas dicũt manifeſtas ex ſe, ſicut lucem. Ecquis ex lectis ſcripturis, & modo noſtro intellectis non intuliſſet, iam pridẽ venturum Antichriſtum, vt plerique Sanctorum Patrũ crediderunt.

176 Sed ad conterendam peruicaciſſimam impuden-

Digitized by Google

tiam arguamus denuò, & demonstremus via ista veram religionem agnosci omninò non posse: & ad quæstionem introducamus litteratum Atheistam, qui persuasus solùm apud Christianos veritatem esse, ad nos veniat; inuenit verò nos diuisos quam maximè, & alios alijs hæreticos; ille autem veram religionem christianam quærit; nec eos nunc vult audire, qui quamlibet Christianorum partem tutam esse, & sufficere contra prima Christianæ Religionis elementa, vt demonstrabimus, impudentissimè blasphemant. Ecce singuli respondemus, apud nos solùm veritatem esse. Ergo tete consulit, siue caluinista, siue catholicè, quid sit sibi agẽdũ, vt veritatẽ inueniat: non ità est simplex, quod velit Caluinista fieri, vel Catholicus; quia tu, vel tu apud tuos veritatẽ esse, & asseras, & clames, & etiã iures: vult sibi idoneam rationem exhiberi, vt honestè, ac prudẽtèr eligat, interea Deo interiùs adiuuante; nec alteruter vestrum id potest illi vertere in vitium; quandoquidem si vltrò, & temerè citra omnem rationem Catholicus fiat, aut Papista, à te, Caluinista, condemnabitur; & à te vicissim, catholicè, si ità vltrò Caluinista fiat: & omnium iudicio imprudens est electio omnis, ad quam sufficiens consultatio, & ratio non præit, vt est principium ex Ethicis.

Facilis est, inquit Caluinista, solutio: vera Religio Christiana illa est, quæ veram, & incorruptam doctrinam Christi tenet, & seruat; nec alia probatione, vel argumento opus est. At quænam sit doctrina vera Christi, perfacilè etiam dignoscitur; nam ad manum est sacra scriptura, liber sanè non immensus, & legi breuitèr potest: & hic est omnium regula, sententia, & definitio, habetur veritas christiana. 177

Via scripturarũ nequit veritas dignosci.

O bene! Sed ecce replicat infidelis: ego, inquit, video apud vos diuersas scripturas, diuersas, & contrarias interpretationes, & versiones: & alij alias colitis; alij alias flammis datis: neque solùm de sensibus, & clausulis altercatur, sed de integris etiam libris: libros alij colitis Machabæorum, Esther, epistolam ad Hæbreos, epistolam Iacobi, Apocalypsim Ioãnis, & alios, quos cæteri sicut Alcoranum reijcitis; & omnes concorditer aijtis libros prophanos admittẽdo, vel sacros, & di- 178

Digitized by Google

& diuinos excludendo veram Religionem Christianam haud haberi. Quem ergo librum, quam ergo scripturam, quam versionem legat, quam loco regulæ accipiat? Sed & Manichæi scripturam suam legendam porrigunt: veteri testamento, quod ad Christianos haud pertinere putant, ex puncto, nec non Euangelijs Matthæi, epistolis canonicis, alijsque deletis: porrigit & suam Marcion; porrigunt Valentinus, & Apelles, & Zuinglius, & Bucerus, & alij sine numero, quibus perlegendis, & conferendis vita vix sufficiat: stulta est ergo, & impossibilis hæc via. Imò hinc concluditur, quod decursu multotiès stabilietur, non esse quærendam veram religionem per veras scripturas; sed à contrario.

179 Dato deindè, quod veræ, & incorruptæ scripturæ constarent citrà omnem Christianorum controuersiã, adhuc replicat contra omnes infidelis, sibi hac via esse inaccessam veritatem. Nam video, ait, in scriptura esse multa dicta tropicè, figuratè, allegoricè, alia litteralitèr, & presse: verba audio, significatum ignoro, nec littera sola saluat, sed sensus. Ecce asseritur: nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu sancto, non intrabit in Regnum Cælorum: asseritur similitèr, facilius esse camelum per foramen acus intrare, quàm diuitem in Regnum Cælorum: nemo interea vestrùm, inquit, baptismum ad salutem non postulat: nemo vestrum diuites hoc solo titulo excludit à regno: nec hoc vtriusque assertionis discrimen exprimunt scripturæ: potiùs asserũt, eum discipulum non posse esse Christi, qui omnibus nõ renunciat, quæ possederit. Quid non etiam calceatos omnes excludamus, vt pridèm quidam fecerunt? Dicitur item de Verbo Dei: *& homo factus est*; dicit et Christus: *hoc est corpus meum*: at non minùs expresse dicitur: *petra autem erat Christus*: *ecce agnus Dei*. Ad examen hæc cuncta vocantur: Nestorius nihil eorum presse, & litteralitèr accipit: Caluinus verbum concedit realiter hominem factum; reliqua per figuram exponit: Catholicus presse, & litteralitèr accipit, *hoc est corpus meum*; Christum petram, & agnum per figurã intelligit. Conferantur scripturæ: opiniones eruuntur: & alij, & alij sine fine variant, exponunt, stringunt, & laxant. Concludit infidelis: mihi ergo modus non su-

Digitized by Google

pereſt, quo prudenti, & honeſta electione Chriſtianus fiam: quia ſi omnia, vt iacent, credam, erro: ſi omnia examinare debeo, non poſſum; & nihil deindè iudubitatum concludo: ſi temerè ad hos, vel illos accedo, cõdemnor ab omnibus, condemnor à Chriſto. Matth. 24. *Tunc ſi quis vobis dixerit, ecce hic eſt Chriſtus, aut illìc, nolite credere; ſurgent enim Pſeudo Chriſti, & Pſeudo Prophetæ*: Lutherus dicit, hic eſt Chriſtus; Caluinus dicit, hic eſt, & non ibi: & ità alij, & alij ſine numero. Ergo hic modus eſt impoſſibilis.

Vnctio, ais, docebit de omnibus, & ſuggeret veritatem.. Sed vt ea nunc omittam, quæ integra quæſtione in hanc vnctionem hæreticè intellectam dicturi ſumus, liquet ex dictis, eam de amicis, & veram religionem iam aſſecutis eſſe intelligendam, vt ex Ioanne ipſo eſt manifeſtiſſimum; & hìc præterea replicat infidelis, nos omnes viciſſim allegare eam vnctionem: ipſi interea haud conſtare, pro quibus illa ſit re ipſa: Dicet, nihil ſibi ſuggeri, quod certò ſaltem dignoſcere queat; & quidquid intùs ſentiret, dubitaturum ſe, an Dœmon ſit, an Deus, an affectio aliqua naturalis, propriumue iudicium: ad has Chriſtum latebras haud cõfugiſſe pro lege ſua Iudæis probanda, & gentibus; haud confugiſſe Apoſtolos, Doctoreſque Eccleſiæ: tantumdem à Mahometo reponi poſſe, tantumdem à Iudæis: refugium eſſe defenſione carentium, & quo admiſſo nihil ſit vlterius ſcribendum, nihil diſputandum, prædicandum nihil pro vera Religione: ac demùm ea hùc redire, qnæ nupèr de claritate ſcripturarum ſanctarum dicta ſunt. 180

Licèt his euidentiſſimè confectum ſit, veram religionem quærendam minimè omnium eſſe per examẽ ſcripturarum, quia tamen hæc origo vniuerſa eſt hæreſum, eam obſtruat iterùm Tertullianus lib. de præſcript. quanta ſolet ingenij, ac verborum mole. *Cedo nunc ſponte de gradu iſto* (ait c. 9.) *omnibus dicta ſit: quærite, & inuenietis. Sed in primis hoc propono; vnum aliquid, & certum inſtitutum eſſe à Chriſto, quod credere omnimodò debeant nationes, & idcircò quærere, vt poſſint, cum inuenerint, credere. Vnius porro, & certi inſtituti infinita inquiſitio non poteſt eſſe. Quærendum eſt, donec inue-* 181

nias,

Digitized by Google

nias, & credendum, vbi inueneris; & nihil amplius, nisi custodiendum quod credidisti, dum hoc insuper credis, aliud non esse credendum, ideoque nec requirendum, cum inueneris, quod ab ipso institutum est, quærite, & inuenietis, &c. Et c.10. *Ratio autem dicti huius, idest mandati, in tribus articulis consistit, in re, in tempore, in modo, in re vt quid sit quærendum, consideres: in tempore, vt quando: in modo, vt quousque. Igitur quærendum est, quod Christus instituit, vtique quamdiu non inuenis, & vtique donec inuenias; inueneris autem, cum credidisti, nam non credidisses, si non inueniisses. Omnem prolationem quærendi, & inueniendi credendo fixisti; hunc tibi modum statuit fructus ipse quærendi: hanc tibi fossam determinauit ipse, qui non vult aliud te credere, quam quod instituit, ideoque nec quærere. Cæterum si quia alia tanta ab alijs instituta sunt, propterea in tantum quærere debemus, semper quæremus, & nunquã credemus. Vbi enim erit finis quærendi? Apud Marcionem? Sed & Valentinus proponit, querite, & inuenietis. Apud Valentinum? Sed & Apelles hac me pronunciatione pulsabit, & Hebion, & Simon, & omnes, &c. Ero itaque nusquam, dum vbique conuenior, quærite, & inuenietis.* Et alia vtilissima subnectit c.11.12.13.& 14.

182 Addit verò c.15. *Scripturas obtendunt, & hac sua audacia quosdam statim mouent; in ipso verò congressu firmos quidem fatigant, infirmos capiunt, medios cum scrupulo dimittunt. Hunc igitur potissimum gradum obstruimus non admittendos eos ad vllam de scripturis disputationem: si hæ sunt vires eorum, an eas habere possint, dispici debet, cui competat possessio scripturarum, ne is admittatur, cui non competit.* Et probat hoc ex Apost. 1. ad Timoth.6. & ad Tit.3. deindè probat c. 57. *quoniam* (ait) *nil proficit congressio scripturarum, nisi planè, vt aut stomachi quis ineat euersionem, aut cerebri: ista hæresis* (idest quælibet) *non recipit quasdam scripturas, & si recipit, non recipit integras, & si aliquatenus integras præstat, nihilominùs diuersas expositiones commentata conuertit. Quid promouebis exercitatissimè scripturarum.* 18. Vos planè omnes alloquitur, qui cum hæreticis contenditis.) *Cum si quid defenderis, negetur ex diuerso, si quid negaueris, defendatur? Et tu quidem nil perdes, nisi vocem in disputatione, nihil consequeris, nisi bilem de bla-*

Digitized by Google

sphematione. Ille verò si quis est, cuius causa in congressum descendis scripturarum, vt eum dubitantem confirmes ad veritatem, an magis ad hæreses deuerget? certè de pari altercatione incertior discedet, nesciens quam hæresim iudicet.

Concludit c. 19. *Ergo non ad scripturas prouocandum* 183
est, nec in his constituendum certamen, in quibus aut nulla, aut incerta victoria est, aut parum certa. Nam & si non ità euaderet collatio scripturarum, vt vtramque partem parem sisteret, ordo rerum desiderabat, illud priùs proponi, quod nunc solum disputandum est; quibus scilicèt competat fides ipsa, cuius sint scripturæ, à quo, & per quos, & quando, & quibus sit tradita disciplina, qua fiunt Christiani. Vbi enim apparuerit esse veritatem disciplinæ, & fidei Christianæ (id est vbi apparuerit re ipsa esse illam fidem, seu religionem, seu Ecclesiam, quam Christus fundauit, & instituit) *illic erit veritas scripturarum, & expositionum, & traditionum omnium Christianorum.* Hactenus Tertullianus, qui procedit ostendendo disciplinã illam, & religionem, & Ecclesiam apud suos esse, quod & nos inferiùs comprobabimus.

Hinc iam de articulorum, mysteriorumque exa- 184
mine idem à fortiori constat. Vel enim articuli christianæ religionis per scripturas, atque per conformitatem ad illas examinandi essent? & sic ad examen scripturarum, quod impugnatum est, reciditur; vel examinandi illi forent per solam rationem? & sic ad examen rerum relabimur à professione christiana alienum, & in quæstion. præced. protritum, disiectumque euidentissimis rationibus. Et quidèm saltem Christiani credere iubemur, & non scire, nec probare mysteria fidei: captiuare intellectum, non acuere, &c. & nulla religio articulos habet probatu, scitu, intellectu tam difficiles: nullius esset deterior futura causa, si ad examen, sententiamque rationis naturalis euocaretur.

Præterea vel omnia mysteria discutienda sunt, vel 185
nullum? Omnia discutere, penetrare, dijudicare nemo potest. Etenim si agendum est de Papatu, si de Purgatorio; ergo & missæ sacrificio; ergo & de sacerdotio: ergo & de Concilijs: de gratia, de natura: de libertate, & prædestinatione: de sacramentis in genere, & in specie:

Digitized by Google

cie: de indulgentijs: de reliquijs, de intercessione Sanctorum: de adoratione imaginum, atque sexcentis huiusmodi. An infidelis per horum omniū examen agnituras est veram religionem? Sed quis, vel quando hæc cuncta dignè, et plenè discusserit? Sunt rursus vtrimque infinitæ impugnationes, et defensiones: opus erit, vt controuersias Bellarmini noris exactè, illarum oppugnationes, illarum defensiones. Sed vel de vno Tridentino Concilio, atque tot historiarum voluminibus, quis, et quando exactè definiat? Patet hoc examen esse absurdum, esse immensum, et sine fine. Si gentes per horum omnium discussionem conuertendæ sint ad fidem, quis vnquam conuerti poterit? Planè nemo. Nō est ergo hæc vera via instituta à Deo, instituta à Christo, et qua vsi sunt Apostoli, et Ecclesia, sed prophana, et impossibilis.

186 Age porro: nouerit quis distinctissimè quæcumq; hac ætate disputantur de religione inter Christianos. At mox eodem iure audiri volent Cherintus, & Simon, & Arius, & Nestorius, & Pelagius, & omnes hæretici. Hos, ais, non audiendos, quia pridem extincti sunt. Sed & Protestantes cum pridem non essent, recens nati sunt, & audiri volunt: ergo veritas Christiana, cum antea non esset, recens nata est, vel reuiuixit: at si illa perire potuit, & deesse, Arius dicet, eam nunc quoque deesse: ergo audiendus est. At scripturas, inquis, non afferunt. Afferunt; Arius scriptum ait, *Pater maior me est*; nemo nō scripturas eructat. Sed à Concilijs (inquis) liberis damnati sunt legitime. Negant; & Arius Nicænum carpit, sicut vos sectarij Tridentinum: & reliqui reliqua explodunt. Ergo de omnibus Concilijs, atque eorum gestis, & actis admittendum est examen: admittendi sunt hæretici omnes, & audiendi. Hoc autem absoluit nemo: vel sola tot sectarum nomina, vt supra notabam, agnoscit nemo: ergo nemo est, ritè Christianus, cum causa tota non examinata vnam præ alia partem sectentur omnes: eos solum errores, qui de Incarnatione Verbi Dei extiterant pridem, à nullo memorari posse nisi prolixo sermone, & *molesto*, ac *inexitabili exant lato Labore*, scribit Cyrillus Alex. ad Theod. de recta fide.

Ad

Digitized by Google

Ad hæc. Ecquis saltem Christianorum eam for- 187
mam veræ religionis dignoscendæ non damnet, quam Iulianus Apostata instituit ascitis ad tribunal Moyse, & Platone, vter vtri præstitisset in describēda mundi creatione? causamque Platoni detulit, vt diuiniori. At quid non vltra pergit, & reliqua examinat! fortè verior, & diuinior alicubi inueniretur Moyses? Quid rursus Orphæum non vocat, & Trismegistum, & Ioannem Euangelistam, quo nemo sublimius Deum, mundique creationem exposuit? Imò nemo Philosophorum, & Bonziorum citandus non esset.

Iuliani Apostatæ vanitas.

Idem rursùs Iulianus totum præsertim testamen- 188
tum vetus percurrit, discutit, & ridet, cur irasci, pœnitere, & dolere dicatur Deus? quorsum zelotes? quorsum cum vniuersorum esset Deus, gentes omnes tot sæculis omitteret, negligeret? curaret vero rusticissimos Iudæos, & fæcem hominum, partem mundi vix aliquam? quid sibi vellet tot illis minutijs, ceremonijs, & legibus? Quid deinde indignius (dicet) quā quod 1. & 6. Regū iubet de quinq; illis aureis? Producit, & producere quisque valet hoc genus sexcenta. Quæ si omnia, vel aliqua per metaphoram, & tropum dicta esse respondeas, idē Persæ de Alcorano reponūt. Quæ si rursus ratione examinanda sint, quis ea probet? quis ratione tueatur? quis causa valeat aduersum Socratem, vel Platonem? Ergo Christiani saltem, & Iudæi fateamur, necesse est, hanc viam haud esse legitimam quærendæ, & dignoscendæ veræ religionis. Quod idem contra omnes iam satis euidenter commonstratum est.

Deducitur verò, errare, & peccare Iudæos, dum 189
vel vt suam tueantur professionem, vel vt Christianam oppugnent, ad solum examen scripturarum prouocant, & omni alio medio destituti sunt, vt probent, veritatem vel apud suos esse, vel apud nos non esse. Fateor, esse in lege partem aliquam, vt initio distinguebam, reflexā de fine, & interitu populi, & aduentu Messiæ tam expressam, vt ex illa efficacissimè eorum reuincatur obstinatio, quod à summis viris effectum est multoties. At ipsi benedictiones omnes ad aduentum Messiæ promissas volunt intellectas materialiter, nos spiritualiter; ipsi de fælicitate humana, nos de spirituali, & potissimùm

de

Digitized by Google

de futura. Solo scripturarum examine quis certò dignoscat? Si totum discutiendum testamentum quis finis? Sed ne actum agamus toties, ostensum est hoc examen esse prolixum, immensum, plerisque impossibile; omnibusque necessarium esse ad religionis constantiã, vt doctrinam habeant diuinam, & indefectibilem; & ijsdem consequenter de causis doctrinæ quoque sensum, & explicationem indefectibilem: quod humano examine constare siue rerum, siue scripturarum tam est impossibile, atque domum firmam super arenam construere, vt est demonstratum.

190 Neque vero ideo notam illam veritatis excludimus, quam orthodoxi Authores à puritate, & sanctitate doctrinæ mutuantur. Aliud est quippe veritatem doctrinæ ad normam, vel rationis, vel scripturarũ exigere, examinare, definire, quod remouimus ad finem agnoscendæ veritatis; aliud puritatem, ac sanctitatẽ doctrinæ ab vnoquoque admissam in generali inspicere, & conferre, ab illius interea veritate abstrahendo, imò ab inspectione, & collatione veritatem inferendo: & hoc est expeditum, ac breue, & manifestum, cum præsertim id non de tota doctrina minuatim inspiciatur, sed hæ fermè duæ solum partes considerari soleãt, quænam scilicet religio altiùs, sublimiùs, digniùs de Deo sentiat? quænam de moribus hominum sanctiora decernat? Quod à nobis quoque inferiùs inter dignoscendam veritatem fiet.

Digitized by Google

QVAESTIO X.

Virum nihil examinando, & per instinctum internum, atq; illuminationem Dei dumtaxat quærenda sit, expectandaue potius, & inuenienda vera religio? Vbi denuò de lectione Scripturæ.

MVlti ergo eorum, qui Christiani appellantur, ut quæst. præced. dicebamus, semel & iterum, vbi aliam solutionem haud inueniunt, per hunc solum instinctum internum, vel effugiunt, vel veram religionem, & fidem dignosci, discernique magis, credo, affectant, quam sentiant. Itaque Caluinus lib. 1. instit. 5. 2. Vuitach. Zanchius, Piscator, similesque Scripturam sacram, aiunt, esse se ipsa dilucidam, & conspicuam, discerniquenon secus, atque lux discernitur à tenebris; est enim, vt in psalmis dicitur, præceptum Domini lucidum illuminans oculos, & testimonium eius fidele sapientiam præstans paruulis, & Christus ipse Ioann. 1. dicitur lux mundi, illuminans omnes venientes in hunc mundum; vident ergo hanc lucem, discernuntque à tenebris, quæ eam non comprehenderunt, quotquot mentis oculos illuminatos habent; imò quò tenebræ tot religionum, & doctrinarum sunt maiores, lux ista magis eminet, dignosciquepotest, vt Cyrillus Alex. l. 2. contra Iulianum ponderat, vti nos etiam in scholis dicere consueuimus, magis eluceſcere oppositaiuxta se posita. Ac rursus Ioan. 10. Christus: *ego sum*, inquit, *Pastor bonus, & cognosco oues meas, & cognoscũt me meæ*: & denuò: *vocem meam audient*. Aiunt ergo, vocem istam Dei intus loquentis ita agnosci, vt quis amicum, quo cum familiarissimè, & diutissimè vixit, ex voce solet agnoscere. De vnctione porrò Spiritus san-

191

Sectariorũ error.

sancti multa extant: sufficiat quod 1. Ioan. 2. asseritur: *Sed vos vnctionem habetis à Spiritu sancto, & nostis omnia*: et inferiùs; *& vos vnctionem, quam accepistis ab eo, maneat in vobis, & non necesse habetis, vt aliquis vos doceat, sed sicut vnctio eius docet vos de omnibus, & verum est, & non est mendacium.*

192 Accedat in confirmationem D. Augustin. qui l. 11. confes. cap. 3. videtur totam Caluini mentem ex integro confirmasse: *Audiam*, inquit, *& intelligam, quomodo in principio fecisti cælum, & terram: scripsit hoc Moyses: scripsit, & abijt, transiuit hinc ad te: neque enim nunc ante me est. Nam si esset, tenerem eum, & rogarem eum, & per te obsecrarem, vt mihi ista panderet, & præberem aures etc. Et si Hebræa voce loqueretur, frustra pulsaret sensum meum, nec indè mentem meam quidquam tangeret. Si autem latinè, scirem quid diceret, sed vndè scirem, an verum diceret? Quod si & hoc scirem, num & ab illo scirem? Intùs vtique mihi, intùs in domicilio cogitationis nec hebrea, nec græca, nec latina, nec barbara lingua veritas sine oris, & linguæ organis, sine strepitu syllabarum diceret, verum dicit. Et ego statim, certus confidenter illi homini tuo dicerem, verum dicis. Cum ergo illum rogare non possim, te, quo plenus vera dixit, veritas, rogo te, Deus meus, rogo, parce peccatis meis; & qui illi seruo tuo dedisti hæc dicere, da & mihi hæc intelligere.* Hactenus Augustinus, nec alia sentit S. Thomas 2. 2. qu. 2. a. 9. ad 3. neque alia desunt, quæ in confirmationem addantur.

193 Quisquis ergo (concludent) seriò, atque syncerè veram religionem quærit, quod facillimum est, accipiat in manus sacra biblia, et à Deo, qui intellectum dat paruulis, et postulantibus sapientiam, postulet inhæsitanter veritatis cognitionem; et continuò à Deo illuminatus discernet veritatem, et doctrinam Dei tam facilè, tamque clarè, ac lucem discernit à tenebris, nec alio examine opus habet. Haud verò vllus Christianorum negauerit, id à Deo fieri posse, qui scilicèt dat aures audiendi, & oculos mentis illuminat; vtque alios obcæcare dicitur subtrahèdo lumen suum, melius multò visum & oculos præbet, præbuitque de facto viris sanctis, qui veram doctrinam, & diuinam à falsa palam,

Digitized by Google

& euidentissimè discernebant. Quid enim? sicut in ordine naturali lumen intellectus omnibus dedit, quo principiorum quorundam generalium, veritatem palàm, & apertè, ac sine probatione discernimus, vt dictum est quæst. 1. cur non simile aliquod lumen concedat in ordine superiori, quo ipsius doctrina palàm, & sine probatione dignoscatur? Si autem hoc facere Deus potest, consultum est, vt credatur fecisse: sic enim facilè vera religio inuenitur; sic excusatio omnis tollitur, cerniturque, quod alio pacto est difficile, qua ratione in media etiam gentilitate nati queant, si volunt, ad veritatis cognitionem per internum instinctum duci facillimè.

Vera resolutio.

194 Hæc quamquam, & similia haud contemnenda sint, est nihilominùs manifestissimum, & euidentissimũ ex scriptura, atque ratione, istam non esse legitimam viam quærendi, vel inueniendi veram religionem, sed periculis, atque præcipitijs plenam, quaque de lege ordinaria, & communi veritas non inuenitur, sed itur ad errores, atque ad absurdissima multa.

Prima probatio.

195 Quibus vt fidem faciam, redeat demiò ad disputationem infidelis ille. de quo quæst. sup. Hic ergo in primis, vt est antea peroratum, quærit, quam bibliam in manus accipiat? Et ego vulgatam latinam porrigo, Caluinus aliam, & aliam Lutheranus, etc. Quamnam precor, accipiat? An ex colore librorum inter illos discernat per internum instinctum, vt canes, & bruta discernunt quamplura? Incipiat, inquis, legere, & discernet. At is fortè recusabit aliam accipere, quam vulgatam nostram, quam, vt Augustinus l. de moríb. Eccl. Cathol. c. 29. in simili arte, videt *latissimè diuulgatam, & Ecclesiarum per totum orbem dispersarum consentatione firmatam*. Cum porrò Manichæi similitèr de corruptis bibliis catholicos accusarẽt, ipsique essent adeò in fingendo, & delyrando prompti, & intrepidi, numquam tamen eousque ausi sunt, vt alia, & alia biblia ipsi proferrent. *Proferendus est*, inquit ibidem Augustinus, *alius tibi codex, incorruptus, & verior, vbi ea sola desint, quæ hìc immissa criminaris. Non faciam, inquis, ne ipse corrupisse credar. Hoc enim dicere soletis, & verum dicitis: nil prorsùs aliud suspicabuntur, vel mediocritèr*

cor-

Digitized by Google

cordati homines, si hoc feceris. Ecce infidelis ille satis cordatus est: profertis vos singuli alios, & alios codices, & nostrum dicitis corruptum: ipse autem, & ex Augustini sententia cordatè vestros corruptos suspicabitur, nec vult eos aut legere, aut acceptare, quandiù non ostenditur, quisnam tot inter codices incorruptus extet.

196 Sed hoc etiam concedamus, & legat. An perlegere, & absoluere cuncta debebit, an vel ex vna linea simpliciter lecta, vt ex vngue leonem, discernet? Hoc postremùm est de se ridiculum, & puerile. Primum porrò difficile: nam propè infiniti sunt codices: & Hebræi, & Græci præhabendi erunt, vt vultis; addiscendæ consequenter linguæ, & D. Augustinus, qui vt nuper fatebatur, Hebræam ignorabat, impar erat huic negotio, nec aptus, qui inter religiones veram discerneret. Quid si casu verum illum, & beatum codicem non nisi vltimo loco in manus accipiat? Quid si solus ille inuentus non est? nec enim alicubi terrarum omnes omninò codices, omniaque exemplaria simul adsunt. *Cõfirmatio.*

197 At adsit verus, & legatur. Sed ecce infidelis ille nondum est Christianus, & cõsequenter nec ouis Christi; vnde nec Christum, nec vocem eius adhuc agnoscit: quod si exemplum vestrum de amico vultis acceptari, nondum ille est amicus Christi, nec cum Christo quidquam conuersatus est; quo ergo pacto eum ex sola voce cognoscat, cui assuetus non est, & nunc primã illam audit, nec Spiritum sanctum adhuc accepit, nec vnctione illa propria filiorum donatus est? Ioãnes porrò Apostolus scribebat ad eos, qui iam Spiritum sanctum accepere, vt patet. *Sectariorũ probatio inepta.*

198 Deindè si simplici scripturæ lectione, & vnctione omnia liquent, *quid ergo nos facimus fratres* (differit Augustin. tract. 3. in epist. 1. Ioan.) *qui docemus vos? Si vnctio eius docet vos de omnibus, quasi nos sine causa laboramus. Et vt quid tantùm clamamus? Dimittamus vos vnctioni illius. Sed modò mihi facio quæstionem, & illi ipsi Apostolo facio: dignetur audire paruulum quærentem à se: ipsi Ioanni dico; vnctionem habebant, quibus loquebaris; tu dixisti, quia vnctio eius docet vos de omnibus. Quid talem epistolam fecisti? Quid illos tu docebas? Quid instruebas?* *Augustini euidens cõprobatio.*

Quid

Digitized by Google

Quid ædificabas? Hæc Augustinus; quæstionem porrò non soluit, excludendo Doctorum, & plantatorum, rigatorumque necessitatem; nam horum necessitas cõstat ex vniuersa scriptura, sed fatendo eorum insufficientiam nisi Deus intus adiuuet, cordaque moueat; nisi enim sit intùs, qui doceat, inanis est strepitus noster, vt ibi, & toties alias Augustinus inculcat. At si ex simplici lectione Scripturæ veritas liquet, non solũ est insufficiens, sed est otiosa, & vana omnis instructio. Quid ergo Caluinus suas institutiones cõscripsit? Quid Vuitacherius de scriptura? Quorsum tot condunt volumina pro veritate sua ostendenda, & probanda?

Sectarij non id sentiunt quod dicũt.

Ex quo vt q. sup. arguebamus, palã apparet, ipsos non id sentire, quod dicunt. Nil enim alioquin, pro suis scriberent, qui scilicet lucem illam palam vident. Nec etiam pro nobis, ad quos quippe volumen potius illud remitterent, in quo tam perspicuè veritas emicat, & cernitur. Quod si nos putant adeò cœcos, qui lucẽ istam haud valeamus agnoscere, minus multò dignoscemus ipsorum lucernulas. Contingit sanè multoties ea, quæ per probationem, & non ex se euidentia sunt, & perspicua, à quampluribus, quia probationem non ita facile percipere, comprehendereque possunt, vel ignorari, vel negari: at id ita esse nequit in illis, quæ solo simplici intuitu, & non alia probatione opus habent. Prima item, & notissima principia indigent explicatione terminorum; & illis etiam explicatis, sed non satis intellectis, negata sunt aliquandò, & ab aliquibus; non autem à plerisque & vt in plurimum. At, dato quolibet determinato vestro codice, & etiam lecto, quasi ab omnibus lux illa non videtur, & à toto fermè mundo respuitur codex. Non ergo in illo lux illa splendet, quã aitis. Quod si ab vnctione interna, quæ nobis deest, cuncta vnice pendent, dimittant nos vnctioni, si fortè Deus dignabitur, vt Augustinus dicebat, nec ipsi quidquam scribere, vel instituere curent. 199

Via eorum ducit ad Mahometismum.

Vbi denuò cernitur, viam istam ducere ad Mahometanam barbariem, & tyrannidem, qua prohibentur de religione disputare, nel contra illam quidquam audire; utq; Mahometani gladio, ita isti solo instinctu cuncta decernent, tuebunturque. Nam si hæc uia legitima 200

Digitized by Google

tima est, pro omnibus argumentis, & voluminibus hæc vna solutio sufficit, & semper aderit vnicuique, sibi scilicet interno instinctu suggeri oppositum, nec contra hoc arguere licebit. Cessandum est ergo à disputando, à scribendo, absurdeque ipsi vel discunt, vel scribunt quidquam: absurde necnon tota Sanctorum Patrum antiquitas hoc in puncto laborauit, &c. Inciditur ergo de plano in Mahometanam barbariem, atque tyrannidem.

201 Præterea, vt egregiè premit Suarez in apologia l. 1. cap. 11. vel instinctus hic internus est prorsus certus, & infallibilis, & cui standum omninò sit, quidquid secùs Ecclesiæ, vel quibusuis alijs videatur, & disputatione, & ratione ostendatur contrarium? & tunc mirabile est, quod priuato cuique & sartori, & ancillæ, & cuilibet de vulgo tribuant, vt infallibiliter inter verum, & falsum dijudicet, quod ne Concilijs, vel vni Romano Pontifici concederent, à nobis potissimum discesserè, & tot, & tanta criminati sunt, commenti sunt. Vel instinctus ille non ita certus, & infallibilis est, sed subijciendus Doctorum, vel Ecclesiæ iudicio, vel disputationi ritè institutæ? Quod si hoc dicerent, & vellent, nil incommodi instinctus hic afferret, & hoc sensu à multis etiam nostris, id est, catholicis admittitur: tunc autem per illum nequit certò quæri vera religio, sed per illa, quibus instinctus ille subijcitur, & discernitur, atque etiam iudicatur. At non hoc sensu adstruitur ab illis, quibus cum modò res est: vndè, quo nil est magis inconsideratum, & ineptum, vt vni instinctum illum infallibilem negent, cunctis eumdem concedunt; quo nihil sub sole visum, credo, est absurdius: torqueant ergo in se arma sua. Nil, aiunt, magis est, impium, quam quod iudicio Romani Pontificis subijciatur Verbum Dei, & fit ille certus, & infallibilis, vel iudex, vel interpres Scripturæ; & tamen interea anus, & ancilla quæque certò, & infallibilitèr intelligit, interpretaturque Scripturam; At nos, aiunt, non ancillæ, sed vnctioni Spiritus sancti Scripturam subijcimus, vel intelligendam proponimus. Et nos, precor, quid facimus? An non assistentiam, & reginen Spiritus sancti similitèr ponimus? At, ais, hanc assistentiam nec Ecclesia habet, nec eius caput. Et interea

Instinctus interni insufficientia.

Sectarij, vt vnum Papā tollant, omnes faciunt Papas.

Digitized by Google

tereà ſine verecundiâ aſſeris: & tamen illam vel aſſiſtẽtiam, vel vnctionem, vel inſtinctũ omnes habent? Quod ſi omnes habent; ergo & Romanus Pontifex habet, vel quicunque ſaltem veræ Eccleſiæ caput eſt, vel Sacerdos ſummus, vel quid ſimile, ne de nominibus cõtrouertamus. Sed nos, ais, inſtinctum illum ſingulis damus, nõ pro alijs, ſed dumtaxat pro ſe. O egregiè? Non ergo hoc malè habebat Romanus Pontifex, quod illi, vt dicitis, ſubijciatur Scriptura, ſeu, vt loquamur cautiùs, quod ſit ille certus interpres Scripturæ in controuerſijs fidei, ſed quod nimis humanum eſt, illud diſplicuit, vt ſcilicet vos ipſi ſubijceremini alicui authoritati. Vel ergo inſtinctus ille in vno quolibet eſt Spiritus ſancti, vel carnis, aut Dæmonis? Si primum, omnium regula eſſe poteſt; ſin minùs, nullius poteſt eſſe regula.

202

Dicant fortè: neſcitur cuius ſit: ipſe autem, qui illum habet, diſcernit, illique proindè regulæ eſſe poteſt, & non cæteris. At quæro: uel vos, qui hæc docetis, & defenditis, ſcitis hos, aut illos determinatè homines, hanc, aut illam determinatè congregationem, u.g. ueſtram regi inſtinctu Spiritus ſancti? & tunc unuſquiſque ſibi, & uobis poterit eſſe certa uia, et regula: uel de nullo determinatè id certò ſcitis? Et tunc nulli poteritis conſulere, ut ſecundum inſtinctum ſuum religionem eligat, quandoquidem de nullo determinatè ſcitis, quo inſtinctu ducatur, an bonò, an malo; uero, uel falsò. Dicere porrò, et docere, quod unuſquiſque ſecundum inſtinctum ſuum de religione decernat, qualiſcunque demum ille erit, ſiue bonus, ſiue malus, eſſet non ſolùm à Chriſtianiſmo alienum, ut patet, ſed nec ipſis etiam Gentilibus probaretur, qui ſcilicet non inſtinctum, ſed rationem quærebant. Et denuò hoc non eſſet per inſtinctum ueram religionem quærere, ac inuenire, de quo ſolùm hìc diſputamus, ſed unicuique amplam licentiam concedere, ut ſecundum inſtinctum ſuum uiuat quietè ſiue in uera, ſiue in falſa religione, de quo indignum eſſet inter Chriſtianos diſputare: tamen quia ad hoc etiam cogunt, diſputabimus inferiùs, et oſtendetur in nulla falſa religione eſſe ſalutem. Atque demum quidquid illi, qui re ipſa habent unctionem Spiritus ſancti, euidentèr illam dignoſcant, at ſunt interea alij

innu-

Digitized by Google

innumeri malo ſpiritu ducti, qui illum non diſcernunt, putantque eſſe bonum: ergo hi etiã excuſantur à quærenda, vel accipienda vera religione, ſi vt dicunt, via ad quærendum, vel inueniẽdum veram religionem eſt inſtinctus internus; huic enim demùm ſtandum erit, & contemnenda reliqua.

203 Idem ipſum manifeſtè oſtenditur ex alijs etiam, quaſi primis principijs Chriſtianæ religionis. Nam ſi inſtinctus iſte nulli alteri iudicio, & authoritati eſt ſubiectus, atque ex illo, & ſimplici lectione Scripturæ conſtant liquido, quæ ad religionem pertinent, ſequitur, vana, otioſaque fuiſſe in Eccleſia omnia Concilia; at ſemper, & à principio, ac tempore ipſo Apoſtolorum, vt ſcitur, in vſu fuerunt ſacra Concilia. Ex quo ſequitur etiam, ipſos huiuſmodi inſtinctus Fautores fruſtrà, & prorsùs otiosè ad Concilium liberum prouocaſſe: quidquid enim Concilia decernant, ſtandum erit inſtinctui. Sequitur etiam, vt arguebam retrò, fruſtrà, & otiosè à Chriſto, & ab Apoſtolis edita fuiſſe miracula; nam ſine illis ex ſolo inſtinctu videbant omnes Euangelij veritatem; quare ſuffeciſſet, quod euangelium per curſores mitteretur per vniuerſum Mundum; non autem opus erat, quod Apoſtoli ſermonem confirmarent ſequentibus ſignis: nam per inſtinctum erat ſatis, & manifeſtè confirmatus. Nec, vt Chriſtus dicit, Iudæi vllam excuſationem habuiſſent, quamquam ipſe nulla talia opera, & miracula edidiſſet; nam per inſtinctum liquidiſſima erat Chriſti diuinitas, ac veritas; & ita obligabat ſine miraculis vllis. Nec, vt Chriſtus Matth. 18. iubet, fideles tenerentur audire Eccleſiam, ſi vnuſquiſq; inſtinctum habet Eccleſiæ non ſubiectum: nec quia Eccleſiam non audit, eſſet habendus tamquam ethnicus, & publicanus, quia audit, quem debet, ſcilicet inſtinctum. Et hinc denuò cũ Eccleſiæ non ſit notus vnicuiuſque inſtinctus internus, ſed occultus, neminem poſſet condemnare propter infidelitatem, vel hæreſim: quare immeritò Paulus quoſdã Satanæ tradidit 1. ad Timot. 1. & iniuſtè Eccleſia tot hæreticos condemnauit. Rurſus nemo poſſet vllum fidelem decipere: quia vnuſquiſque diſcernit inter vocem Dei, & Dæmonis; ſicut inter lucem, & tenebras: quid ergo Paulus ad Coloſ. 2. inculcat, *nemo vos ſeducat; vi-*

Aſſertio multipliciter comprobata ex primis quaſi principijs Chriſtianiſmi.

Digitized by Google

dete, ne quis vos seducat, quod ipsum Matth. 24. Mar. 13. & 1. Ioan. 3. asseritur, & repetitur: & quod multi seducuntur, constat ex infinitis locis: falsum est etiam, quod 2. ad Corint. 11. traditur, Satanam se transfigurare in Angelum lucis: nam quantumcunque transformetur, nox est, & tenebræ, & apertè discernitur: quid Matt. 24. timetur, ita transformandum Antichristum, vt si fieri posset, ipsi etiam electi inducantur in errorem? Sicut ergo nos, quia Ecclesiæ assistêtiam Spiritus sancti damus, tanquam connexum tenemus, Ecclesiam in rebus fidei decipi non posse, nec in errorem induci, hoc ipsum dicere debent aduersarij de vnoquoque fideli: hoc porrò falsum esse ex dictis, & infinitis alijs est euidêtissimum.

Confirmatio ex Paulo.

Ac denique, vt alia prætermittam, Paulus 1. ad Corint. 12. hunc instinctum, & spiritum nulli subiectum, & qui regula sit veræ religionis, subuertit: nam ait, alij dari per Spiritum sermonem sapientiæ, alij operationē virtutum, alij prophetiam, alij discretionē spirituum, &c. *quæ omnia operatur vnus, atque idem spiritus, diuidens singulis prout vult*. Non ergo omnibus conceditur certa discretio spirituum; sicut nec omnibus prophetia, &c. Quæ præterea ipse Paulus optima ratione ibidem commonstrat; *nam & corpus*, ait, *non est vnum membrum, sed multa: si dixerit pes; quoniam non sum manus, non sum de corpore, num ideò non est de corpore? Et si dixerit auris*, &c. *Si totum corpus oculus, vbi auditus?* &c. At aduersarij totum corpus volunt esse oculum sine auditu, & nouum monstrum inducunt. Prosequitur verò Paulus Ecclesiæ compositionem, & quosdam quidem posuit Deus in Ecclesia, *primum Apostolos, secundò Prophetas, tertiò Doctores*, &c. *Numquid omnes Apostoli? numquid omnes Doctores? numquid omnes Virtutes? numquid omnes interpretantur?* Vtique, Paule, omnes interpretantur. Quid miraris? Omnes vnctionem habent, qua palam scripturæ sensum dignoscant: desiste mirari; iam scilicet noua, & sublimior Ecclesia constructa est, quæ tota est oculus sine auditu, sine manibus, vnum tota, sed pulcherrimū membrum. Et licèt nulla vilissima ars sine Magistro addiscatur, sola scripturarum ars est (vt verba vsurpem Hieron. 2. & 5.) *quam sibi omnes passim vendicant; hanc garrula anus, hanc delyrus senex, hanc sophista verbosus,*

haus

hanc universi præsumunt, lacerant, docent, antequam discant.

804 In promptu erant quamplura alia pro huiusmodi instinctu profligando: sed adducta supersunt, & palam demonstrant, secundum doctrinam Christi, & eius religionem sic fideles regi, illuminarique à Spiritu sancto, vt multi nullam lucem specialem certò discernant; alij autem Sancti, vt Augustinus, & similes discernant quidem, sed ita, vt demum se, & sensum suum posthabeant iudicio Ecclesiæ, cuius authoritate se in fide tandem teneri, apertè fatetur ipse etiam Augustinus: qui proinde aliam viam assignauit, qua infidelis posset veram religionem agnoscere, vt dicetur quæst. seq. Ioannes porrò Apostolus ad eos scribebat, qui iam priùs apostolica prædicatione instituti, deque Christiana veritate persuasi, Spiritum sanctum acceperant, & per cuius vnctionem, & illuminationem possent deinceps in accepta veritate persistere: longè verò abfuit, vt infallibilem illum instinctum, euidentissimamque eam lucem conderet; nam c. 3. timet, & ait: *filioli, nemo uos seducat*: & c. 4. monet, *charissimi, nolite omni spiritui credere, sed probate spiritus si ex Deo sint, quoniam multi pseudoprophetæ exierunt in mundum*; & prosequitur eosdem instruens, atque signa ostendens, per quæ dignoscendus sit spiritus Dei; quæ cuncta vana essent, otiosa, & ridicula, si simplici intuitione cerneretur, atq; discerneretur vox Dei. Quidquid autem Deus omnes valeat per se ipsum immediatè apertissima luce donare, quod omittimus, de facto, & de communi lege nil facit huiusmodi, vt est ostensum; voluit enim, in Ecclesia esse ordinem, & esse pastores, & oues; Doctores, & non Doctores: oculos, & aures, &c. Paulum ipsum remisit ad Ananiam: Cornelium ad Petrum; Philippus Eunucho Isaiam legenti, sed non intelligenti occurrit obuius: voluit fidem esse ex auditu, esseque qui plantarent, & rigarent, &c. vtque id vellet, permultæ suppetunt rationes, & causæ. Omittimus porrò eos, qui per solam orationem, & sine studio profecerunt, vt S. Antonius, de quo consulatur S. Augustinus de doctr. christ. in prolo. & l. 4. à cap. 15. hæc enim extraordinaria sunt, & præter communem legem.

Digitized by Google

Quæ denuò omnia confirmo: nam via illa, quæ nõ ad pacem, & concordiam, & vnitatem fidei, & religionis ducit, sed ad dissensionem, & discordiam, non est recta, neque Dei, qui nos ad vnitatem fidei vocauit, quiq; non multas, sed vnam sanctam Ecclesiam extruxit, sed præceps, & diabolica. At via quærendi, & discernendi veram religionem per instinctum nulli subiectũ ad omnem dissensionem, & discordiam ducit: quod facto ipso est euidens, & toti mundo manifestum apud eos, qui instinctu illo volunt gubernari; sunt enim apud eos infinitæ religiones, & religionum sectæ, & subsectæ; diuisiones, ac subdiuisiones: Pater à filio dissentit, & nurus à socru, & vnusquisque suæ sibi saber est religionis; idque ità esse necessarium est, vt ostendam infrà. *Nec sibi blandiantur*: (verba sunt Hieron.) *si de scripturarum capitulis videntur sibi affirmare, quod dicunt, cum & Diabolus aliqua de scripturis sit locutus, & scripturæ non in legendo consistant, sed in intelligendo; alioquin si litteram sequimur, possumus & nos nouum nobis dogma componere, vt asseramus, in Ecclesia non esse recipiendos, qui calceati sunt, vel duas tunicas habent.* Hoc porrò, quod Hieronymo absurdum visum est, & est planè extremè delyrantium, iã apud eos in vsu est, & licet, quod quisq; nouum sibi dogma componat, & scripturam modo suo capiat, & nemo de falso conuinci poterit, nemo argui, condemnari nemo, sed ab omnibus appellat vno verbo ad instinctus inaccessum tribunal, quẽ nemo videt, nec iudicare legitimè potest, si ille nulli est subiectus, nec constat. 205

Dicant fortè, non ità ipsos esse ineptos, qui non uideant, priuatum uniuscuiusque sensum, & spiritum submittendum esse Ecclesiæ; si enim Spiritus sanctus unumquemque regit, certiùs multo Ecclesiæ suæ regimen, & curam gerit: sed priuato illo spiritu agnosci à quolibet, quænam sit uera Ecclesia, quam audire debet, & quæ ueram religionem conseruat; deinceps autẽ in reliquis haud licere, quod nouam sibi quisque sensu suo fabricet religionem: nisi enim hoc euitetur, exponimur ludibrio infidelium, & radicitus conuellimus christianam religionem. Enim uerò hic instinctus nec sic temperatus probãdus est; utque alia prætermittam, urget ex dictis, quod iam hoc admisso otiosa, & super- 206

flua

Digitized by Google

stua fuerant miracula: sine illis quippe constabat, apud Christianos esse veritatem: & rursus numquam esset disputandum pro veritate religionis ostendenda; nil enim per disputationem terminari posset, vel concludi: sed appellatur ad instinctum; vnde frustrà Sancti Patres fermè omnes, frustrà sectarij ipsi hoc circa disputarunt. Ac denique Ecclesia iudicare eum non posset, qui ab ipsa discedit; nam se defenderet per instinctum, & diceret, alibi veram Ecclesiam esse, nec instinctum istum esse vlli subiectum. Et quod, precor, fundamentum in scripturis inueniunt ad hanc instinctuum distinctionem inducendam? Et rideret nos Mahometanus, rideret Gentilis, riderent omnes, si hoc vno apud Christianos veritatem esse diceremus, & probaremus, scilicet per instinctum. Adest ergo, & suppetit via alia legitima, qua id ostendamus, & probemus. Quod si hæc adest, concluditur, per illam quærendam esse veritatē, illique insistendum, atque standum, quidquid interea priuatus spiritus obstreperet, vel contradiceret.

207 Spiritus itaque docet omnem veritatem omnes volentes, sed mediante Ecclesia. Quid enim stultiùs, quàm dicere, quod tamen Protestantes haud pudet dicere, Ecclesiam errare, & errasse, nec Deum illam docere omnem veritatem; ac interea singulorum fidelium eam esse Deo curam, vt omnem veritatem illos edoceat: Ecclesia errare potuit, lucem non vidit, tenebras sectata est: & tamen quilibet ex Saxonia sutor, & sartor spiritu suo cuncta videt, descernit, palpat.

Digitized by Google

QVAEST. XI.

Vtrum ergo forma omnis veram religionem quærendi expreßa ſit in illa Pauli clauſula, ſcio cui credidi? Et hinc Mahometani conuincantur?

VEræ religionis quærendæ, & inueniendæ formam vniuerſam ea in clauſula expreſſam, atque concluſam eſſe, fidentiſſimè aſſeramus. Cum ſcilicet cuncta examinare immenſum ſit, ac impoſſibile multis de cauſis hactenùs declaratis: nihil autem examinare pecorum potiùs, quàm hominum; hoc ad Mahometanam barbariem, illud ad Gentilium ſpectet ſuperbiam, medij imus inter vtrumque extremum; nec nihil vt examinent, conſulendo ignauiæ homines tradimus, nec eoſdem in deſperationem conijcimus, omnia vt examinent, præſcribendo: ſic & veram religionem, eiuſque cultum non caſui, non naſcendi ſorti adſcribimus, ſed electioni: ad quam tamen voluntas præparanda ſit, iuuandaque à Domino. 208

Paulus ergo 2. ad Timoth. 1. *ſcio* (inquit) *cui credidi*. Hìc forma tota præſcripta eſt. Sciendum eſt itaque, & credendum à religionis cultoribus: nam doctrina tota veræ religionis data eſt à Deo, & reuelata, vt demonſtrauimus; ac proindè credenda tota ſine examine, ſine diſputatione, ſine lite: at ſciendum eſt priùs, eã eſſe datam à Deo, & reuelatam: hinc obligatio omnis credendi naſcitur; hinc doctrinæ examen remouetur. 209

Hanc procedendi formam exhibuit pridem. Diu. Petr. in recognit. Clem. lib. 3. *Et ideò ante omnia* (inquit) *fidem Prophetæ omni cum examinatione oportet probari; quem cum cognoueris eſſe Prophetam, de reliquo cuncta ei credas, oportet; nec vltrà cum diſcutere per ſingula, quæ docet, ſed habere firma, & ſancta, quæ dicit; quæ, quamuis fi-* 210

de

Digitized by Google

de ſuſcipi videantur, ante habita tamen ratione credunturi cum enim ſemel ab initio veritas Prophetæ examinata conſtiterit, reliqua demùm fide audienda ſunt, & tenenda. Quibus nihil ipſiſmet rationis regulis aſſeri potuit conformius.

211 Ad idem punctum diſputationem de religione vniuerſam reuocat Clemens alter l. 5. ſtrom. initio. *Si ergo quærendi cauſa omnibus modis de medio tollatur, fides firmatur, ac ſtabilitur. Eis ergo* (ideſt, infidelibus) *illud proponimus, contra quod dici non poteſt, quod Deus eſt, qui dicit, & de vnoquoque eorum, de quibus quæro, traditum adducit in ſcriptis. Quis eſt ergo adeò impius, & à Deo alienus, vt Deo non credat, & probationes à Deo poſtulet, tamquam ab hominibus?* Illud ergo vnum probandum, *Deus dicit*, id eſt ſciendum, *cui credidi*: nec aliud magis Clemens, cæterique Patres probarunt contra infideles, contra iudæos, contra hæreticos, vt mox ſubiungemus.

Expreſſit eamdem formam Nazianz. orat. 3. aduerſus Iulianum *Noſtri ſunt ſermones, & noſtrum græcari, vtpotè quorum ſit etiam Deos colere: veſtra autem eſt infantia, & ruſticitas, nec quidquam aliud, quam crede, ſapientiæ veſtræ eſt*, aiebat Iulianus. *Atqui hoc vt opinor* (reſpondit Greg.) *non irriſerint, qui apud vos Pythagoræ Philoſophiam colunt, quibus illud, ipſe dixit, dogmatum omnium primum eſt, & maximum, &c. Eodem autem recidit illud, ipſe dixit, quò noſtrum crede.* Itaque in Phytagoræ ſchola adumbrata eſt forma veram religionem quærendi: illud in ea ſolùm erat ſciendum, an & quid Pythagoras dixiſſet; at in cauſa religionis hoc explorandum, an & quid Deus dixerit; de reliquo reſponſio concludens eſt: *ipſe dixit*, nec aliud eſt diſcutiendum.

212 Porrò Chriſtiani negare haud poſſunt, hanc eſſe formam rectam, & legitimam veræ religionis quærendæ, agnoſcendæ, defendendæ; quam nimirum omnes Viri Dei obſeruarunt perpetuò: eam Moyſes, eam Prophetæ, & Apoſtoli ſecuti ſunt.; eamdem quoque Aſſertor noſtri Chriſtus tenuit; quippe mirandis operibus, atque prædictionibus illud vnum euincebant, ſe miſſos à Deo, ſe doctrinam afferre Dei, nec aliud probare ſuæ fuit, quam *hæc dicit Dominus*, eamdem Dæmon, & praui quique religionum inſtitutores affectarunt, fictis

eum

Digitized by Google

eum in finem oraculis, atque prodigijs. Ex iudicio deindè gentium omnium legitimè, & concludentèr deciduntur, ac terminantur controuerſiæ, & cauſæ omnes religionis, ſi vera, ſi indubitata, & certa miracula afferātur. Imò de nullo alio altercatur, de nullo pugnatur alio, quàm de hoc, quam nimirum religionem Deus tradiderit: hæc origo tota diſſensionum: quo deciſo, & terminato, nihil ſupereſt aliud diſcutiendum. Idcircò Theologi aliquot credunt, punctum iſtud concludentèr probari non poſſe: ſed verò, quandoquidem hæreſes, & errores omnes conuinci, expugnarique poſſunt, nihil nos putamus conuincentiùs concludi, vt oſtendetur inferius.

Duas igitur partes complectitur aſſertio noſtra, 213
ſcilicet, ſciendum eſſe, quam religionem, & doctrinam dederit Deus, quod quo genere ſcientiæ ſciendum ſit trademus infra; & deindè credendum. Sapientèr enim Sanctus Thomas in 3. d. 24. quæſt. 2. art. 3. obſeruauit, illud Deum inter & homines intereſſe, quod vt credas hominibus, inſpiciendum ſit tibi, quæ dicant, & qualia, an poſſibilia, an abſurda, an cohærentia, &c. atque ità non niſi per examen rerum creditur hominibus: at impium eſſet cum Deo glorioſo ità agere, quem conſtat, nec fallere poſſe, neque falli: idcircò ſufficit, ſi ſciueris aliquam ab illo datam doctrinam, neque hoc ſciendum eſt per examen rerum, aut doctrinarum, vt demonſtrauimus, ſed aliundè, quapropter Chriſtianorum non eſt, *ſcio, probo, intelligo, ſed credo, & credo.*

Appoſitè etiam quidam Hobbes, ſcriptor alioqui 214
peſtilens hoc, ait, differre inter fidem, & ſciētiam, quod huius propoſitionem oporteat, examinatione communitam, & manſam lentè admittere; illius autem integrā deglutire: accidereque homini, qui myſteria fidei ratione naturali conatur demonſtrare, idem quod ægroto, qui pillulas ſalubres, ſed amaras vult priùs mandere, quàm in ſtomachum demittere; ex quo fit, vt ſtatim reuomantur, vel etiam ne admittantur, quæ alioqui deuoratæ eum ſanaſſent: vbi ſi cum rerum examine, examen quoque ſcripturarum adiunxiſſet, nihil dici potuerat appoſitius: etenim vt retro eſt demonſtratum, eadem eſt ratio de vtroque examine, ſiue rerum, ſiue

ſcrip-

Digitized by Google

scripturarum: vtrumque scilicèt est infinitum, & impossibile, atque interminabile: vtrumque incertum, & fallibile, si humano modo, & humana ratione fiat: quis enim vel solas Tridentini historias plenè noverit, distinxerit, iudicaverit?

215 Sed denuò ad superiùs illud exemplum de Propheta à Clemente propositum reuertamur. De illo nãque solùm esset examinandum, an esset Propheta, & missus à Deo: quo semel comperto, non esset ampliùs altercandum cum illo, nec de rebus, nec de dictis, nec de sensu: nec enim liceret, verbi gratia Moysi, vel Ioanni Apostolo opponere, hunc, aut illum non esse suum librum, vel codicem, nec hunc sensum, sed illum, vt patet: quod si licuisset, nihil planè profecissent Apostoli, aut Prophetæ: nam dicerem ego, tu quidem Phopheta es, Deique doctrinam affers, vt opera satis tua demonstrant: at licet mihi interea sensum, atque dicta explorare; sensus porrò non est; quem proponis, sed hic alius, nec ista epistola tua, sed hæc alia; & si placeat, recurrã etiam ad instinctum internum; Quid tunc faceret Moyses, aut Ioannes? quid concluderet, vel terminaret? Vt ergo nefas esset cum Propheta de rebus litigare, ità foret de littera, & sẽsu, & de codice, & de lingua: at si Deus in Mundo est, si iustus, si rerum humanarum gerit curã, conseruat procul dubio, conseruauitque semper apud aliquos religionem suam, doctrinam suam, vt infrà magis commõstrabimus. Solùm ergo explorandũ, quærendũ, sciendũque est, quænam sit, & vbinam illa professio, illa congregatio hominum doctrinam, & religionẽ Dei tenentium, & colentium; eam enim Deus demonstrare, ac notam facere potest, sicut Prophetam independenter ab examine rerum, atque scripturarum: quamobrẽ illa professione agnita, & inuenta, veniunt reliqua omnia accipienda, & credenda, sicut in ea professione accipiuntur, & creduntur sine vlteriori examine, altercatione, & lite: quod totum manifestum est ex dictis: atque hanc viam, & formam tenent Tertull. lib. de præscript. & contra Valentinum, & contra Marcionẽ, Augustinus multoties, & præsertim lib. 13. contra Faustum cap. 13. cæteriqueveræ religionis magni quique defensores, vt decursu ampliùs innotescet.

Digitized by Google

Hinc Mahometana barbaries manifestè conuincitur, atque repellitur ex ipsa professorum confessione, & professione, cum omnem de religione disputationē prohibeant: vel enim rationem ipsi habent, qua sibi, aut alijs probent, & persuadeant, religionem suam fuisse à Deo communicatam, & traditam, vel non habent? si hoc posteriùs fateantur, concedunt ipsos vltro, & temere, & factiosè citra causam, atque rationem colere religionem suam: si porrò rationem aliquam habent, tenentur illam prodere, atque de hoc puncto disputationem admittere; quare omni disputatione remota, cum ad solum gladium confugiunt, manifestant se ratione destitutos vi solùm, & armis, atque per tyrannidem causam tutari. Vidit ergo sagacissimus Mahometes, se, resque suas in tuto non esse, vbi ratio valet: inde disputationem, & rationem omnem remouit iniectis in seruitutem ipsis etiam mentibus; indè verò ipsius fraus, & error capitur manifestè. Mentiuntur deindè Mahometani omnes: nam dicunt, se colere religionem à Deo datam: quod si nescientes dicunt, mentiuntur: si porrò scirent, rationem, & probationem redderent: ergo de eo controuerti, ac disputari permitterent, nec timerent.

Ex quo vlteriùs sequi videtur, nihil in corde, & 216
interiùs credere Mahometanos, si omni etiam probabili ratione, & probatione destituti sint, quidquid ipsi fallantur interea, & se iudicent credere: non enim illud est voluntatis, vel obstinationis arbitrium in intellectum, vt eum cogere in fidem, & assensum valeat sine ratione, sine probatione. Exemplum est hic tritum de stellis, aut arenis, aut floribus paribus, vel imparibus; prorsus quippe est impossibile, quod voluntas, vel pertinacia, vel obstinatio intellectum moueat, & obliget ad alterutrius partis assensionem, omni quippe ratione, & probatione, vel sufficienti authoritate destitutam. Vnde, Mahometani, si ratione, & probatione carent, nihil corde credunt: si eam habent, quid ad vim, & gladium confugiunt? quid eam non produnt? quid eam admissa disputatione non tuentur? quid scriptis libris non comprobant? Hæc ergo cuncta cum prohibeant, cum abhorreant, cum non nisi gladio agant, sese ratione destitutos, ac proindè nihil corde credere mundo vniuerso probant.

QVÆ-

Digitized by Google

QVAESTIO XII.

Vtrum ergo consequatur, scholas, congressus, & controuersias omnes de causis religionis, vel religionem concernentibus constare debere ratione consequenti, & nullatenus antecedenti: quæ tamen est admittenda quoad aliquid.

217 HAnc, & mea quidem sententia vtilissimam rationis antecedentis, & consequentis distinctionem primus, quem sciam, S. Thomas significauit, seu signatè, vt aiunt, proposuit; nam exercitè nemo Sanctorum Patrum illa vsus non fuerat; affert tamen multum lucis, & auxilij ipsa etiam nominum horum distinctio, intellectusque.

Rationis antecedētis, & consequētis distinctio.

218 Ergo S. Thomas 2.2. q. 2. art. 10. hanc mouit dignam Theologo quæstionem, vtrum ratio inductiua ad ea, quæ sunt fidei, minuat meritum fidei? Valeat interea Caietanus, Cōmentatoresque alij valeant, qui in leuioribus alijs operosi, hunc, & similes profuturos articulos prætereunt magis, quam exponant, atque stabiliant. S. Thomas, vt respondeat, rationem, inquit, esse duplicem, antecedentem aliam, aliam consequentem. Ratio non indè antecedens vocatur, quod tempore anteceſserit; sed quod causalitate, quia scilicet ad ea credenda quoquo modo induxit, quæ sunt fidei: consequens hinc illa, quæ ex fide ipsa nata est, estque præstitæ prius fidei aliquo pacto effectus. Ex quo respondet, rationem antecedentem minuere meritum fidei: consequentem signum potiùs esse meriti maioris: quē admodum de passione antecedenti, & consequenti decreuerat 1.2. q. 34. art. 1. ad 1. Probat primam partem; sicut enim homo actus virtutum moralium exercere

Digitized by Google

debet propter iudicium rationis, & non propter passionem; ità homo credere ea debet, quæ sunt fidei, non propter rationem humanam, sed propter authoritatē diuinam. Probat secundam; quia cum homo promptā voluntatem habuerit credendi, etiamsi ratio deesset, diligit veritatem creditam; ex quo mouetur, vt rationes quoque ad exponendum, & confirmandum excogitet, & eas amplectitur, quas adinuenire valuit: quod signū, & argumentum est maioris amoris veritatis creditæ; ac proindè maioris etiam meriti.

Earum expositio.

219 At porrò ratio bifariam antecedere potest, & ad credendum ea inducere, quæ sunt fidei: & vno modo meritum diminuit, alio meritum, ac fidem quoque ipsam excludit, ac perimit: quod pro scholis facilè est vsitatis vocabulis explanare; diminuit quippe meritum ratio, si subiectiuè se habeat; tollit, si obiectiuè. Sed verò opus est clariori explicatione vtamur. Accidit nimirùm, quòd quis rationes, vel congruentias bonas habeat, v.g. pro immortalitate animæ: alter contrarias: atque hinc alter benè, alter malè affectus sit, & dispositus circa illam; vtrique tamen ea proponitur tāquam à Deo dicta, & reuelata; & creditur, & accipitur ab vtroque, quoniam à Deo asseritur: plùs certè fecit, plùs meruit, qui cum rationes in contrarium haberet, eas Deo subijciens, Deo credidit: atque hoc sensu alterius meritum diminutum fuit ex præuijs rationibus ipsum ad credendum disponentibus, ac facilitantibus; licèt hoc interea decrementum recompensari aliundè queat. At autem, si ità ratio antecedat, & causet, vt quis vel ex toto, vel ex parte ratione illa moueatur, rationi cōsentiat, rationi credat, hic nullam fidem habet; fides enim assensum præstat propter authoritatem diuinam solam: quidquid hoc circa quidam Moderni nulla harum rerum comprehensione repugnarint, qui repulsi sunt suo loco. Omitto etiam illa scholarum dissidia, an eiusdem assensus esse possit duplex motiuum totale? & similes huc minimè pertinentes curas. Illud asserimus, quod à nullo rerum harum intelligenti negabitur, eum, qui ità vult Deo credere, quod credere illi nolit, nisi ratione habeat, nullam fidem exercere; atque in primis elementis in materia religionis peccare, vt

ha-

Digitized by Google

hactenùs dicta satis demonstrant.

220 Hæc ergo ratio antecedens à causis religionis excluditur; quia ostensum est, verâ religionem nec quæri ritè, nec agnosci posse inquisitione, & examine rerũ; quod idem ijsdem de causis ad examen quoque scripturarum extendimus; nec vno concesso alterum negatur cohærentèr. Etenim ratione humana, vt res examinamus, ita libros quoque examinare moris est, vt nunc ego articulum S. Thomæ exponebam, ac examinabam: vtrumque est immensum, vtrumq; si non omnibus, plerisque saltèm, ac fermè omnibus impossibile; vtrumq; ex æquo fallibile, & ad doctrinam religionis insufficiẽs, si humana ratione fiat, quæ non minùs in libris, quàm in rebus intelligendis, ac exponendis errat, & in illis maximè, qui varios sensus litterales, & mysticos habẽt; quæ cuncta retrò commonstrata sunt. Quod porrò sectarij volunt, vt scilicèt vnum Papam tollant, omnes facere Papas, & in intelligendis scripturis, ac dijudicãdis causis religionis infallibiles, stultior vanitas est, quã impugnandum sit apud rationales homines.

221 Et quidem hanc pridem legem per Isaiam Prophetam c. 7. Dominus nobis constituit, dicens, *nisi credideritis, non intelligetis*: quam procedendi regulam exactè sibi præscribit, ac seruat vbique præcipuè Augustinus, inde inferens, intellectum, & intelligentiam rerum fidei solere esse præmium, ac mercedem præstitæ fidei, etiam in hac vita. In eamdem sententiam idẽ Augustinus epist. 28. sumit & illud psal. *credidi, propter quod loquutus sum*: primò credit, & mox quærit, ac dubitat de origine animarum, aut alijs, quæ si intelligantur, communicanda sunt sine typho arrogantiæ: vt dicebat supra; sin minùs, tolerandum sine fidei, ac religionis præiudicio. Credendum est ergo priùs, & deinceps intelligendum: nec ordo est, quòd ratio, & intelligentia antecedant, & subsequatur fides, sed contrarius de antecedentia causalitatis agendo; idest, ratio alliganda est fidei, & non fides rationi: fides dominatũ gerere debet; ratio autem seruire, & subsequi. Hinc rationem antecedentem ritè exposueris, & appellaueris rationem imperantem, dominantem, ac regulas rationi præscribentem; rationem verò consequentem

ratio-

rationem credentem, ac fidei seruientem, nec fidē sibi sed sese fidei accommodantem.

Quæstionis illatio confirmata.

Ergo scholæ, & congressus, & disputationes, & 222
historiæ in causis ad religionem pertinentibus, aut eam concernentibus, & quoquo modo connexis constare debent ratione consequenti: ex quo vno principio infiniti multorum abusus, ac errores deprehendūtur, & refelluntur: sed id fiet commodiùs, & clariùs post pauca adhibita. Hoc porrò idem est, quod vno ore Sancti Patres perorant supra illud, *Sapientia ædificauit sibi domū*, &c. ibi enim humana ratio, & quæcunque humana ratione constant, vt sunt scholæ, congressus, & similia cuncta inter ancillas connumerantur, quarum sit seruire, obsequi, subsequi, regulari, non autem dominari. Quam licet doctrinam sic in generali, & voce tenus, ac sub his abstractis terminis Christiani omnes admittant, nec aliud possint, quippe qui & mentes in obsequium fidei captiuare iubentur, teneaturque proindè humana ratio non solùm legibus famularum, sèd etiam seruarum: at quod in quibusque facultatibus plerisque accidit, qui principia earum haud penetrant, sed solùm voce tenus, & verborum sono ea aut audiunt, aut concedunt magis quam iutelligunt, & decursu scientiæ necessariò errant, haud secùs in materia religionis accidit perpluribus, vt factis ipsis quæst. seq. innotesceet.

Haud inducenda Mahometana barbaries.

Ne verò Mahometanam barbariem inducere vi- 223
deamur, omni examine, ac ratione in exilium acta, hìc putarem, rationem antecedentem quoad aliquid esse admittendam: nec enim humana ratio seruæ comparanda est, quæ bello, aut vi capta in seruitutem conijcitur, atque in illa vi, & armis tenetur, quæ est Mahometanorum religio, sed seruæ potiùs illi, si qua esset, quæ vltrò & sponte sua, ac proindè ratione aliqua mouente ipsa sese in seruitutem dedisset, vt de S. Paulino historiæ nostræ commemorant, si præsertim obligatio præcessisset, vel Deus ità iussisset.

Ergo quæst. sup. sciendum vnum præscripsimus, & 224
credenda mox reliqua inuiolatè, ac inaudita ratione. Sciendum illud est, an hanc, quam colimus religionem, an hanc, quam credimus, religionis doctrinam Deus dederit, ac tradiderit: atque hoc ratione antecedenti vide-

Digitized by Google

videtur discutiendum, ratione libera, & nondum legibus fidei obstricta. Nec enim ego ad credendum obligor, quia credo; sed credo, quia ad credendum obligatus sum: sicut haud teneor ad ieiunandum, quia ieiuno; sed à contrario: nec fides, & religio comparandæ sunt rebus super erogationis, sed obligatorijs, vt patet. Nimirùm est prorsus impossibile, obligationem credendi, quæ præstitæ fidei causa, vel conditio præcedens est, ab ipsa fide primitùs subnasci, potius quam applicatio ignis ad comburendum à combustione nascatur. Vndè homo non ipsa fide, sed quopiam alio ad credendum inducitur, & obligatur: quod aliud non est, quam eam, quæ credenda proponitur, esse Dei doctrinam, quam nefas proinde sit non acceptare, atque illibate nõ credere; imo quæst. sup. contra Mahometanos ostendimus, fieri non posse, quod citra rationem, ac probationem omnem nos corde nobis ignota credamus. Idcirco non nisi *ante habita ratione* nos credere, vel Petrus, vel Clemens supra statuebant. Licet verò eodem libro quidam sine ratione credentes inducantur, quorum Augustinus quoque lib. de catechizandis rudibus meminit, de ea hoc ratione intelligerem, quæ in perfectionem scientiæ transit, & qua, vt idem Aug. l. 14. de Trin. disserit, *fides saluberrima, quæ ad veram beatitudinem ducit, gignitur, nutritur, defenditur, roboratur, qua scientia nõ pollent fideles plurimi*: at omnem rationem minimè remouent; vt enim ibidem subnectit Augustinus, *aliud est scire tantummodo, quid homo credere debeat; aliud autem scire, quemadmodum hoc ipsum, & pijs opituletur, & contra impios defendatur: quam proprio appellare vocabulo scientiam videtur Apostolus.* Hinc famosa illa Theologorum distinctio, quæ inter præambula fidei, atque ea, quæ sunt fidei, inter scienda quippe, atque credenda, accuratè distinxit: sunt enim aliqua præambula necessaria, quæ, cum natura sua fidem antecedant, nequeant à secutura fide vim mouendi mutuari: quod qua ratione ad rusticos quoque, & illitteratos attineat, discutiendum infra erit, atque exponendum.

Prima credẽdi obligatio nõ est ex ipsa fide.

De præambulis fidei.

225 Enimuerò multa in contrarium obieceris grauissima quidem ea, neque facilia. Videmus scilicet hoc vno concesso examine, quidquid retrò actum est, ac

Oppositio.

ita-

ſtabilitum, omninò reſcindere, deſtruere, conterere. Etenim voluimus, humanam rationem inſufficientem eſſe ad diuina certè, & diſtinctè exploranda; Dei rurſus, diuinorumque cognitionem à pleriſque addiſci nõ poſſe, à cæteris non niſi poſt multum vitæ tempus, ac poſt ſcientias alias comparatas addiſci; indè concluſimus, hanc veræ religionis quærendæ viam non eſſe. At inter fidei præambula Dei, diuinorumque cognitio reponitur; ſciendum quippe eſt, Deum eſſe, prouidentiam habere: vitam item futuram nos manere; nam Deus præſcriptis præmijs, atque ſupplicijs nos ad credendum hortatur, inducit, & obligat ſecundum illud, *qui crediderit ſaluus erit, qui verò non crediderit, condemnabitur*. Hæc ergo omnia præſcienda erunt ante fidẽ: vndè neceſſaria Metaphyſica, neceſſaria Theologia, neceſſariæ demonſtrationes vitæ futuræ, atque immortalitatis animæ, contra quam tantis laboribus à nobis ſtabilitum eſt. Rurſus examen rerum, & ſcripturarum amouimus: quia humana ratio errare poteſt: at ſimiliter errare illa poterit in præambulis ipſis; ſuſcipiat quippe hoc vnum explorandum, quam doctrinam inter tot commentitias Deus hominibus credẽdam propoſuerit: in hoc vno centum illa modis falli poteſt; imò hoc in vno omnes falſarum religionum cultores falluntur. Ergo hoc etiam remoto examine occurramus, neceſſe eſt, ad iudicium aliquod infallibile, cuius ſententia diſcutienda non ſit, ſed credenda: fideique proindè principium nulla ſit ratio, ſed fides ipſa, & fides per fidem prædicetur, defendatur, obliget, omni diſcuſſione, vt moris eſt inter Mahometanos, interdicta.

Solutio. Cæterùm hæc, quæ tam impedita videntur, haud aliud euincunt, quam quod nouis denuò laboribus propter Theologorum aliquorum repugnantiam à nobis paulò poſt commoſtrandum veniet, ſcilicèt eſſe in mundo manifeſtiſſimum, eſſe ſcitu, & exploratu breuiſſimum, facillimum, ſaltem permultis, quamnam inter omnes religionis doctrinam Deus tradiderit, propoſueritque credendã, & in quo errare rirè quærentes nequeant; ad quod proindè opus non ſit Metaphyſica, non Theologia, non demonſtrationibus immortalitatis 226

animæ,

Digitized by Google

animæ, cum vel hoc absurdissimum futurum esset, si omnes tàm viros, quàm fœminas; imò & litteratos omnes iuberemus esse Methaphysicos, vel Theologos. Quid stultiùs? Vnde, vt eo loci innotescet, breui, & facilè præambula præsciri possunt, quin quidquam retrò discussa, & statuta infirmentur. Fateor equidem humanam inquisitionem errare posse, imparemque esse ad religionis doctrinam fundandam: at doctrina illa, vel cognitio, vel scientia, qua agnoscenda sunt præambula, non est doctrina religionis, nec per religionem, aut fidem accipitur, sed humano, eoque inferiori modo, quod etiam decursu operis exponetur: deindè res examinãda adeò manifesta est, & cõspicua, vt errare nemo possit, nisi volens: quemadmodum floruisse quondã Ciceronem, Cæsarem, & similia ignorari in Europa, vel negari nisi à volentibus nequeunt: & quidem vniuersalissimè commonstrandum est infrà, cognitione veræ religionis caruisse neminem, carere neminẽ nisi culpa sua.

227 Nihil porrò prohibet, fidei præambula, quæ humano modo nota ad fidem inducunt, vel obligant, per ipsam deindè fidem accipere, & credere. Etenim quicumque ad credendum Deo obligatur, aliquam Dei cognitionem præhabeat, necesse est, siue doctus ille sit, siue indoctus; esset quippe satis mirabile, si quis ad credẽdum Deo obligaretur; quem interea, an esset, vel non esset, ignoraret omninò: nequit ergo Deum ignorare, à quo sibi fidem imperari præsentit: nequit futura præmia ignorare, vel supplicia, quibus allectus, vel territus, ad credendum inducitur; & tamen hæc ipsa post per fidem creduntur saltèm ab indoctis. Ergo fides cohæret cum alia eiusdem obiecti cognitione, quæ vel scientia sit, vel opinio: itẽ cohæret cum ratione consequẽti, quæ vel scientiam, vel opinionem parit, vt liquet ex dictis: sed de his aliàs.

Digitized by Google

QVAEST. XIII.

Virum illi, qui de vera religione dignoscenda agunt, & disputant, seruatis etiam scientiarum, & rationis naturalis regulis, possint, & debeant euitare quæstionem, & examen rerum, & dictorum?

VIdetur sanè, hanc quæstionem, & examen euitari legitimè non posse. Detur enim nobis nunc religionem v. g. Christianam esse veram; & aggrediatur me homo Gentilis, vel Iudæus, vel politicus prophanus sic; vera religio non est, quæ tenet impossibilia, & Deo indigna, & ridicula; huiusmodi autem est Christianorum religio; & probat: quia Christiani tenent Deum vnum, & trinum; & hoc est impossibile, & procedit probando, & adducit multa vrgentia planè, & difficilia: itē tenent Deum hominē factum, & hoc similiter est impossibile, quia Deus mutaretur, fieretque nimis abiectus, & adducit multa similiter difficilia: item tenent Deum hominem factum crucifixum fuisse, & sepultum: quod est indecens, indignumque Deo; & idcircò Iudæis scandalum visum fuit, & sapientibus mundi stultitia: & denique Christiani ferè omnes tenent, Deum ab ipsis manducari: & hoc est (inquit) ridiculum multò magis, quam quod Dij gentiū vxores habuerint, & liberos: a quo credendo ille siue Porphyrius, siue Auerroes adeò abhorruit, vt propterea Gentilis mori maluerit, quàm Christianus. Ex quibus concludit: ergo Christianorum religio non est vera, nec data à Deo. Eodem autem modo & Iudæum, & Mahometanum aggredietur; & cum omnes multa teneant difficilia, causa valebit, concludetque, nullam religionem esse veram. 228

Rur-

Digitized by Google

229 Rursus sic: vera religio, licet multa tradat, quæ sint supra rationem naturalem, nil tamen tenet contra illam: quod Theologi omnes habent loco principij: at religio christiana tenet multa, quæ sunt contra rationē naturalem; nam illa sunt contra rationem naturalem, quæ ipsa condemnat, & falsa, impossibiliaque iudicat: at ratio naturalis erat, vigebatq; in Philosophis Gentium; qui tamen iudicabant creationem, productionemque rerum ex nihilo esse impossibilem, eratque ipsis velut primum principium, ex nihilo nihil fieri: similiter iudicabant, resurrectionem esse impossibilem, & à priuatione ad habitum non esse regressum: idipsum proculdubio iudicassent de Trinitate, & Incarnatione, de peccato originali, & alijs centum: hæc autem omnia tenet Christiana religio: ergo tenet multa contra rationē; ergo est falsa: & eodem modo arguitur contra alias religiones. Frigent verò, qui dicunt, veram religionem nil tenere contra rationem naturalem rectam; ex quo dicere poterunt Philosophorum illam sic iudicantem rationem non fuisse rectam. Hoc tamen nihil est; quia, an ratio sit recta, vel non recta, nunc non per religionē, aut fidem, sed per ipsam rationem naturalem iudicandum est, vt prætendit arguens; at ratio naturalis sibi relicta semper fuisset eadem, nec in nobis maior, quam in illis Philosophis, qui ingenio excelluerunt, multoque ingeniosiora, quam nos excogitarunt: ergo tunc & nunc, & semper, & in omnibus ratio naturalis eadem illa condemnasset, seque diceret esse rectam, & rectissimam; & hoc negare esset contra ipsam rationem naturalem. Frigidius porrò esset, si diceres, nomine rationis naturalis intelligi rationem veram; nā hoc quærit arguens iste, quæ sint vera; & dicit, non esse vera, quæ sunt contra rationem naturalem: & hoc ipsum iudicandum esse per rationem naturalem, nam nullum aliud iudicium, vel tribunal admittit; at ratio naturalis memorata illa condemnans se iudicaret veram, & verissimam. Deindè quid magis friuolum, & otiosum, quam dicere, Deum nil reuelare contra rationem veram? Imo nec supra rationem veram quidquam reuelat.

An vera religio doceat ratione contraria.

230 Age præterea, supponamus religionem catholicā

Digitized by Google

veram, & me petit sic Caluinista: vera religio non est, quæ credit impossibilia: talis autem est religio Catholicorum, qui credunt Christum esse simul in multis locis, & simul moueri sursùm, & deorsùm, & quiescere, &c. quæ sunt impossibilia. Deindè sic: vera religio christiana non est, quæ tenet multa contra scripturam; at talis est religio Catholicorum, nam tenent, fidem solam neminem saluum facere: adorant imagines Sanctorum, & opera manuum hominum, quod est idolatrare; tenent Purgatorium, de quo nil in scriptura, &c. Rursus. vera Ecclesia non est, quæ multoties errauit circa fidē: at Catholici post Gregorium saltem Magnum multoties, & in multis errarunt, & errores profert, & de illis vult disputari. Rursus: vera Christi Ecclesia non est, quæ non habet veram scripturam: at scriptura Catholicorum, & vulgata latina vera non est, ad quod probandum profert multa antiqua exemplaria hebræa, & græca, quæ maiorem fidem merētur, vultque de hoc etiam disputari. Rursus vera religio non est, quæ libros non sacros habet pro sacris: at Catholici habent pro sacris libros Machabæorum, epistolam Pauli ad Hebræos, & Apocalypsim; quæ omnia sacra non sunt. Habent deindè hominem loco Dei, & introducit disputationem de Papatu, de primatu Petri, &c. Denique habent Concilia prophana pro sacris: tale enim fuit Concilium Tridētinum, ad quod vult examinari historiam Suaue, &c. Concludit ergo religio Catholicorum vera non est.

Tandem Iudæos, & Christianos inuadet assumens illud idem principium, quod scilicèt religio vera, & doctrina Dei non est, quæ est plena impossibilibus, incredibilibus, nugis, fabulis, & indecentibus: his autem plenū esse totum vetus testamentum: qualia (inquit) sunt peccatum, & rebellio Angelorum in cœlo; tentatio serpentis, & deceptio Euæ in Paradiso; quid enim Angeli super solium Dei sedere vellent, quod videbant impossibile? Quid Eua crederet, quod nec pueri credant, & qui nondum ære lauantur? diluuium Noemicum: vnde enim apud Occidentales Indos genus humanum fundari deindè cæpisset? diuisio, & confusio linguarū, & earum causa de ædificatione turris; historia Sansonis, quod robur totum in capillis haberet, & similia nil 231

nil, als, discrepant à fabulis Græcorum: & nil secùs, quæ de magnitudine templi Salomonis, deque numero equorum memorantur. Quid deindè indecentiùs, quã quod 1.Reg.1.& 6. de quinque illis aureis iubetur? Ergo nec religio Iudæorum, nec religio Christianorum veræ sunt, nec habent doctrinam Dei. Quid quod Hebræi iussi sunt furari apud Ægyptios, Abrahamus iussus occidere filium, & mentiri: quæ sunt contra legem naturalem, & iniqua.

232 Iam hìc quid faciat, & quò se vertat Defensor veræ religionis? Si has controuersias admittat, peccat in primis contra dicta quæstionibus superioribus: nec vnquam se expediet, nec quidquam absoluet: & vt Tertullianus dicebat, ipse quantumuis fortis in cõgressu fatigabitur, infirmi capientur; medij cum scrupulo dimittentur. Melior deindè erit causa aduersarij: nam affert fortiora, vel verosimiliora, clariora, & faciliora, magisque popularia: quod ex nostra ipsa confessione constat; nam Thologorum omnium vox vna est, mysteria fidei ratione naturali non demonstrari; & excepto Caietano, aliquoue alio, omnes similiter fatentur, nec omnia, quæ nobis obijciuntur, posse à nobis euidẽtèr dissolui, sed solùm probabiliter: at ad probabilem responsionem replicare denuò, & denuò poterit aduersarius: vndè vt minimum, quidquid ille non vincat, causa saltem manebit indecisa magno sanè præiudicio veræ religionis. At si disputatio recusetur, aduersarius conqueritur, se ex veris, & ritè, & legitimè, & per bonos syllogismos, & secundum regulas scientiarum agere, & concludere: hoc effugere esse valdè irrationale, & de barbario Mahometanorum, & signum improbæ causæ, & quasi obtenta victoria triumphat: & siqui adsunt, periclitantur.

233 Ex quo apparet, quantum scire interfit quibus, & cum quibus, & de quibus, & quando est disputandum: & fortè, vt Æneas Gazæi in suo Theophrasto de Aristotele ait, intemperans sapientia aliquorum non semel, nec parum veritati nocuit: multi enim de veritate religionũ agentes de quolibet, & cum quolibet, & quãdolibet disputant, & casu de Papa contingat sermo, vel de Eucharistia, acceptant vltrò de his disputare. Alij quibus

ad

Digitized by Google

ad hæc impar est ingenium, leuium ad instar palearum se sinunt duci quocumque arguens volet. Alij qui sibi omniscij videntur, magnum dedecus putant, si prompti non sint ad quamlibet disputationem: hos porrò excessus emendare solus Deus valet, qui potens est.

Dicendum est tamen, & tenendum firmissimè, has 234
omnes, & similes quæstiones esse recusandas, vbi & quando de vera religione dignoscenda tractatur: vbi & quando causam Dei vis agere, & non tuam, nec ad ingenij ostentationem, eruditionisque fastum dicere: quod totum ex quæstionibus præcedentibus manifestū est: & nunc denuò apparet ex ipsa hac multitudine, & infinita serie quæstionum.

Ex quo consequentèr sumitur modum agendi ad- 235
uersarij esse illegitimum, loca ex quibus arguit, esse aliena, & non propria, nec syllogismos esse legitimos, nec secundum regulas scientiarū, nec concludere quidquam, esseque omnia demum puerilia.

Quæ vt constent, possitque se quis in forma ex- 236
pedire, sciendum est, rationem naturalem humanam aliam esse antecedentem, & aliam consequentem, vt explicatum est quæst. præc. Rursùs sciendum, rationem naturalem humanam, aliam esse directam, & aliam reflexam: & multa quæ ratio directa condemnaret, approbat reflexa, impeditque directam ne condemnet. Rationem directam voco, quæ de re sibi proposita, & secundum se considerata iudicat; reflexam voco, quæ non rem solam secundum se considerat, & iudicat, sed quæ certiùs aliud, vel alterius, vel sui etiam iudicij considerat, & illo mouetur ad iudicandum. Sic antiqui cum Aristotele terram æquinoctialem putarunt inhabitabilem præ calore; & multi cum Lactantio, & Augustino negarunt antipodas, ac fermè ridebant: qui tamen, si modo apud nos essent, opposita iudicarent ex tot certis historijs, & testibus; & passim aliqua condēnare non audemus, quia alijs illa probantur, quorum nobis magna est opinio. Proprium porrò est doctrinæ veræ religionis, quod mysterijs, & rebus nobis non intelligibilibus sit plena, vt in præcedentibus satis est commonstratum. Possunt aliæ etiam rationis naturalis distinctiones induci.

Ex

Digitized by Google

237 Ex his veritatis defensor retorqueat in primis argumenta omnia ex consilio Augustini hoc pacto: doctrina veræ religionis, & à Deo data, quidquid nobis appareant, nulla interim impossibilia tradit, aut absurda, aut Deo indigna: quod facilè persuadere potest: at talis est doctrina religionis Christianæ, & hoc probat ex ijs, quæ pro illius veritate adducemus infra, quæ sunt fortissima, clarissima, & intelligibilia à quolibet, & habebit optimam, expeditam, & facilem causã. Concludit: ergo doctrina religionis Christianæ nulla impossibilia tradit, nulla absurda, aut Deo indigna. At hæc doctrina tradit proposita illa omnia. Ergo illa nec impossibilia sunt, nec absurda, nec Deo indigna. Et sic omnes quæstiones reducit ad vnam, & ex reo fit actor, & ex respondente arguens.

238 Deindè in forma respondetur sic: vera religio nõ est, quæ tenet, & credit impossibilia, absurda, & Deo indigna, nego supposítum argumenti: nam arguens supponit, se legitimè, & secundum leges arguere: hoc enim omnis arguens, omneque argumentum supponit: at in præsenti supponit falsum, nam agit de dignoscenda vera religione, & assumit examen mysteriorum, & rerum, & dictorum: nos verò probauimus, hanc viã esse illegitimam, impossibilem, & absurdam; & sic totũ argumentum præcido. Si porrò arguens vellet, se nil tale supponere, quod homo rationalis dicere non potest. Respondeo, nec me, nec vllum hominem teneri ad respondendum argumento non legitimo, nec per fas, vel nefas, aptè, vel ineptè arguenti, aut potiùs ineptienti.

239 Rursus sic: vera religio non est, quæ tenet, & credit impossibilia, absurda, & Deo indigna, distinguo: quæ talia videantur secundum rationem humanam directã, nego: quæ talia videantur secundum rationem humanã reflexam, & satis, & adequatè instructam, cõcedo. Hinc nego minorem simili distinctione; nam ratio humana reflexa videt doctrinam veræ religionis esse à Deo traditam, quod vt videat, suppetunt veræ religioni abundantissima fundamenta: ex hoc autem sumit totam illam doctrinam, & quæcunque in illa continentur, quidquid ab ipso non capiantur, esse verissima: & quæstiones

ſtiones omnes reducit ad vnam, ſcilicet ad examen fundamentorum veræ religionis, & cum illa ſint manifeſta, ſemper veritas, vt par eſt, obtinebit cauſam optimam.

Denique ſic: vera religio non eſt, quæ tenet, & credit impoſſibilia, &c. Diſtinguo: quæ talia videantur ſecundum rationem antecedentem, nego: quæ talia videantur ſecundum rationem conſequentem, admitto, vel etiam concedo. At ad examen faciendum per rationem conſequentem neceſſe eſt primum credere; nam; *ſi non credideritis, non intelligetis*; nam ratio conſequens procedit dependenter à fide iam præſtita, & ſine præiudicio religionis, vt Auguſtinus ſupra dicebat: nam fides licet nil probet, nec directè faciat intelligere, iuuat tamen plurimum ad intelligendum, vt alias expoſui latè: ſcilicet ſi mihi non credenti Trinitatem moles illa difficultatum occurat, ſuccumbo, & quieſco, & Trinitatem dico impoſſibilem: at ſi iam credidi, certus ex hoc reddor, difficultates illas non eſſe veras, ſed apparentes, & falſas, & quæ reipſa reſponſionem, & ſolutionem habeant: & ita non cedo, ſed procedo, & laboro, & aliquid inuenio, vel alius inuenit, quod non inueniſſet, ſi non quæſiuiſſet; nec quæſiuiſſet, ſi priùs nõ credidiſſet: nam fractus mole difficultatis ceſſiſſet: & quod ipſa etiam vera religio in primis docet, & eſt magis, quam pro ſalute corporis neceſſarium, à Deo poſtulo intellectum, & intelligentiam, & ſapientiam, qui docet docibiles ſuos, & fideles, & intellectum præſtat paruulis, & humilibus, & humilitèr ſuam doctrinam acceptantibus. 240

Ex his autem ſimili modo retorquentur, diſtinguuntur, diſſoluunturque cuncta obiecta, vel de falſitate ſcripturæ, vel de errore in fide, vel de corruptione Conciliorum, & vno verbo omnia. 241

Quod ſi arguens volet, vt per rationem ſaltem conſequentem, & ſine præiudicio religionis, quam teneo, ipſi ſatisfaciam, quo præſtito ipſe etiam promptus eſt meam religionem accipere. In primis conteſtor, nil huiuſmodi eſſe neceſſarium: nam vera religiò fundamẽtis viget talibus, quæ ſine vllo tali examine cogant, & obligent ad acceptandum. Sed vult, vt ad maiorem

ſaltem

Digitized by Google

saltem ad abundantiã id faciam. Tunc in primis necesse est, quod non de omnibus quærat, nè priùs finiat vitam, quam transeat de morte ad vitam, vt dicebat Augustinus, sed quod pauca aliqua, & principaliora eligat; & quandoquidem ad abundantiam petit, necesse est, vt sit paratus veram religionem accipere, licèt ipse non plenè satisfaciam, & ab alijs maioribus id poterit sperare; & licet nullum talem inueniat, tenetur credere.

QVAESTIO XIV.

Subillationes, quibus multi abusus, & errores in materia religionis committi soliti annotantur, atque remouentur.

213 EX tota præced. quæstionum semel, & iterum, & tertiò tàm distinctè exposita, & nisi prorsus me mea fallat opinio, efficacissimè commonstrata doctrina permultæ consecutiones, ac subillationes sumuntur, & permulti vulgares abusus remouentur. Sequitur enim primò nimis barbarè de Moyse dictum, hic homo multa dicit, sed nil probat, seu, benè loquitur barbarus, si probaret. Deus enim, et qui Dei doctrinam affert, aliud probare non tenetur, nisi illam esse à Deo: hoc autem probauit Moyses tot illis signis, & portẽtis.

244 Sequitur secundò, nulli quantalibet sapientia prædito licere mutare religionem, quam vt diuinam esse putet, sufficientia fundamenta habet, eo quòd aliquod mysterium, vel rem religionis nõ capiat, vel illam euidentèr, & etiam euidentissimè impossibilem putet, quia tenetur non id putare, sed intellectum captiuare, nec hoc est mera pietas, sed euidentia, & iustitia. Quare peccant, siqui ex nobis ad Caluinum abeunt; quia visa est ipsis euidentèr impossibilis concordia libertatis cũ diuina prædestinatione; vel ad Arium, quia similiter visa est impossibilis Trinitas. Et idem dico de Caluini-

Digitized by Google

sta ad nos transeunte, si Caluinismo adsunt sufficientia fundamenta, vt iudicetur esse religio Dei, à Deoque tradita.

Sed quid si talem euidentiam falsitatis habet, quã 245
nequeat deponere, nec intellectum captiuare? Dico: si amens non est, deponet; quia videt hinc affirmantem Deum, qui nec fallit, nec fallitur: illinc rationem suam repugnantem, & negantem, quæ passim fallitur, & experta est se in multis deceptam etiam illis, quæ euidentissima aliquando iudicabat. Vnde si amens non est, cedet, vel obligationem suam videbit: si amens est, ad nil tenetur.

At quod difficiliùs, vtiliùsque est, quid si cui docto euidens videatur aliquid in scriptura dici, & oppositum in illa Ecclesia, vel religione teneri, quam aliundè à Deo fundatam, conseruatamque esse manifesta fundamenta conuincunt? Quid si multos, si omnes cõsulat, & nemo plenè satisfaciat? Iam planè hoc est difficiliùs, quia non ratio nostra, & Deus litigant, vbi facilè est sententiam dicere, sed Deus, & Deus, vel potiùs Deus, & homines. Est certè quodammodo immediator, manifestiorque Deus in scriptura; nam omnes dicimus, quæ sunt in illa, esse verba Dei: in Ecclesia autem, vel religione vera non est Deus, qui tenet, & credit aliquid, sed homines, qui cedere debent Deo. Ergo standum est scripturæ; nam standum est Deo. Et hæc est origo, & radix vniuersalis immediata omnium hæresum. 246

Sed verò hæc quæstio aliud est, & aliud apparet: est enim re ipsa lis, et pugna hominis, et Dei, sed Deus non ex illa parte est, quæ apparet, sed à contraria; quo deprehenso facilè lis deciditur, nam standum est Deo. Tu enim, cui euidens videtur, aliud in scriptura dici, et aliud in Ecclesia teneri, qui es? Nonne homo, et errãs, et mendax? Qui autem manifestis signis religionem suã demonstrat, quis est? Nonne Deus? Fallere ne Deus potest religionem non suam, sed falsam pro sua demonstrans? Præfers ergo te, euidentiamque tuam Deo, idque quod impium est, sub vmbra, et specie Dei, teipsũ Deum, et infallibilem faciens. Deus, inquis, in scriptura dicit: Deus, inquis, in Ecclesia non credit. At nec 247

Deo

Digitized by Google

Deo videtur, sed tibi, vnum esse in scriptura, et aliud in Ecclesia. Sed Deo, inquis, videtur qui me illuminat. At tui curam habet Deus, et non Ecclesiæ; te infallibilem facit, et nõ Ecclesiam? Quid impudentiùs? Cessaret porrò quæstio, si scriptura diceret: quod tali homini videtur, v.g. Caluino, id mihi videtur. At non hoc dicit: sed contrà: quod Ecclesiæ videtur, id mihi videtur: nam illam qui non audit (inquit) habendus est pro publicano, et ethnico: nec portæ inferi prævalebunt vnquam aduersus illam: ergo semper est illa vera, et infallibilis, et inuicta. Sed quæ Ecclesia? Illa proculdubio, quæ eminet, quæ supra montem est posita, quamque velut suam demonstrat Deus. Et nisi hoc pacto procedatur, si quis tenere mordicus volet, Christum factum fuisse agnum, et petram, et calceatos (vt dicebat Hieronymus) eijciat ab Ecclesia, et diuites condemnet, quia ità in scriptura expressè dicitur, numquam poterit conuinci legitimè. Et omnia liquent ex dictis.

248 Sequitur verò vlteriùs, nullam esse appellationem ab Ecclesia ad scripturam, nec eam esse, ut uidetur, appellationem ab hominibus ad Deum, quæ omni iure licet, sed à Deo ad hominem, quæ omni iuri repugnat; appellatur enim, non ad scripturam secundum se, nam hanc omnes admittimus, sed ad scripturam ab aliquo, vel aliquibus intelligendam sic, uel sic: hi autem sunt homines fallibiles: Ecclesia uerò ex Dei speciali prouidentia infallibilis. Nec dicas, appellatur ad scripturam, ut iacet, et ad litteram, et ut sonat. Nam littera occidit, Christum agnum dicit, etc. Non ergo omnia sumenda sunt, ut sonant. Ergo aliqua sumenda sunt, ut sonant; alia secus, et per metaphoram: quæ autem sic, et quæ sic, scriptura nec dicit, nec distinguit. Ergo aliquis dicere, et distinguere debet. At non tu: nam si tu, etiam ego, etiam ille, et ille, et quilibet, quod est periculum, et supra impugnatum. Ergo Ecclesia.

Nõ licet appellatio ab Ecclesia ad scripturam.

249 At quid, si contra ipsam ueritatem, et infallibilitatem Ecclesiæ occurrat ratio, et difficultas, tibique uidetur hanc infallibilitatem esse contra, aut præter scripturam? Quis hoc decidat? Scilicet Ecclesia tunc est pars, et tecum litigat: pars uerò nequit esse iudex, nec legitimè iudicare: tunc ergo alio erit appellandũ.

Digitized by Google

Inanitas sectariorum.

Et hic est equus Troianus multorum Ecclesiam oppugnantium. Sed ô homines, quam facile decipimur? At quid si vassallus Regis neget illam esse suum Regem, & Iudicem? An condemnari ab illo non poterit? Appellandum ne ad Regem Galliæ: scilicet lis ipsi Regi de ipsa sua potestate mota est; iam pars est, & tecum litigat. Quid quod iam Priscillianitæ hanc litem ipsi etiam Deo mouerunt, nam illum dicebant mendacem, mentitumque multoties in scriptūris; ecce iam Deus ipse pars est, & vocatur ad iudicium: an legitimus iudex non est? appellandumne alio? Est ergo exceptio futilis. Ergo dicendum est, sicut priùs, & standum Ecclesiæ, quæ non magis in hoc, quàm in alijs decipi potest, vt omnia hactenus dicta demonstrant, similisque lis moueri potuit, & Prophetis, & Apostolis, & Christo etiam ipsi. At hi, inquis, demonstrabant se esse Prophetas, & Apostolos. Fateor: & similiter Ecclesia demonstrare debet, se esse Ecclesiam à Deo fundatam, & conseruatam.

Quod dictum est de Ecclesia, dictum esto de Cōcilijs; nam Ecclesia non sunt parietes, vel muri aliqui, sed est congregatio aliqua hominum: quodcunque ergo concilium ab illa Ecclesia accipitur, quam suam esse Deus manifestis argumentis demonstrat, tenemur omnes eodem sensu, & modo accipere, nec ratione antecedenti, & ipsi illi Ecclesiæ non subiecta, quidquam licet mouere, vel examinare, vel iudicare. 250

Sed mihi, inquis, multa occurrunt aduersus talem Ecclēsiam, quæcumque demum illa erit; video Pastores ipsos ignorantissimos, & corruptissimos moribus; video omnia plena negotiationibus: nihil non humanum video, nil non prauum, & sceleſtum: & si deinde concilium aliquod particulare considero, v.g. Tridentinum, & hinc inde verso, & examino, omnia inuenio humana, factiones, intelligentias, fraudes, vim, & metum, nil diuinum, nil, quod spiritum redoleat; & hoc pacto criminaris sine fine, & opponis, & probas, & centum historiæ exurgunt. Sed sint hæc omnia vera. Nil ex his pendet vera religio, nil Ecclesia: tene si placet Augustinum, qui l. 2. contra litter. Petiliani c. 51. iam pridem hæc omnia vno ictu præciderat, vt magnum 251

adeo

Digitized by Google

adeo veritatis Defensorem decuerat.

252 *Si Cathedram* (opponit Petil.) *vobis miseri vendicatis, vt superiùs diximus, habetis illam profectò, quam Dauid Propheta psalmographus pestilentiæ cathedram pronuntiauit; vobis enim iustè relicta est, quia in ea Sancti sedere non possunt,* Augustinus respondet. *Et hæc non vides, non aliqua esse documenta, sed vana commitia, &c. Dicis quidem ista nil probans: sed & si de aliquibus probares, de cæteris non præscriberes. Verum si omnes per totum orbem Episcopi tales essent, quales vanissimè criminaris, cathedra tibi quid fecit Ecclesiæ Romanæ, in qua Petrus sedit, & in qua hodie Anastasius sedet? Vel Ecclesiæ Hierosolymitanæ, in qua Iacobus sedit, & in qua hodie Ioannes sedet, quibus nos catholica vnitate connectimur, & à quibus vos nefario furore separatis? Quare appellas cathedram pestilentiæ Cathedram Apostolicam? si propter homines, quos putas legem loqui, & non facere? Numquid Dominus noster Iesus Christus propter Pharisæos, de quibus ait, dicunt enim, & non faciunt, cathedræ, in qua sedebant, vllam fecit iniuriam? Nonne illam cathedram Moysi commendauit, & illos seruato cathedræ honore redarguit? ait enim; super cathedram Moysi sedent: quæ dicunt, facite; quæ autem faciunt, nolite facere: dicunt enim, & non faciunt. Hæc si cogitaretis, non propter homines, quos infamatis, blasphemaretis Cathedram Apostolicã, cui non communicatis. Sed quid est aliud quam nescire, quid dicere, & tamẽ non posse nisi maledicere?* O sæculorum omnium decus immortale Augustinum? hæc si cogitaret hæc ætas, haud tàm auidè tot illas Tridentini historias euolueret: nec enim hæ nisi ratione consequenti, & subiecta legendæ, aut discutiendæ sunt, vel considerandæ, nec ab illis pendet quidquam vera religio, & timendum, ne his vulgo concessis infirmi capiantur, & medij relinquantur cum scrupulo, vt Tertullianus differebat.

Ab hominũ calpis semouenda causa religionis.

253 Qui itaque veram religionem, veramue Ecclesiã dignoscit, debet cum illa, & in illa accipere, & si non intelligit, credere, & si mandere nequit, deglutire omnia: nec vno recusato Concilio, reliqua in tuto sunt; omnia enim ab hominibus celebrata sunt, & quantum ad speciem humano modo, nec vlli condemnati sunt vsquam, quibus appellatio ad scripturam, aliæque simi-

les

Digitized by Google

les exceptiones deessent. Casus est satis tritus, & vulgatus, quem memoriæ produnt historiæ. Nimirum Manichæorum error, vt scitur, negabat à Deo facta visibilia ista; accidit, quod dum illàc trāsiret Manichæus, culex molestè fatigaret Catholicum: hic ira excandescens culici maledixit: qua capta occasione, putasne, inquit Manichæus, inutile adeò, molestumque animalculum à Deo bono, & maximo factum? cui bono? cui fini? Ad quæ, vt erat malè affectus animo, promptè respondit Catholicus, se facilè inducendum, vt credat, minutam adeo, & molestam, perniciosamque rem à Deo non fuisse conditam. Sed si culices Deus bonus, & magnus non fecit (subdidit Manichæus) profectò nec muscas tantillo quidem maiores, sed simillimas, & molestissimas procreauit. Concessit Catholicus. Hinc ad apes transijt Manichæus, ex apibus ad passerculos; ex his ad turdos, hinc ad coruos, ad columbas, & cōtinuata serie, & gradatim ad volatilia omnia; nam omnia, similimæ sunt artis, & operæ, & sapientiæ. Nec primo concesso reliqua negare aut potuit, aut sciuit. Facto autem gradu ex volatibus ad reliqua animalia, & ex his ad hominē, & à fortiori ad inanimata corpora, quia culicem vnum à Deo factum negauit, compulsus fuit de visibilibus hisce idem concedere, fierique ex integro Manichæus. Ouum ouo non est tam simile, quā casus casui: si Tridentinum Concilium neges, gradus fit continuò ad Latheranense: quomodo enim Romæ libertas esse potuit? hinc ad Pisanum, ad Florentinum; nam Italia nimis paret Romano Pontifici, aliaque opponis: hinc mox ad Constantiense transis, in quo Husso, & Pragæ fracta publica fides, &c. vsque ad Nicænum, vel etiam Hierosolymitanum: scilicet vt vno verbo dicam, Concilia Concilijs tam sunt similia, atque volatilia volatilibus; & si vnum à Deo non est, nec sanè reliqua; sunt enim omnia connexa; sicut etiam articuli veræ religionis, haud secus, atque vnius catenæ annuli. Et sic experientia ipsa demonstrat, quibus vnū aliquod Concilium negatum est, reliqua iam accipi, iam negari, prout è re ipsorum est, nec vllum in tuto esse; in quo tamen ad ipsas eorum conscientias appello, qui principio ad Concilium tanto feruore prouocarunt.

Digitized by Google

carunt: Tam ex integro extat, vel cadit vera religio.

254 Sequitur præterea inutiles fuisse omninò, & illegitimos congressus illos Theologorum in Germania initio recentium sectarum celebratos. Scilicet pro dignoscenda, determinandaque veritate religionis procedebatur per examen articulorum, quod est illegitimum, & nil terminatur, & concluditur, sed nouæ nouis litibus assumuntur, vt experientia demonstrauit: Et deindè ex parte prouocantium procedebatur ratione antecedenti, quod non licet, vt est ostensum.

Vana curæ de immortalitate animæ probanda.

255 Sequitur similiter, vt ad remotiora transeamus, vanam esse illam multorum curam, & solicitudinem de immortalitate animæ, quasi hoc ex vno cuncta pẽdeant. Certè hac ipsa cura solicitus Simon ille Magus, vt l. 3. recognit. B. Clementis habetur, volebat in primis, & ante omnia, & quasi in capitali pũcto de immortalitate animæ disputari; nam si mortalis illa est, nihil erit, aiebat, quod de vera religione quærenda laboremus: si immortalis esse demonstretur, tunc reliqua quærenda, examinandaque venient: quid enim viam ad ãlteram vitam tàm actuosè exploremus, si alteram vitam esse, nobisque illo eundem, primum non constiterit? Verum Simon Petrus, vt erat ordinis rerum, modique veram religionem quærendi scientissimus, disputationem recusauit, non metu, sed iure, vtque vtiliter negotium conuersionis gereret. Vt namque ad occultam, nec satis, vt credo, deliberatam curam, cõgitationemque aliquorum etiam Christianorum orationem conuertam, constiterit tibi patentissimis demonstrationibus immortalitas animæ? Quid verò tunc aliqua determinata religio erit tibi capessẽda: nec enim hoc vnum scire tibi ad salutem suffecerit, scilicet animam esse immortalem, quin ob hoc obligaberis ad viam quærendam immortalis fælicitatis. An ergo sicut immortalitatem animæ nisi priùs demonstratam, & intellectam acceptare nolueras, idem peragendum de reliquis rebus religionum? At ostendimus hoc esse absurdum, & stultitia, ac impossibilitate plenum: quin hoc nulli saltem Christianorum in mentem venit, estq; de obsoleta schola Gentilium, nec omnium. Si verò aliqua etiam non intellecta, & demonstrata, vt Incarnatio-

Digitized by Google

nationem, & Trinitatem promptè credis, nec de his es solicitus, quid non similiter, & citra curam omnem credas animam immortalem? Sed mihi, inquis, nullo rerum, & religionum examine opus est, si semel animã immortalem esse, aliquamque religionem tenendam constiterit; scilicet iam tunc res est manifesta, estque Christiana religio, quæ omnibus palam eminet, alio sine examine accipienda. At in primis religionem aliquam capessendam esse constare potest, & qu. 1. & 2. constitit, omissa immortalitatis animæ discussione: & S. Petrus immortalitatem animæ ex hoc solo inferebat, quod Deus existat; si enim Deus est, iustus est; si iustus est, iustitiam, & æqualitatẽ seruat: at nõ in hac vita, in qua toties bonis mala, & malis bona contingunt: ergo in alia, &c. Sed hæc superiunt; vel enim Christiana religio, quam reliquis præfers, talibus fundamentis est communita, quæ ipsam veram esse absolutè commonstrent? & tunc per illa ipsa commonstratur aliquam religionem esse tibi capessendam, scilicet ipsam Christianam, quam veram esse tibi constitit, nec opus erit demonstrationibus immortaliiatis animæ, vt patet. Quod si Christiana religio talibus fundamentis caret, non erit, quare illam accipias etiam post animæ immortalitatem demonstratam; examinanda erunt cuncta sine fine. Illud, inquis, omnibus religionibus eminet, & præstat. Sed vel in Deo est prouidentia, & tunc ex hoc ipso illam veram esse euidenter sumitur. Vel non est prouidentia, & tunc fato, vel casu illa sic eminet, nec ex eo probatur verior. Ergo in demonstrationibus immortalitatis animæ nullum habes exitum, nullumque finem, & est illa accipienda per fidem citra omne examen, vt reliqua veræ religionis documenta. Vana est ergo hæc cura mortalium.

Non propterea negamus, immortalitatem ani- 256
mæ etiam demonstrari: demonstratur scilicet, sed ratione consequenti, & subiecta: & quidquid rationes illæ Augustini, uel aliæ, uel tuæ non placeant, haud licet religionem mutare, uel deserere, vt fama est à quodam factum sic decepto: quod apex ingeniorum Augustinus probare, et demonstrare nixus est, et nec demonstrauit, nec ullo pacto probauit, demonstrabile

non

Digitized by Google

non est, nec ullo pacto probabile; at talis est immortalitas animæ, nam quæ pro illa adducit, nil ueritatis, uel solidi fundamenti habent. Ergo immortalitas animæ nec demonstrabilis est, nec ullo pacto probabilis. Et cum hoc suo syllogismo ex Christianis ad Atheos abijt, et perijt.

257 Idem porrò est dicendum de tota Philosophia, omnibusque eius partibus, et de Metaphysica, et scientijs naturalibus: in domo enim, quam sibi sapientia ædificauit, illæ omnes ancillæ sunt, et pedissequæ; ancillari, seruire, consequi, et subsequi debent; non autem imperare, aut præcedere, ut Patres Ecclesiæ nobis christianis obseruatum reliquerunt, et sub his terminis omnes admittunt; ast in praxi multi non multum curant, et sua in Philosophicis primùm principia iaciunt, et ex illis post in Theologia decernunt, et alterant, ampliant, et cuncta licere putant, modò Philosophia intacta, illibataque seruetur, cum contra potiùs esset Philosophia detorquenda, excruciandaque, ne iota unum, uel apex præteriret à lege: ubi facilè esset productis exemplis rem comprobare. Sed quid? Iam pridem doctus ille, et ingeniosus Hispanus Melchior Canus deplorat, multis Aristotelem pro Christo esse, et Auerroem pro Petro, cum tamen cæci fuerint, et maximè omnium circa fundamenta capitalia ineptierint, sintque uerè ex illis, quorum insipiens cor obscuratum est. Dicunt etiã in Philosophia exiguam, uel nullam esse Sanctorum Patrum authoritatem; si Sanctus est, oret; si Theologus, probet, et similia, si nõ uerbo, saltem opere: quæ omnia ex Gentilium lacunis hausta homine Christiano sunt planè indigna, et hominum loca uera sapientiæ ignorãtium. Quid Deus dat, si non dat intellectum, et sapientiam? an quæ pluris interest, pluuiam? Ait quibus meliùs, quàm orantibus, et postulantibus? Qui porro orãt, ut oportet, nisi Sancti, et Viri Dei? Confert ergo sanctitas ad sapientiam, et cæteris paribus præferendi sũt sanctiores: qui prætereà veritatem, & non plausum, quæsierunt, & quæ sentiũt, dicũt. Philosophia deindè in multis cõnexa est cum sacra doctrina; qui ergo in ista authoritatem habent, necesse est, eamdem habeant in connexis. Sed alij ista insequantur.

Digitized by Google

Quod de Philosophia, idem de sacra scriptura, deque mysterijs veræ religionis dico, & ex superioribus sequitur, in quantum ratione nostra explorantur, ratione inquam, vel purè naturali, vel etiam diuinitus illuminata: hæc enim inquisitio est similiter ineunda, & facienda ratione solùm consequenti, & obsequenti. Et hoc pacto maiora multò, & altiora intellexerunt, posteriſque tradiderunt Sancti Patres, quàm omnes Gentium Philosophi, siue Metaphysicam consideres, quæ Deum, & diuinas perfectiones, & intelligentias tradit; vel quæ de moribus, & fine hominis tractat, moralem Philosophiam. 258

Hac ratione consequenti sanctas etiam scripturas explicarunt, & ex illis hæreses oppugnarunt. Eadē mysteria fidei intellexerunt, atque ad obiecta respondērunt, fidem conseruaturi proculdubio, etsi respondere nescijssent. At ad prouidentiam Dei spectat, ne desint in vera religione, qui res eius satis sciant explicare, & tutari. 259

Oppugnarunt etiam hæreses eadem ratione consequenti per examen scripturæ, illa ex scriptura assumēdo, quæ aduersarius haud negabat, vt Aug. l. de moribus Eccles. Cathol. c. 1. & alibi aduertit: quod cum doctrina superiùs tradita nō pugnat, sed cohæret. Ex alijs etiam, vt ex syllabarum, vel Poetarum testimonijs aliquando egerunt, quasi ad hominem ex non dignis authoritate, sed tamen qui aduersario essent in pretio, vt idem Augustinus admonet l. 13. contra Faustum c. 15. 260

In scriptura rursùs, vt supra adnotauimus, est pars duplex, altera, quæ res veræ religionis tradit, & hæc potissimum ratione consequenti est sumenda; altera, quæ ad ipsam veram religionem dignoscendam deseruit, ex qua semper in quacumque hæresē relinquuntur aliqua incorrupta, nec hæresis vlla ex integro scripturas subtulit, vel corrupit. Et ex hac disputandum est, cum de vera religione dignoscēda cum hæreticis agitur, nosque indè multa in superioribus protulimus, & proferemus. Et nisi pro vera religione dignoscenda adessent alia sufficientia fundamenta, vt me quidem iudice adsunt, pars hæc ad præambula veræ religionis spectaret, pertineretque ad rationem antecedentem. 261

Et

Digitized by Google

Et de hac accipi aptè potest dictum illud Christi, *scrutamini scripturas*: quod licet Iudæis, & pro Iudæis dictum videatur, vt Tertull. l. illo de præscriptionibus cõtendit, qui satis in scripturis, & Prophetis Christum inuenire, & dignoscere poterant, & debuerant, sine incommodo tamen ad omnes extendi potest: omnibus enim supersunt in scripturis signa manifesta veræ religionis: at hac inuenta non iubemur reliqua scrutari, nisi modo dicto, & ratione obsequentissima.

262 At vera Ecclesia, quam potissimùm Concilia generalia ritè congregata repræsentãt, & continent, potest, & debet scripturas scrutari etiam quoad partem pertinentem ad res religiones ratione partim antecedenti, & partim consequenti: antecedenti sanè quoad illa, quæ priùs Ecclesia in religionem, & fidem complexa non est; at consequenti quoad ea, quæ aliquando de fide fuerunt: nec enim antea magis, quam modo Ecclesia errare potuit; & ideò prior Ecclesia posteriori hoc modo regula est, & omnibus scriptura, quam scrutari tenentur.

263 Hìc porrò quæras, quid facto opus sit, quando & in sensu scripturæ, & in sensu simul alicuius Cõcilij circa idem dubitatur, quid cui præferendũ, quid per quod explicandum? si sensus, vt dixi, certò non constat, nec ad doctrinam fidei assumpta res est. Præferenda est proculdubio cæteris partibus scriptura, & per hanc exponendum Concilium. Nam doctrina Conciliorum non noua doctrina religionis est, sed explicatio, & determinatio primitus datæ, vel scripto, vel traditione: scriptura ergo si satis, & vltimò explicata non est, nec determinata, remanet sicut priùs sub opinionibus. Deindè licet omnis definitio Concilij ad fidem obliget, maior tamen est authoritas scripturæ: nam huius omnia sunt verba Dei, modo infra designando; huius omnia ad fidem pertinent: in Concilijs non ità, sed solùm articulus definitus: quæ autem adhuc dubia manent ex sensu, & acceptione Ecclesiæ, haud definita censentur; vnde infallibilem veritatem non habent, sed remanent in gradu humanæ authoritatis licet magnæ. At humanam quantumcunque authoritatem sanctæ scripturæ posthabendam frustrà esset, quod inter Christianos promouerem.

Digitized by Google

Ex hoc autē Viro Theologo multa licet colligere; 264
nam multoties cum Concilia nihil definierint, imò cōsultò à definiendo abstraxerint, voluerintque fundatas opiniones, vel etiam non multum fundatas loco suo relinquere, multi interea nimio partium studio definitiones excogitant, obtenduntque: vt in Tridentino pro Immaculata Conceptione: item in eodem pro sufficiētia attritionis ad Sacramentum Pœnitentiæ: quod si definire Concilio placuisset, licuissetque, palàm, & dissertè id statuisset, sicut alia: cum, vt dictum est, finis articulorum, vel definitionum conciliorum sit, sensus scripturæ dubios resoluere, lites decidere, & terminare: vndè quod sub lite manet, haud censetur definitum. Sed horum, & similium specificandi, & explicandi non est hic locus.

Ad finem, vt nonnihil dicam de famosa ætatis nostræ hæresi Iansseniana, quæ Belgium, quæ Galliam pœnè totā cōmouit, erroris causa venit annotanda: quippè Iansenius errauit dupliciter, primū quidem res religionis ad vnius tanti licet Doctoris Augustini tribunal iudicandas producens; ac deindè Augustini authoritatem, aliaque Theologiæ statuendæ, & constituendæ principia, & loca ratione antecedenti scrutans, & examinās. Procul absumus, vt Augustinū cōcedamus Iansenio; sed eo etiā dato Ecclesia esset præferenda, vt Aug. ipse toties edocet, nec Angelus quidē de cælo audiēdus esset secùs euāgelizans. De Aug. porrò mēte, & sententia ab Orthodoxis satis responsum est: nunc in specimen reliquorum de vno errorum Iansenij ferat ille sententiā fer. 191. *Execramur etiam blasphemiam eorum, qui dicunt, impossibile aliquid homini à Deo iuberi, & mandata Dei, non à singulis, sed ab omnibus in commune posse seruari.* 265

Miratus sum planè multoties, quòd hic homo tot cultores, & asseclas assecutus sit in regnis catholicis, atque indè fidem, & Theologiam Hispanorum pluris æstimare didici. Vidi enim, Iansenium nihil in Hispania profecisse; errores suos qui tueretur, inuentum sanè neminem etiam ante definitiones pontificias. Quid vero causæ? An liber eius in Hispaniam non appulit? Appulit. An hæ lites nihil ad Hispanos attinebant? Imo ad Hispanos potissimùm attinebant; eosque maximè 266

om-

Digitized by Google

omnium ad factionem, & seditionem vocabat: apud quos scilicet nata est, vel saltem celebris esse cæpit, & hactenùs acerrimè omnium disceptatur controuersia, de gratia prædeterminante, quam tam factiosè Ianse-
nius promouet, & de gratia indifferenti, quam ille diris omnibus deuouet. Et nihil tamen moti Hispani; nullus etiam prædeterminatorum inuentus saltem publicus, & quem sciremus, assertor Ianseni: videre nimirùm
267 præclarissimi Thomistæ, quantum causa sua differret à Ianseniana, quantum ista esset intuta.

Mihi parcite: aliam ego causam non inuenio, nisi quod Hispani Theologi illibatè credunt Ecclesiam Sanctam Catholicam; ac indè ratione solum consequenti res fidei examinant; & credunt primùm, vt mox intelligant iuxta regulam Isaiæ Prophetæ toties ab Augustino iteratam: vnde si quid videant Ecclesiæ sensui repugnans, id aut exponunt, aut alijs Doctoribus exponendum relinquunt, & si aliud non superesset, etiam negarent. Videbant porrò à Ianseno negari libertatem indifferentiæ, & agendi, & non agendi: & nullam aliam negatam haud pridem à Luthero, & Caluino; nullam aliam canonizatam à Tridentino; nullam aliâ ipsi olim Augustino visam difficilem, quæ cum gratia conciliaretur; nullam tamen aliam concessam semper ab eo, defensam tribus de libero arbitrio libris; quod vel ipsum etiam arbitrij nomen satis significat: quod verò omnium erat patentissimum, audiebant quotidie, ex eo Sanctos Viros à Sancta Ecclesia collaudari, quod potuerint transgredi, & non sint transgressi; facere mala, & non fecerint. Inferebat quisque: hoc Ianseni negat: ergo caue Ianselium. Idemque in cæteris eius damnatis erroribus videre erat. Quod verò post damnationem etiam defendatur, parum credentium est, aut multùm planè ignorantium.

QVÆ-

Digitized by Google

QVAEST. XV.

Vtrum ergo priùs quærenda sit veræ religio, quam veri, ac legitimi veræ religionis libri, nec per hos illa, sed per illam hi dignoscendi veniant?

DIstinctione opus est hoc in loco, atque circumspectione. Haud enim tam sum insipiēs ego, qui affirmem, vel deducam ex libris veræ religionis, veram religionem non ritè dignosci saltem ex parte, cum sciam, à Sanctis Patribus, scripturis semper pugnatum in hæreticos, ac Augustinus toties ad veram agnoscendam Ecclesiam hunc locum cæteris omnibus anteferat, ipseque Christus nos ad id iubeat scrutari scripturas: & nos demùm ipsi superiùs duabus scripturæ partibus distinctis, ac commemoratis, vnam illarum explorandam dixerimus. 268

Libri itaque veræ religionis, siue nostri illi sint, siue Thalmudici, siue Alcoranici, siue quicunque quoad præsens alij, considerari, ac inueniri bifariam possunt. Ponamus ex gr. veritatem alicubi apud Christianos esse, quod inferiùs veniet demonstrandum. Aliud est ergo Christianorum libros in generali inuenisse: aliud eos in specie, ac in particulari determinare, ac pro certis, & legitimis suscipere. In genere quidem constat nũc inter Christianos omnes, vetus, ac nouum testamentum esse libros Christianorum, & qui veritatem christianam continent: quos libros vno iam vocabulo bibliam appellamus. Sunt porrò multa, ac varia biblia, in multis pugnantia, ac plures, vel pauciores libros admittentia, & complectentia, & alij hanc bibliam veram, & legitimam dicimus, alij non hanc, sed aliam legitimam esse, animosè tuentur. Iam, quod in Augustino me aliquando legisse reor, diuina prouidentia factum est, vt nunquam tam ex integro sanctæ scripturæ corrumperẽtur, 269

ac

Digitized by Google

ac mutatentur, quòd admissa qualibet cuiuslibet biblia non manifestè innotesceret, apud quos Christianos sit vera Ecclesia Christi, & vera fides: hoc certè temporis, ac in præsentibus Christianorum diuisionibus id negotij, vt infrà constabit, planè, ac liquidò conficitur. At fortè haud repugnat, nouam de nouo prodire hæresim, quæ Luthero v.g. in cæteris quidem consentiat, sed omnia interea illa deleat, quæ in scriptura inuenta sunt contra Lutherum efficacia, vel de Virginibus, vel de Petro Apostolo, vel de Ecclesia, vel de vnitate, vniuersalitate, perpetuitate fidei, vel Eucharistia, &c. & alia eorum loco sibi profutura intrudat, nouamque cudat librum. *Ista hæresis* (differebat supra Tertul.) *non recipit quasdam scripturas, & si recipit, non recipit integras, &c. Quid promouebis, exercitatissimè scripturarum, cum si quid defenderis, negetur ex diuerso? si quid negaueris, defendatur.* Textum affers, textum negat.

270 Igitur asseramus, atque ex dictis deducamus, priùs esse quærendam absolutè veram religionem, quã veros incorruptos, ac legitimos illius libros, hosq; per illam esse dignoscendos. Et primùm quidem in genere, nequit Gentilis veritatem Christianam agnoscere ex sacris libris Christianorum de lege ordinaria: nam illi non sunt demonstratiui, vt sic humano modo conuincant, ac se veros ostendant, sed in stultitia potiùs prædicationis, & per simplicem magis narrationem, quam per probationem compositi: nec per instinctum internum patent, vt demonstrauimus. Si dicam, & clamẽ; eos esse diuinos, ille negat, probationem postulat: atque hoc circa superiùs adducta sunt quamplurima; & tantumdem occlamant Turcæ de Alcorano, Hebræi de Thalmult. Ergo priùs, & aliundè commonstranda erit eorum veritas: id porrò efficitur ostensa Christianæ religionis veritate: vti nos decursu peragemus. Atque hoc ex mox subiungendis magis, ac magis innotescet.

271 Iam ergo ad libros Christianorum in particulari descendamus, ac ostendamus, priùs agnoscendum, apud quos Christianos veritas christiana degat, quam quinam illorum libri in particulari, quænam biblia, quodnam exemplar verum sit, & legitimum. Atque

hoc

Digitized by Google

hoc in primis euincit argumentum nuper significatum de libris Christianorum in genere. Itaque si ego cum non Christiano agam, nequeo supponere, nec per illos ipsos demonstrare, eos esse sacros, & diuinos, quos ille humanos esse, vel prophanos dicit, vel putat: ergo similiter quando Christianus cum Christiano disputat alterius sectæ, & bibliæ, neutri licet suam veram, & diuinam esse supponere, nec id per ipsam comprobare, quod non potest. Quam planè æquissimam legem recusare potest nemo: alij enim alijs, & omnes omnibus efficeremur ridiculi, si singuli vicissim hanc, & illam bibliam, & Alcoranum, & libros Talmudicos producentes clamaremus, *hæc est doctrina diuina*, nec quidquam probaremus viterius. Committeremus etiam vitium illud, vel pueris a summularum exordio notum, quod vocant petitionis principij, ac probandi idem per idem, quod nugari certè est, atque oscitare.

Rursus: scriptura mihi offeratur alia cum epistola 272
Pauli ad Hebræos, alia sine illa. Quid, vel vndè ex scriptura ipsa mihi innotuerit, quænam alterata sit? similibusque alijs mutationibus effectis, vel additione, vel ablatione clausularum, vel verbotum nemo sanè inter scripturas per ipsas discernat. Sed frustrà est, quod in his multum immoremur: nam ostensum est clarissimè, veram religionem haud esse quærendam per examen scripturarum modo explicato: scripturæ enim probant solum ex suppositione; & deindè immensum est, fallibile, ac impossibile hoc examen, quale oporteret: ad instinctum deindè internum nullus est recursus, vt probauimus, & ad eum refugerent similiter Turcæ, & Hebræi: nec ex colore, credo, vel odore bibliorum veritas, vel falsitas vniuscuiusque dignoscitur. Ergo aliundè, quam ex ipsis biblijs est hoc demonstrandum.

Id quod ex eo præterea conficitur: nam si aliqua 273
esset incorrupta, vera, ac per se ipsam ita innotescens biblia, manifestum quotidiè miraculum experiri possemus; nam separatis centum, vel mille etiam hominibus, & triplici concessa singulis biblia, veram omnes communi consensu citra omnem communicationem internoscerent, si præsertim, vt garriunt sectarij, inter verbum Dei, & non Dei tam clarè discernitur, atque

inter

Digitized by Google

inter lucem, & tenebras: hoc enim multò esset mirabiliùs, quam quod septuaginta interpretibus in interpretando accidisse memoriæ proditum est, ac miraculi in loco habitum. Quod si hoc miraculum sectarij habent, quid tacent? quid miracula aiunt cessasse? Si neutiquã habent, quid resistunt? quid ad scripturam semper prouocant? cum vel hoc reliquorum omnium fundamentum, qnænam sit scilicet vera scriptura? per ipsã scripturam constare nequeat: ex quo autem id constat, eadem opera constent simul vniuersa.

274 Itaque Tertul. de præscript. c. 19. inferat. *Ergo non ad scripturas prouocandum est, nec in his constituendũ certamen, in quibus aut nulla, aut incerta victoria est. Nã, etsi non ità euaderet collatio scripturarum, vt vtramque partem parem sisteret, ordo rerum desiderabat, illud priùs proponi, quod nunc solùm disputandum est; quibus scilicet competat fides ipsa? cuius sint scripturæ? à quo, & per quos, & quando, & quibus sit tradita disciplina, qua fiunt Christiani? Vbi enim apparuerit esse veritatem disciplinæ, & fidei Christianæ, illic erit veritas scripturarum, & expositionum, & traditionum Christianarum.* Nihil dici potuit distinctiùs, formaliùs, & veriùs; euidens quippè est veram fidem Christianam apud eos non esse, quorum scripturæ prophanatæ sunt, & non veræ; & eadem est ratio de Alcorano, & quacunque alia religione, vel secta. Idem Aug docet contra ep. fundam.

275 Quod denuò contra sectarios, quorum hìc pinguis est error, vel confirmemus magis, vel exponamus. Suppetit religioni Christianæ modus, suppetunt media, quibus ritè, & legitimè Mahometanum, vel Gentilem ad fidem conuertat: esset enim alioqui rei christianæ malè prouisum; esset illorum error inculpatus, nec Christus gentes omnes ad euangelium, & fidem vocaret, quas legitimè ad eam inducere nequeat. At cum illi sanctas scripturas haud admittant, nullus credo, sectatiorum ineptiret adeò, vt sanctis scripturis in eos argueret; ptoponeret vtique illarum doctrinam credendam: sed eos ad credendum obligatos aliundè commonstraret, vt patet: ex eodem porrò eos ad libros Christianorum approbandos, & admittendos ex consequenti conuinceret. Ergo suppetit similiter modus

Digitized by Google

alius, quo illi Christiani, apud quos re ipsa veritas christiana degit, possint ad se ritè, ac legitimè conuertere alios Christianos. At hi non admittunt libros eorum determinatos, quibus potiùs præferunt suos. Ergo aliùdè veritatem commonstrare illi possunt, ac debent: ex eodem porrò, & ex consequenti commonstrant suos libros veros, & cæteris posthabitis admittendos. Inquā aliundè: scilicet ex principijs vtrique parti probatis, & admissis, vt leges omnes præscribunt; & idcircò, quod principio distinximus, & notauimus, valebit pars etiā illa librorum, & scripturarum, quæ in libris vtriusque partis extat, & admittitur: imò hic erit locus probandi cunctorum tutissimus, nisi quod Augustinus lib. de vnit. Ecclesiæ toties ingeminat, oportebit, loca esse litteralia, vel quæ in litteralia transierint, expressa, clara, perspicua. Etiam licet ex mihi non probatis agere, vt dicunt, ad hominem ex probatis aduersario, vt idem August de morib. Eccl. obseruat, ac Sancti Patres crebrò Philosophorum documentis pugnarunt, etsi hoc arguendi genus hominem quidem conuincat, non veritatem: & ideò ad hominem, non ad veritatem concludendam est, & appellatur.

Ne verò nimium eadem comprobando prouocemus ad nauseam, vel nimium, vt aiunt alrercando veritatem amittamus, ea, quæ præcedentibus quæstionib. constituta sunt, satis, superque euincūt, priùs esse agnoscendum, quænam hominum professio vera existat, & in hoc vno veritatem librorum, & reliqua cuncta probari, & agnosci: quod exemplum illud Prophetæ à Clemente traditum apertissimè declarat; nec esse singula deindè examinanda, quod infinitum foret, nec expediretur vnquam. In hoc porrò librorum determinandorum examine est res quodammodo clarior; cum namque de sensu libri intelligendo disputatur, responderi vtcumque potest, respondentque, sensum legitimum ex collatione locorum erui, & innotescere. Ostendimus hanc collationem multis de causis absurdam, nec ex illa aliud, quam opiniones, & certamina consurgere. Sedenim quidquid illa pro determinando sensu valeret, quo cum interea Apocalypsim conferam? quo cum Iacobi epistolam, aut libros Esther, vt alios diuinos, 276

alios

Digitized by Google

alios prophanos euincam? Quid si mihi libuerit quosdam psalmorum, quorum in reliqua scriptura nulla sit mentio, eradere? Styli certè diuersitas probat nihil: cum alio Paulus constet, alio Petrus, euangelia, aliaque in immensum discrepent. Vno Erasmi iudicio causam determinare, aut vltro hos diuinos, hos prophanos ex verborum sono pronuntiare, nimis esset inuerecundum, & puerile. Ad Sanctos Patres si prouocent, pridem quidem sectarij eos conculcatos volunt; deindè an post eorum ætates corruptiones irrepserint, ipsorum testimonio constare nequit; cum rursùs ostensum sit, per examẽ, & collationem scripturarum veram religionem agnoscendam non venire, multò id magis tenendum est de libris Sanctorum Patrum; quos certè quis, & quando in liquidam sententiam expediat? Ego certè magis, credo, tutò, magisque expeditè apud homines Christianos pronuntiauerim, quærendum quidem esse, quænam sit inter omnes vera Christi Ecclesia; & huius mox iudicio relinquendam veritatem librorum, quæ columna est, & firmamentum veritatis; quod de nullo Doctorum assertum, vel promissum legimus: quam proindè, si non audiam, habendus sim pro Ethnico.

277 Vndè quod de dignoscẽda vera Ecclesia sectarij obtrudunt, notam Ecclesiæ esse veritatem doctrinæ, vt vsum nunc rectum Sacramentorum omittam, nequit hìc subsistere. Nam cuius iudicio, cuius sententiæ constet veritas, vel falsitas Apocalypsis? Anne rationis nostræ? Sed hoc discussum, excussumque est multipliciter; & esset illud quidẽ insolẽtissimæ superbiæ. An aliarũ scripturarum iudicio? sed verò illæ tacent. Quid deindè si ego cæteras magis illas, si quæ forent, condemnarem, & Apocalypsim dicerem retinendam? Nec est, cur Fr. Paulus, vel inconsideratus alius Ecclesias inter distinguat, præsentem pesundet, primæuam colat, vel affectet, & ad illius sententiam antiquitate venerandam appellet. Vt namque quæst. sequen. dicam distinctiùs, præsens, & prior Ecclesia vna est Ecclesia, nec altera præ altera est minùs, aut magis erroribus obnoxia, & errare si vna in fide potest, si præsens potest, potuit similitèr antiqua: & hæc sunt, vt ostendam, euidenti cõsecutione connexa; nec vlla quoad hoc primeuæ Eccle-

Digitized by Google

fiæ priuilegia producere potuit tanta illa sapientia. Fr. Pauli.

Iam ad finem benignis auribus excipiant sectarij. Ipsorum est, & nostrum est Dei gratiam sartam tectam tutari. Ecce quanta in eam insolentia ineptierunt Pelagiani, Semipelagianique? haud enim crediderim, sectarios, qui tantos sese gratiæ Dei cultores exhibent, conciliandos nunc, aut placandos Peligianis. Illos quidem potissimùm Augustinus oppugnauit pridē; nos quoque oppugnamus. At prodit nouus Pelagianus, isque sagacior, qui priscos illos dicit simpliciſſimos, & quibus ex locis præcipuè illi deuicti fuerant, eradit, delet, negat vno verbo epistolas ad Romanos, & ad Galatas, easque dicit falsas. Nam ibi, quod iniquum est (ait) Iacob sine causa, sine ratione eligitur; Esau sine causa, sine ratione reijcitur; ibi solum vt damnetur, Esau conditur: ibi prædestinatio illa libertatem omnem præueniens, vel si placet, etiam subuertens, & homines libertate subuersa in pecudes conuertens intruditur, quod dicit enormem esse chimæram: ibi lex à Deo per Moysem data vilipenditur, ac fermè inutilis, & nullius frugis asseritur: quod ait cum veritate pugnare: idcircò epistolas illas esse apochriphas. Vos hìc rogo sectarios, vndè iste oppugnandus veniat? Exemplo vestro scripturas è re sua mutat, vel delet: Sanctos Patres despicit. Si ad perpetuum Ecclesiæ sensum recurratur, rogo, cuius Ecclesiæ? non quippè suæ vt patet: nō vestræ, quæ perpetua non fuit, nec eam vult suæ præferre, non nostræ, quam erasse vos maximè dicitis. Ac in vniuersū vel Ecclesiæ iudicium est infallibile, vel fallibile? si illud existat fallibile, nihil euincit: si infallibile; ergo, quod probandum suscepimus, inuenta vera Christi Ecclesia, in hoc, & ex hoc habentur, ac inueniuntur veri, & legitimi libri Christianorum. Idem porrò in alijs religionibus dicendum est. 278

QVÆ-

Digitized by Google

QVAESTIO XVI.

Vtrum hinc facilè Catholici defendant vulgatæ latinæ authoritatem? Vbi quomodo in vera religione conseruari tutò queat doctrina Dei scripta, vel non scripta?

279 AB hoc nunc postremò ordiamur, mox indè venturi ad Vulgatæ latinæ authoritatem diffusiùs propugnandam. Sed verò quoniam nondum vllius religionis in particulari veritatem concluſimus, facilè erit, vt quisque ad doctrinã religionis suæ defendendam ea transferat, quæ nos pro Vulgata latina allegabimus; ostensum est enim priùs ostendendam religionis veritatem, ac subindè constare veritatem scripturarum: vndè quisquis religionem suã veram poterit concludere, facilè hæc, quæ pro Vulgata dicentur, ad religionem suam conuerterit.

Doctrinæ diuinæ conseruandæ difficultas.

280 VT ergo in generali differere incipiam, videtur plánè impossibile, doctrinam Dei, qua vera religio constat, incorruptam asseruari, vel scripto, vel non scripto: etenim si illa scripto non constet, corrumpitur facilè, & alteratur, vt rumores, & nuncia alterantur, & crescunt eundo: qua de causa omnis communiter lex scriptis mandari consueuit. Sed scribatur illa; nam non ideò in tuto est: nam omnis scriptura mille modis est corruptioni, atque erroribus obnoxia ab incuria, ab ignorantia, à fraudibus Typographorum, & scribentium, & transcribentium: idcircò doctrina veræ religionis videretur typis etiam mandanda ab ipsomet Deo,

Digitized by Google

Deo, vel ſcriptoribus ſacris, & infallibilibus: & ſicut ſunt nouis Catholicis ſcriptores ſacri, & canonici, ità quoque eſſe deberent Typographi ſacri, & canonici. Sed rurſus cum nulla ſit nationibus omnibus communis lingua, traductores neceſſarij erunt, qui etiam veritatem corrumpāt perfacilè: & hinc denuò opus eſſet traductoribus, atque interpretibus canonicis, & infallibilibus. Ac demùm cum vera religio extiterit à mundi exordio, duraturaque ſit ad finem vſq; vt poſtea oſtendemus, neceſſe foret, doctrinam veræ religionis ſcribere in materia aliqua incorruptibili, & cæleſti: nam ſublunaris eſt corruptibilis, & tempore raditur, annis abſumitur, humiditate marceſcit, igne comburitur, peritque mille modis: ſi porrò tranſcribenda eſt, inter trāſcribendum prophanatur: Eodem autem modo indigebimus ſacris librorum cuſtodibus, & bibliothecarijs: licet enim ipſe Deus digitis ſuis doctrinam ſuam exharauerit, at quid, vel vndè ſciam ego, an exemplar mihi oblatum illudmet ipſum ſit, an aliud? an ex maiorū fide? Sed hi falli, & fallere potuerunt.

Hoc verò ex loco ad fallendos populos tàm appoſito inſurgere prophani quique poterunt aduersùs religiones omnes, ſiue Chriſtianam, ſiue Mahometanam, ſiue aliam, cum nulla ſit in mundo religio tot illis, ac tantis priuilegijs communita: nulla ergo doctrinam Dei incorruptam cuſtodijt, vel potuit: nulla ergo eſt vera. Verum prophanos iſtos ſuperiùs ſatis confregimus, & mox ad hæc nuper obiecta reſpondebimus, atque in præſentia non iam cum ipſis, ſed cum religionū profeſſoribus diſputamus. 281

Difficultas contra Vulgatam latinam.

AGe: ad Vulgatam latinam veniamus: occurrit verò potiſſimùm profligandus ille proteſtātium non pridem exortus Philiſteus Petrus Suaue, vel Frater Paulus, qui populo Dei bellum indixit, cultoreſque obtinuit plurimos. Nuſpiam verò ille dixit inſolentiùs, quam cum Vulgatæ latinæ authoritatē infringēdam reſump- 282

Digitized by Google

sūpsit in illa sua Tridentini magis satyra, quā historia: Ergo in Concilio hac de causa disceptantes introducit Aloysium Cataneum Dominicanum, Isidorum Clarū Benedictinum, Andream Vegam Franciscanum, contraria omnia sentientes, & producentes. Quærebatur, an versio aliqua scripturæ approbari tanquam authentica posset. Cataneus, inquit, asserebat nil hoc circa adduci posse magis appositum, quam iudicium Cardinalis Caietani: illum porrò dicere solitum, intelligere Textum latinum non esse intelligere Verbum, vel vocē Dei, sed vocem interpretis erroribus obnoxiā; nullam proindè versionem, nec Vulgatam quidem latinam, tanquam scripturam authenticam accipi, approbariq; posse. Clarus voluit nouam aliam accuratissimam fieri, quæ deinceps haberetur pro authentica. Vega iudicauit Vulgatam latinam, quæ mille iam annis Ecclesiæ in honore, & vsu fuerat, esse approbandam. Hanc Cōcilium, vt mox dicam distinctius, approbauit, constituitque pro authentica. Iam hic exultat Frater Paulus, & quasi solus esset in mundo, qui saperet, & nasum haberet, & oculos, definit more suo, panditque oracula ex tripode: miratur primum more subridentis, quod Concilium id fecerit, quod nunquam per tot sæcula ausa fuerat Ecclesia; quod deindè copiam, & versionem in multis originali suo discordantem, ac repugnantem approbauerit.

Caietani sententia.

283 At Eminens illud ingeniorum decus nuper ad purpuram euectus Eminentissimus Cardinalis Pallauicinus demonstrauit hunc hominem in dogmatis futilem, in historicis mendacem, vbique audacem, & temerariū, ac fidei planè nullius, qui ea scripsit, quæ, & qualia scripsissent Lutherus, & Caluinus, atque scribere Hæreticorum quisque voluisset, si potuisset. Nunquam ars ex integro assecuta est naturam, nec fraus veritatē: plurima licet hic sese curauerit arte tegere, at vel ex hoc vno palam proditur, quod omnia improbet, carpat, & mordeat: miranda planè res, quod in Concilio nihil sit definitum, decretum nihil, nihil saltèm casu scriptum, dictum, pronuntiatum, tentatum, quod laudem mereretur, nisi quid fortè pro Protestantibus allatum est, vel significatum, somniatumue contra Romam.

Suaue satis protritus ab Em. Pallauicino.

Suaue facetiosus.

Digitized by Google

mam. Sed verò mundus in maligno positus est, & plenus populo, & habuit, & habebit celebratores detractor quisque. Quod ad me attinet, plurimis experimẽtis didici hunc hominem mendacissimum passim voces totius primæuæ Ecclesiæ,& omnium Sanctorum Patrũ vsurpantem, quin citet neminem; quod intolerabilis est arrogantiæ, & aliud etiam agens offendo contraria omnia in Sanctis Patribus: quod insinuasse è re mea putaui.

Vulgatæ latinæ authoritas propugnata.

NVnc vt ad argumentum redeam, age mi homo. 284
Ergo Concilium approbauit Vulgatam latinam exemplari, & originali repugnantem in multis, atque dissentientem. Eninuerò miramur,quod de hoc exemplari à te inuento mundum,& Ecclesiam certiorẽ facere omisseris: vbinam illud inueneris, legeris? vbinã prætiosus adeò,& æstimandus thesaurus asseruetur?Sed quandoquidem libri illi conscripti à Moyse,& Euangelistis in mundo,credo,non extant, vt eras linguarum omnium apprimè gnarus, aderant tibi proculdubio exemplaria Hebræa, & Græca. Sed vides is, num ista Verbum Dei contineant, an voces, & verba interpretantium, & transcribentium? num illi probatioris fuerint fidei, quam vel Hieronymus,vel septuaginta interpretes? Quid ergo significas, cum Vulgatam latinam pronuntias exemplari repugnantem? Cui exemplari? Tuone? Sed & illud copia est, versio est. Illinc, quod iam pridem perijt? At illud à te lectum non est, nec visum: nec dignatus quidem es dicere, te id per diuinam reuelationem agnouisse. Et verò attuleris nobis ex tertio Cœlo exemplar ipsum Hebræum Moysis, & legas: plerique omnes linguam non intelligunt; sed intelligãt: dicent tamen, quod tu tota impugnationis mole incũbis, te inter legendum falli posse, & fallere: & similiter inter interpretandum, si & hoc pro ignorantibus linguam agendum est. Superest ergo, quod ac cœlum rediens omnium linguarum reportes exemplaria; imò

Suaue Futilis.

verò

Digitized by Google

verò, quia lectores fallere possunt, oportet, vt & singuli discant legere, & pro singulis adducantur infinita authentica volumina. Sed quoniam tot hæc priuilegia, & munimina nulli vnquã religioni, ne Christianæ quidem concessa fuere, quo demum tua, Protestantiumq; tuorum molimina ducunt, vti commonstrabitur, satiùs erit, quod his relictis curis, & religionibus omnibus efficiamur omnes vno verbo Athei. *Ducit ad Atheismum*

284 Verum denuò ab hoc omnisciente nonnihil postulemus. Quid enim? anne versio aliqua approbanda erat, vel nulla? Nulla, inquis versio, sed exemplar, Hebræum quidem pro veteri testamento, & græcum pro nouo. Ita nè? at quodnam? Sunt enim quamplura in aliquibus discrepantia. Et precor deindè aduertas, cuncta illa esse transcripta, & typis quoque mandata ab hominibus errori obnoxijs, destitutisque prophetico illo, vel canonico spiritu, quem vel desideras, vel irrides: idem planè ab his imminet periculum, atque ab interpretibus: maius autem, credo, à Rabinis Iudæorum, quàm à Hieronymo Christianorum. Ac deindè, quod multũ timueris, deseris protestãtes tuos: hi enim te ipso patrono volunt, scripturam sacram esse omnibus vsualem, & notam, & scriptam proindè in lingua vulgari. An non ità? At non puto ità es insanus, vt velis, quod Galliæ, Germaniæ, Angliæque sartores, & sutores, & fœminæ, & omnes perdiscant linguam Hebræam, & Græcam: versiones autem audientes, non, vt oportebat, & vultis, audient vocem Dei, vt ex Caietano recantas: quem etiam, licet Cardinalem, dignatus es laudibus aliquando cumulare, cum scilicet aliquid dixit, quod tuis fauere tibi visum est, etsi, vbi cum Luthero egit, totus, vt garris, desipuerit. Quantum porrò Rabinorum fides, hebræaque exemplaria timenda sint Christianis, satis, superque hic ipse Cardinalis, vir alioqui præclarus, nos posteros edocuit: adeò tete partitarium ostendis, vt illum sicubi laudandus minus erat, ibi solùm celebraueris. Nullam ergo ad exemplaria hebræa, græcaque effugium; omnia in his imminẽt, & maiora, quam in versionibus, quo de egregiè differentem audire tibi licuisset Augustinum epist. 10. & 19. vbi tutiùs putat, si ex versione septuaginta interpretũ, *Approbanda nè versio aliqua?* *Suauis incoherentia.*

Digitized by Google

quàm ex hebraicis codicibus vetus testamentum in latinum vertatur: Hieronymus autem epist. 11. inter Augustinianas, quo Fr. Paulus, & Caietanus discere potuissent, pridem Origenis exemplum perhibuit à Iudæo decepti, quo ad interpretationem psalmorum vsus fuit. Iam ergo ad primum postulatum redeo, & quæro, an versio aliqua approbanda in Concilio esset, ve nulla? Si approbanda erat, digneris aliquam producere Vulgatæ latinæ parem, vel æquabilem ab antiquitate, ab authoribus, ab vsu Ecclesiæ, & communi Doctorum approbatione. Quod si nulla est, quid tam vltrò ineptis? Acceptandane erat aliqua recens à Luthero excussa? At excudit, mutauitque ipse quamplurimas: tot vero sui vicissim pugnantes effinxerunt, vt Lutherus ipse, teste Cocleo lib. de Canon. script. authoritate cap. 11. coactus sit dicere: *si diutiùs mundus steterit, iterum erit necessarium, vt propter diuersas scripturæ interpretationes, quæ nunc sunt, ad conseruandam vnitatem fidei Concilij decreta recipiamus*; adeò præ te sapit quandoq; Lutherus. Supereſt ergo, ut dicas, nullum exemplar, nullam versionem approbari ritè potuisse, cum vndique immineant errorum, & fraudum pericula: & quod est consequens, & huic procul dubio pergratum homini, vnicuique libertatem concedendam, relinquendamque fidem arbitrio, & libidini singulorum, vt sapiat vnusquisque modo suo, & vtatur qua versione, vel exemplari placebit.

Lutherus aliquando præ Suaue sapit.

Suaue nimiũ distractus, & ridiculus.

Nisi verò Fr. Paulus in tot, tantisque illis rebus 285
fuisset occupatus, in obseruando equæ Mantuanæ partu, in anothomijs totidem mirabilibus, in excogitando, & explorando motu sanguinis cum Galeno, cum Sacroboſco, & Euclide, Iustiniano, in iure canonico, in omnibus historijs, & linguis, & scientijs, in regimine suæ religionis, in factionibus cum Fr. Gabriele, nisi, inquam, tot hæc, & tanta eum distraxissent, videre facilè potuisset in hoc de approbanda aliqua versione negotio non plus maioris, vel nouæ difficultatis esse, quam sit in electione Papæ, in consecratione hostiæ, in canonizatione Sanctorum, & centum similibus iam pridem in Ecclesia fieri solitis, nec commoueri contra Concilium debuerat, quasi in nouissima, & insuperabili difficultate.

Nulla nouæ difficultas in approbãda latina versione.

Vt

Digitized by Google

285 Vt ſcilicet ex omnibus exemplum canonizationis ſumam, ſicut Hieronymus in interpretando errare potuit, & ſpiritu illo caruit prophetico, vel ſemiprophetico; ſic canonizatorum quilibet in viuendo peccare potuit, & dono impeccabititatis, vel etiam confirmationis in gratia plerique omnes caruere, & mori potuerunt in peccato: nec hoc, credo, Fr. Paulus reuocabit in dubium. Et nihilominùs iam pridem ante Concilium, & quotidie, & in mundi conſpectu canonizabat Sanctos Eccleſia: quod idem eſt, vel connexum cum morte canonizatorum in gratia, atque ſalute, & gloria ipſorum; nec hoc quidem ità factum, & iudicatum eſſe, Fr. Paulus negare poteſt, tot licet arcanorũ conſcius. Iam conſequentia, & identitas exempli quoad præſens eſt manifeſta etiam tonſoribus: ergo ſicut Eccleſia de eo, qui peccare potuit, & in peccato mori, ſolita fuit declarare illum de facto non eſſe mortuum in peccato, nec damnatum, licet potuerit, & ea eos laude cumulauit, quod potuerint transgredi, & nõ ſint transgreſſi: facere mala, & non fecerint; ſic ſine nouitate, ſine tot illis ſuperandis monſtris, eadem Eccleſia declarare potuit, in aliqua ſcripturæ verſione hominem aliquem, licet errare potuerit, non tamen erraſſe, nec ad hoc requiritur ſpiritus propheticus ex parte hominis interpretantis, vt ſomniabat, ſed aſſiſtentia Spiritus ſancti ex parte Eccleſiæ approbantis: ſicut in canonizatione: nec ſenſum habet ſpiritus ille ferè propheticus Titelmanis, & Cani; nam non propheticus nequit eſſe propheticо vicinus, potiùs quam non Deus vicinus Deo: ſatis eſt ergo, ſi infallibilitatem adſtruamus ex parte Eccleſiæ approbantis: at credo nouum non eſt, mi Doctor, infallibilitatem iſtam, & aſſiſtentiam Eccleſiæ attribuere; hoc vnum expugna, & Eccleſiam expugnaſti: hoc ſi omittas, nihil feciſti: hoc vno ſatyra tua marcet. Vt verò canonizatio Sanctorum, & ſimilia haud fiunt in Eccleſia temerè, & caſu, ſed diligenti præmiſſa diſcuſſione, ſic ad approbationem autenticam Vulgatæ latinæ præceſſit mille plus annorum examen, inſpectio, atque conſideratio, imò approbatio cõmunis. De quolibet autem Sancto canonizato determinatè licet ſalua fide diſputare in ſcholis, an eius ſalus, &

Spiritus ſemipropheticus nihil ſignificat.

Digitized by Google

gloria sit de fide: si quid simile de Vulgata excogitare, vel mouere licuisset, potuisset Fr. Paulus non cum Concilio, sed cum Theologis manus conferere: at arroganti ingenio abiectum visum est, si cum minori contrario, quam cum tota Ecclesia dimicaret.

Vera scriptura inuētu.

Miror verò, omniscium istum, qui tertio quoque 287
verbo omnes Patres Ecclesiæ, & totam primitiuā Ecclesiam in ore habuit, non casu saltem incidisse in Tertullianum, qui vbique satis est ad manum: in eo autem ad has controuersias nihil est celebriùs, & vulgariùs, quam libellus de præscriptionibus: in quo id egit, & probat potissimùm, non priùs esse discutiendum, quæ nam sit vera, & genuina scriptura, & deindè quænam vera Ecclesia; sed à contrario inquirendum esse primum, & solum, quænam sit vera Ecclesia, & hoc comperto, compertum esse, quænam sit vera scriptura, vt satis nos super quæst. firmauimus; nec enim est possibile, esse veram fidem Christi, nisi in Ecclesia vera Christi; nec est possibile, esse veram Ecclesiam Christi sine vera scriptura Christi, vt definierat pridem Concilium Tolet. 1. *Si quis dixerit, vel crediderit* (inquit) *alias scripturas esse canonicas præter eas, quas Ecclesia Catholica recipit, anathema sit.* Et hæc sunt manifesta, item est manifestum, & à nobis demonstrandum apud aliquos esse veram fidem, & Ecclesiam Christi: & nihil patentiùs demonstrabile, quam eam non apud protestantes, sed apud nos esse: Ecce mi homo, quam erat in promptu veram scripturam inuenire. Nouit hoc Concilium, & nouit, eam proculdubio versionem esse rectam, & veram, quam Ecclesia tam longo vsu acceperat, & approbauerat.

Vera doctrina Dei in sensu Ecclesiæ asseruata.

Suaue ignorans.

SEd ad id reuertamur, quod de exemplari dicebat: 288
exemplaris meminit, licet nescius, quid diceret. Quid si hoc illi exemplar producamus, quod ipse vbinam esset, cum omnia sciret, ignorauit? Ergo extitit, & extat semper in Ecclesia incorruptum exemplar, scilicet in sensu Ecclesiæ. Vt enim superiùs Hieronymus disse-

Digitized by Google

differebat, fides, & scriptura non in littera consistit, sed in sensu; litteram totam admisit Valentinus insignis hæreticus, toti primæuæ Ecclesiæ, cuius hic homo auctoritate ad omnia abutitur, in primis infamis, nec Arius negabat Euangelium Ioannis, sed torquebat; nec Lutherus, & Caluinus hanc litteram negant, *hoc est corpus meum*, sed prophanant. Non ergo scriptura in littera solùm consistit, sed in sensu, & in intelligentia, quo est anima, & formale totum, vt vocant, scripturæ. Hinc si omnia sumantur litteraliter, erratur, & Christus erit petra, agnus, leo; si omnia per tropum, vel figuratè, erratur similitèr, & Christus nec Deus erit, nec homo. Est ergo alicubi hoc incorruptum exemplar, ex quo tota veritas, & rectitudo scripturæ desumitur. At dic, quæso, mi homo, vbinam Deus glorioſus asseruet, asseruaritq; hunc thesaurũ? Non credo tam es insolẽs, quod in tuo solo, vel Lutheri cerebro asseruatum effutias: certè sine verecundia nobis licet dicere, illum asseruatum in sensu Ecclesiæ. Quid (quod Deus nunquã permittet) si omnia biblia à tyranno comburerentur? Anne periret Ecclesia, vel fides? An quod plus est, sine scriptore canonico de cœlis elapso non posset nouam etiam scripturam saltem de necessarijs condere? Quis neget non ex toto simplex, & fungus? Quid ergo si versionem approbet, atque authenticet, qua mille annis vsa fuerat Ecclesia.

289 Sciolo quidem isti visum fuit, nil eatenùs factum à Concilio, & murmurat; nimiùm tunc factum, & propè infinitum, & murmurat, & exaggerat paratus ad omnia improbanda, & puerorum illud habens in animo, *quidquid dixeris, impugnabo*. Mirarer minùs, si apud Sarmatas, & ante sæcula scripsisset: at extremè impudentis, vel ignorantis fuit, quod in hoc mundi, & Doctorum conspectu ausus fuerit ità blatterare; scilicet post hoc etiam Concilij decretum tanta authoritatis, & sapientiæ, ac eruditionis pænè infinita copia scripsere hoc circa scriptores multi orthodoxi, ijque celeberrimi, & obuij. & ex ijs, qui Concilio interfuere, altissimè, & lautissimè Canus lib. 1. de locis: at ille quasi nil fuisset tale, debacchatur tam impudentèr, quam liberè.

Falsò Concilium carpit.

Ad

Digitized by Google

Quantũ fecerit Tridẽtinum.

Ad versionem itaque redeamus, non quod in 290
Eminentissimo Pallauicino quidquam desideretur hoc circa, sed ne in hoc de capitalibus, ac ferè transcendentibus veræ religionis causis differente opere isthæc tam principalis desideretur. Erant ergo in versione, quam vulgatam latinam appellamus, quædam iam olim in Ecclesia Dei liquida, certa, & indubitata ex ipso sensu Ecclesiæ, quoad verba, quoad puncta, apices, & omnia; & hæc haud alterauit, vel introduxit Concilium, sed inuenit inducta, & in eodem statu illibata reliquit. Erant verò alia dubia, & sub opinionibus, & nec de his quidem expressit quidquam, vel iussit, vel definiuit. Vtramque partem exponamus obuio, & noto exemplo principij Euangelij Ioannis. Est ibi ea oratio: *omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil.* Eam vellet quis ità ordinare, quandoquidem & Dei, & Verbi præmissa est mentio: *omnia per ipsum (ideſt Deum) facta sunt, & sine ipso* (ideſt Verbo, & hic interiecto puncto pergeret: *Factum est nihil, quod factum est*, ideſt vel fermè nil factum est, & parum inspecta potentia Dei, vel quod semel erat factum, redactum olim ad nihilum, & deinceps refectum velut maturiori consilio. Sic ordinans corrumperet scripturam, & fidem, atque inauditam induceret hæresim, non propter decretum Concilij, sed propter sensum sempiternum Ecclesiæ scripturam contrario sensu acceptantis. Ergo in his nullam magnam molem aggressa est Synodus. Extat itidem alia clausula, quam varij variè ordinant, & ante, & post Concilium: nam alij sic legunt, & adnotant: *& sine ipso factum est nihil, quod factum est*, & hic puncto sensum terminant: alij secùs ità constituunt: *quod factum est, in ipso vita erat*: & vtrumque licet: cuius generis permulta sunt exempla, in quibus puncta, parentheses, apices, virgulæ, interrogationes à varijs variè attexuntur, sicut priùs. Ergo nec in his alterauit Concilium, nec quidem potuit, nisi quod infinitæ operæ fuisset, singulorũ expressa facta mentione. Sũt etiã vniuscuiusque linguæ propria, quæ impossibile fuerit satis exprimere, vt experimur omnes, & notat Hieronymus lib. 1. aduersus Iouini. Cuncta porrò animam, constantiam, firmitatem, vel permissionem habent, non

in

Digitized by Google

in littera, quæ à quolibet Typographo alterari potest, sed in intelligentia, sensu, & iudicio Ecclesiæ, *quæ est columna, & firmamentũ veritatis*, & tota, ac indefectibilis regula; non autem Hieronymus, vt minùs aduertenter pronuntiauit Caietanus. Hanc verò regulam, & censoriam virgam gestat in manu, & promptam habet Ecclesia. Tam est vanum, & fætet, quod de erroribus Typographorum puerilitèr adeò, atque oscitantèr oblatratis, inculcatisque protestantes. Si quæ autem erant in Vulgata huic exemplari, mi Suaue, non tuo dissentanea, curauit Concilium, curauit Ecclesia, quod in nouis editionibus limarentur, quæ cuncta satis sunt significata in Concilio. *Diximus in superioribus* (inquit Lirinensis) *hanc fuisse semper, & esse hodie Catholicorum consuetudinem, vt fidem veram duobus his modis approbent. Primum diuini Canonis authoritate, deindè Ecclesiæ Catholicæ traditione: non quia Canon solus non sibi ad vniuersa sufficiat, sed quia verba diuina suo plerique arbitratu interpretantes varias opiniones, atque errores concipiunt; atque ideò necesse sit, vt ad vnam Ecclesiæ sensus regulam scripturæ cælestis intelligentia dirigatur, in ijs dumtaxat præcipuè quæstionibus, quibus totius Catholici dogmatis fundamenta nituntur.* At nil est magis huiusmodi, quam assignatio, & determinatio ipsius scripturæ cælestis, ex quo vniuersa pendent, & quod per ipsammet scripturam probare est impossibile, vt ostendimus.

291 Hinc in promptu erat, illam Theologorum controuersiam decidere, in qua mouent, an post decretũ Cõcilij singula Vulgatæ quoad apices, & athomos omnes sint de fide, quasi tota illa esset manu ipsa Dei, vel Euangelistæ alicuius exharata? magnis vtrinque fautoribus, magna vtroque allegantibus, in quibus me haud patitur distineri instituti operis consilium. Negantibus interea standum puto, contra quam docueram aliquando, & videretur id ex nuper dictis deduci. Licet verò Fr. Paulo, & Protestantibus, salua fide, vtriuis partium subscribere, modò Ecclesiam audire volent, si quid determinabit; nam non hæc causa fidei est, sed Theologorum, quos ille pingui sanè minerua commisceo, ratus, se Concilium oppugnare, si quam Theologorum oppugnat opinionem, vt multis in locis patentèr demon-

Theologorũ quæstio de authoritate Vulgatæ delibata.

Digitized by Google

demonſtrat Eminentiſſimus Pallauicinus.

At quia in cauſa verſamur ad decipiendos populos aduerſarijs expedita, prætium erit operæ, ſi quæ diximus, nouo modo, nouo exemplo & declaremus, & roboremus. Nimirum nobis orthodoxis de fide sũt definitiones conciliares. Nunc porrò nullum habemus exemplar authenticum: extant verò variæ verſiones, & lectiones, & exemplaria in aliquibus diſcordantia. An idcircò Eccleſia, & Fideles, & Doctores nil certæ fidei, & religionis habent in Concilijs? Habent vtique permulta, & tanquam de fide ſuſcepta, in quibus quicunque alteraret, haberetur hæreticus: de alijs pugnant Doctores, & licet vtrauis lectione vti. Poſſet verò Eccleſia definitionum illarum tranſumptum aliquod authenticare, nec hoc faciens, vt garrit hic homo, infinitam aliquam rerũ ſyluam fidei priori adijceret, vt eſt demonſtratum. Potuit verò conſultiùs Vulgatam latinam eo honoris decorare, ſeu quem iam pridem in Eccleſia Dei poſſederat, nouo diplomate confirmare, & magis, ac magis vulgare. 292

Sed Carybdim vitantes in Scyllam, inquis, incidimus, nil probantes factum à Concilio, ne nimium factum concedamus. Quid ergo Concilium fecit, ſi nil innouauit, ſi nil uno uerbo fecit? Quorſum uento data otioſa decreta? Vbi alijs ad quæſtiones ſequentes dilatis, breuitèr primum reſpondeo, non ſemper ſaltèm, nec omnes Eccleſiæ, ſine in moribus ſanctiones, ſiue in doctrinis definitiones nouas eſſe oportere: ſed uel renouari, uel confirmari antiquas: ſic nuper Innocentius X. libertatem indifferentiæ definiuit contra Ianſenium: nec tamen aliud expreſſiùs Tridentinum definierat cõtra Caluinum, & Lutherum, nec aliud extabat explicatiùs, uel in ſacra ſctiptura, uel in tota primitiua Eccleſia: Concilium Mileuitanum, & Arauſicanum gratiam Dei definierant expreſſiſſimã in Paulo, & in Euangelio, ne infinita alia decurramus. In apertas adeò ueritates ſolent conſpirare hæretici, nil ut Eccleſia dicere ampliùs queat, quam repetere, & ſenſum magis ſuũ educere, quam nouæ fidei aliquid inducere: atque hoc genus declarationis Eccleſiæ præſentis multis de cauſis eſt utiliſſima contra præſentes eò temporis hæreſes; 293

tumne

Digitized by Google

tum ne tacens Ecclesia consentiens, aut non reprobans videatur, tum ne populi decipiantur, tum vt arceantur, mulctenturque hæretici. Deindè autem Ecclesiæ magis, & vsu ipso, quam voce versionem istam approbauerat: oportuit ergo, vt id scripto quoque ipso palam, & authenticè mundo constaret. Atque rursùs ea tempestate, cum tempestas, vt dicam ità, versionũ ingrueret, singulis hæreticis non singulas, sed centenas versiones eructantibus quotidie, tanto malo occursum est, tum vnam aliquam reliquis omnibus anteponendo, tum alias in posterum sine licentia cudendas prohibẽdo. Habet porrò Vulgata pridem quidem ex vsu Ecclesiæ, deinceps verò ex hoc decreto, quod à nullo recusari velut illegitima queat; nec ab ea ad græcum, vel hebræum exemplar, vt obstrepebant, appellari; quod nullius hæresis, vel erroris sit incusanda in ijs maximè, quæ necessaria sunt, & tanquam de fide suscepta; quod non ipsa per alia exemplaria corrigenda sit, sed contrà; & reliquis recusatis, vti omnes oporteat illius testimonijs, siue pro concionibus, siue pro scholis, & doctrinis, atque moribus: & omnium, vt inculco, anima est, & regula sensus Ecclesiæ.

Hæ controuersiæ nisi sensu Ecclesiæ terminari nequeunt.

294 ET verò iure merito id inculco de sẽsu Ecclesiæ, quo scilicet solo principio certi hic aliquid constitui potest, ac decerni; sin minùs cuncta periclitantur. Videas enim Doctores è diametro sentientes, alios quidem ampliorum faucium, qui vix aliud curant, quam sensum, nec momenti putant, si pro vna arbore alia in uersione ponatur, vel auis pro aui commutetur, & pro nictycorace ponas siue Pelicanum, siue Monedulam, siue Onocrotalum, vel etiam Leonem; modò sensus intemeratus superst: alios autem delicatissimos; Augustinum quippè offendit haud mediocritèr, quod Hieronymus in Iona loco cucurbitæ, vti septuaginta interpretes habebant, hederam reposuisset; offendit autem is grauiùs Spiridionem, qui lectum in cubile mu-

Vulgata latina omnib⁹ exẽplaribus præhabẽda.

Digitized by Google

tauit : *tu melior es eo* (ait) *qui lectum dixit?* Inter modernos autem, & post Tridentinam etiam legem scribentes similia ingenia reperias latissimæ, & strictissimæ interpretationis, vt exemplo possint esse Hispanorum par illud excelsum Franciscus Suarez, qui omnia vult esse de fide in Vulgata, & Melchior Canus, qui largam commutandi indulget licentiam, satis putans, si sensus sensui respondeat, & verba ponderentur, non autem numerentur, nec sibi vicissim concinant. Neutri parti standum crederem; non primæ, nam citra hæresim, & notam vllam multa commutantur à Doctoribus, atque tacente, consentienteque Ecclesia quotidie lectiones allegant concionatores: nec item secundæ nullo præscripto termino: nam si aliquis loco canis Tobiæ felem reponeret, & Noemi coruos conuerteret in turdos, qui Abrahami, vel Iacobi, aut huiusmodi alterius nomen commutaret, vel puteos in flumina, vel illud *regnauit à ligno*, à monte, vel petra diceret, haud toleraretur ab Ecclesia. Adeò vtrauis sententiarum moderatione, aut limitatione indiget, & licet Hieronymus dixerit, eum, qui tantum litteram sequitur, posteriora ponere in faciem, & similia, tamen hoc haud intelligendum est sine restrictione; nam sæpè sæpiùs ipse quoque litteræ ad faciem spectant. Quoniam verò vtramuis opinionē vel improbare, vel non acceptare veritatem non docet, dicendum est, tunc insistendum sensui, tunc sensui simul, & litteræ, & verbis, & punctuationibus, vbi, & quando vel consentit, vel saltem tolerat, nec damnat Ecclesia. Quæ porrò sint eiusmodi, lectione constat sapientium, & vsu, & experientia; quin ea ad eruditionis specimen prolixo hic cathalogo interseramus. Aptè, ac succintè Cyrillus l. 1. de Trinit. *de intelligentia hæresis, non de scriptura est: & sensus, non sermo sit crimen.*

Hebræorum exemplariū pericula.

Quantum porrò periculi ij subeant, qui versionibus minùs fidentes ad græca, & hebræa exemplaria auidè transuolant, iam, vt notaui, Origenis, Caietani, & recentiùs Clari, & aliorū exempla nos docent abundè, vt hæreticorum nunc prætereā insanam libidinem. Licet enim riuis sint præferendi fontes ex naturæ, Hieronymique consilio, consultiùs est tamen, riuos ali- 295

quando

Digitized by Google

quando puriores, relictis turbatis fontibus consectari, at in præsentia apud Rabynos, & Græcos quid non timeas? Quid hoc circa Sancti Patres non nos commonuere? Fons deindè non in lingua consistit, atque eadem lingua mentiri quis abundè potest, vndè fontes non sunt hebræi, ac græci codices, sed illi solùm, qui à scriptoribus canonicis relicti sunt, non alij quicunque: illis autem possunt esse viciniores, conformioresque versiones, vt patet. Quo circa nimis inconsideratum est, quod Christianus Doctor tam suspectas versiones habeat, aut tam puros hebræos, græcosque codices credat, vel fontes vocitet: cum palam sit, & notissimum, ipsos sacros scriptores vsos fuisse versione græca septuaginta interpretum, quando veteris testimonia legis allegant: cum palam sit rursùs, & notissimum, ipsum nouum testamentum fermè totum græcè scriptum fuisse, hebraicè autem Euangelium Matthæi, vt antiquissima ætatum omnium, & vera opinio habuit: hæc autem omnia versa fuere in latinum: an porrò ab ipsis scriptoribus canonicis, an à Clemente, an ab alijs conuersa sint, adhuc ignoretur: cum denuò Ecclesia latina nunquam à principio nisi versionibus vsa fuerit, nec græca pro veteri testamento: cum item multi cum Augustino prætulerint versionem septuaginta interpretum, vt tutiorem hebræorum codicibus: cum denique Sancti Patres permulti græci quidem hebræã, latini verò & græcam, & hebræam linguam ignorarent, & interea in exponenda scriptura, in propugnanda fide, in oppugnandis hæreticis, & iudæis toti fuerint. Hæc ergo cum ità sint, cum nota sint, quod in Italia, & apud sapientes homines obstrepit Suaue? Quid inuersiones tam cæco impetu insanit?

Obiectiones disiecta.

296 EX quibus iam omnibus apertè concludamus Deũ glorioſum, vel ſcripto, vel non ſcripto, ſine cæleſti materia, ſiue typographis, ſiue bibliopolis canonicis ſine tot illis cautionibus, vel priuilegijs, quæ principio quæſtionis allegabant, potuiſſe nullo negotio conſeruare,

Digitized by Google

re, custodire incorruptam veræ religionis doctrinam apud veræ religionis cultores: satisque fuisse, si loco materiæ cælestis erigeret, fundaretque, muniretque Ecclesiam incorruptibilem, indeficientem, immortalem, aduersus quam nulli errores, nullæ hæreses prævalerēt: & qua salua in tuto esset, & inuicta doctrina religionis. Sic & Hebræi, & Christiani putamus doctrinam religionis ante Moysem sine scripto vllo constitisse, quidquid quæstio aliqua sit de scriptis quibusdam Enochi, de quibus inter alios videris Augustinum lib. 15. de Ciuit. Dei c. 23. Nos sic orthodoxi post Christum etiā censemus multa ad doctrinam religionis attinentia solum traditione, & sine scripto canonico constare, & omnia sine scripta, siue non scripta ad eandem defensionem reuocantur, vt est ostensum.

QVAEST. XVII.

Vtrum hinc apud Christianos pro legitimo Christianorum instituto agnoscendo, & à causis religionis remouenda veniat necessitas linguæ Hebrææ, & Græcæ.

Linguarum harum necessitas obijcitur.

HOC maximè ex loco insolescere sectarij consueuerunt, hæbræorum, græcorumque codicum amantissimi, putantque dedecus, quod moris septentrionales pæne omnes valdè demulcet, si in libris suis tertiò quoque verbo verbulū græcum haud immiscean̄t, adeò vt cum Iuliano Apostata gloriari ipsis liceat, *nostri sunt sermones, & nostrum græcari*. Si porrò causam quæras, cur tanti fiat harum notitia linguarum, duas inueneris; primam, eamque magis generalem, quòd rariora omnia magno habeātur in pretio, & hinc apud vulgus plùs sæpè est græcus grammaticus, quam Theologus consummatus; aliam deindè illam quæst. præc. discussam, quod Christianorum 297

Digitized by Google

rum doctrina Hebræo partim,& partim Græco ſermone fuerit conſcripta ; vel quadantenùs etiam Chaldaicò : ex quo incóſideratioribus in Hebræis, Græciſq;codicibus veritas conquirenda videtur . Addent ab Auguſtino lib.1. de doctrin.Chriſt. c.11. hanc harum linguarum notitiam neceſſariam conſtitutam ad ſcripturarum diuinarum cognitionem : Eccleſiam deindè ipſam in eo eam neceſſitatem fateri,quod in publicis ſtudijs græcæ, & hebrææ linguæ cathedras inſtituerit : ac Suaue veterem ſuam cantilenam hìc quoq; recantabit, verſiones eſſe corruptas, eas audire non eſſe audire vocem Dei, ſed interpretum, ſed hominum.

298 Licet verò videndus fortè ſim ea blaſphemare, quæ ignoro, decet me eſſe ingenuum : liberè fateor, vtramque illam mihi ignotam linguam: quamuis enim græcæ aliquando vacare cæpiſſem, ab eo me conſilio multa reuocarunt mox adducenda : illud porrò maxime,quod notarem, hos ad linguas, & ad multa diſtractos homines, vix in aliquo perfectos; agendum mihi Theologum ; ad Theologiæ autem perfectionem multùm intereſſe non poſſe, quod vel vnus ille Theologorum abſolutiſſimum exemplar Auguſtinus ſciens, & prudens addiſcere non curauit : nam hebræam, vt fatetur toties, ignorauerat ; græcam vix niſi mediocriter nouit, eamque tunc temporis magis neceſſariam : puerum quidem illum ophis terruerat;at maior ad vlteriora proceſſit ; nec adducar, vt credam eum his linguis imparem,ſi voluiſſet.

299 His ità notatis diſtinguenda mihi veniunt, ac ſemouenda duo genera cauſarum, & litium, vel quæſtionum. Aliæ quippè citra religionem conſiſtentes impunè vtroque diſceptantur in ſanctis ſcripturis,extantque probabiles vtrinque opiniones, & ſententiæ: quales innumeras inuenias apud Sanctos Patres, atque Recentiores, ſiue Commentatores, ſiue Scripturarios ; in quibus nulla ſententiarum in fidem, in religionē aſcita ſit ab Eccleſia, ſiue noſtra, ſiue alia. Quamquam verò ad has etiam cauſas, vt oſtenſum eſt, orthodoxis præferenda ſit Vulgata latina, nihilque contra illam admittendum ; at nihil intereà prohibet, aliqua etiam quæ præter illam ſint, ab exemplaribus, lectionibuſque

Ad quid illa vtiles?

alijs

Digitized by Google

alijs adducere: & tum illa, tum ipsa, quæ in Vulgata sunt, linguarum harum notitia illustrare, explicare, confirmare, promouere, notatis idiomatismis, explicatis prouerbijs, atque similibus vnicuique linguæ proprijs, & quæ vix in alia vnquam plenè exprimantur. Vndè ad sanctas scripturas quoad has etiam causas ritè expediendas, & absoluendas, & ad scripturarum hoc sensu cognitionem, hoc est, ad commodam perfectionem voluit Augustinus, & nos quoque volumus linguarum earum intelligentiam necessariam: atque multa earum hunc in finem commoda percurrunt Canus, & alij. Hinc Concionatoribus tantus huius topici loci vsus, & etiam aliquando abusus: nihil enim, vt mox dicam, hoc ex loco concludentèr statuitur.

Aliud est genus grauiùs causarum ad religionem 300
pertinentium; illudque rursùs duplex: nam alterum ad veram ipsam religionem dignoscendam spectat, quale est, quod isto nos opere versamus; ad ipsas res religionis aliud, vt si de sacra Eucharistia, vel de Purgatorio, vel simili contingat vel disputare, vel ad veritatem explorandam ire. Suppono nil Turcis esse cum his linguis, nihil barbaris cæteris; solùm cum Iudæis de Hebræa, cum Christianis de hebræa, & græca disceptari potest.

Ad causas religionis nihil sunt illæ necessariæ.

IAm assero, illarũ notitiam neutiquã esse ad has cau- 301
sas necessariam; multò porrò minùs ad primũ genus de religione ipsa vera agnoscenda. Nihil verò necesse hìc erat, vt dicerem de causis, atque quæstionibus, quæ de rebus religionis intercedunt; probatum est enim supra, atque explicatum multiplicitèr, omnẽ absolutè scripturam, siue græcam, siue hebræam; imò, quod apud nos pluris est, Vulgatam ipsam solùm, & sola ratione consequenti, subiecta, credente consulendam, examinandam, intelligendam, omnia ad normã sensus Ecclesiæ exigendo, per quam proindè regulam iudicanda sit, & si opus erit, torquenda etiam, & cruciandà intelligentia quæquæ scripturæ. Quid enim? Si

ratio,

Digitized by Google

ratio, si Philosophia, si Theologia, ipsaque ingens illa Sanctorum Patrum authoritas in rebus religionis, nisi ratione consequenti audienda non est, vt demonstrauimus, an pluris omnium interfint linguæ, quæ ad ferendam etiam sententiam admittantur? Quid insulsius? Græcum, vel Hebræum exemplar est; ergo verùm est, vel veriùs, vel fundatiùs, vel Dei, vel probabile. Nihil planè puerilius: quasi verò ea essent illis linguis priuilegia, vt græcè, vel hebraicè mentiri posset nemo: nemo scripturas sanctas corrumpere. Quæ vlteriùs innotescét ex his, quæ continentèr adijcimus.

302 Ad causam itaque, quæ potissima est, agnoscendæ veræ religionis, etiam inter Christianos minimè sunt hæ linguæ necessariæ. Nam primò haud multò superiùs ostensum est, primùm inueniri veram religionem; mox indè veros illius certos, ac determinatos libros: ergo agnita supponitur vera religio, antequam linguarum harum occurrat necessitas. Rursùs ad determinandam inter christianos veram religionem sunt necessaria certa, & cunctis admissa loca, & principia; nam vera religio probanda est certò, vt dicemus: at nullum est exemplar græcum, vel hebræum omnibus christianis certum, & admissum: nullum ergo, ex quo inter Christianos vera religio determinari queat: ac subindè cessat necessitas illarum linguarum. Quæ duplici etiam quæst. præfirmata sunt satis, atque exposita. *Probatur*

303 Præterea nullum exemplar græcum, vel hebræum est, ex quo possit concludens argumentum depromi pro hac, vel illa religione: nam vel quæ in eo exemplari extant, adsunt etiam in versionibus, quas omnes probamus, vel desunt? Si desunt, quid euidentius, quam nihil indè concludi? Si adsunt, superabundant, nec sunt necessarij græci, & hebræi codices; ac proindè neque linguæ. Imò verò nec probabilitèr quidpiam ex illis concluditur: nam si eadem in admissis versionibus adsint, abundant græci, & hebræi codices: si desint, nullo nec probabili quidem loco adduci potero, vt ea admittam, quæ tot ætatibus à tot interpretibus præclarissimis omissa sunt. Cum ergo de vera religione agnoscenda iudicium, & quæstio haud sit criticorum ludus aliquis, sed causarum omnium grauissima, solidisque, & fun- *Nullum hebræum, vel græcũ exemplar certò probat.* *Nec probabilitèr.*

Digitized by Google

& fundatis, atque grauibus decidenda principijs, patet, abs re in ea inducenda fore græciſmata, & hebraiſmata. Quemadmodum eadem de cauſa his in rebus allegorijs agere, ipſi quoque ſectarij vetant.

Auguſtini confirmatio.

304 Vtile aliud hoc circa argumentũ Auguſtinus pridem Hieronymo oppoſuit ep. 8. nec enim Auguſtinus probabat Hebræis exemplaribus vertendis impenſum à Hieronymo laborem, eo quòd id operis multotiès à permultis, ijſque linguæ intelligentiſſimis præſtitum fuiſſet: potiſſimum vero à Septuaginta de hæbreo in græcum. *Illi me* (inquit) *plus mouent, qui cum poſteriores interpretantur, locutionumque hebræarum viam, atque regulas mordicùs, vt fertur, tenerent, non ſolùm inter ſe non conſenſerunt, ſed etiam reliquerunt multa, quæ tantò poſt eruenda, & prodenda remanerent. Et aut obſcura ſunt, aut manifeſta? Si enim obſcura ſunt, te quoque in eis falli potuiſſe, creditur; ſi autem manifeſta, illos in eis falli potuiſſe, non creditur.*

Inſtantia Hieronymi.

305 Hieronymus per inſtantiam argumento occurrit epiſt. 11. inter Auguſtinianas c. 6. *Porrò quod dicis, non debuiſſe me interpretari poſt veteres, & nouo veteris ſyllogiſmo: aut obſcura fuerunt, quæ interpretati ſunt Septuaginta, aut manifeſta? Si manifeſta; illos in eis falli non potuiſſe, perſpicuum eſt. Tuo tibi ſermone reſpondeo. Omnes veteres tractatores, qui nos in Domino præceſſerunt, & ſcripturas ſanctas interpretati ſunt, aut obſcura interpretati ſunt, aut manifeſta? Si obſcura? quomodò tu poſt illos auſus es diſſerere, quod illi explanare non potuerunt? Si manifeſta? ſuperfluum eſt te voluiſſe diſſerere, quod illos latere non potuit.*

Ratio Auguſtini defenditur.

306 Sedenim mihi liceat Auguſtino accedere, & cum Hieronymo, ſed reuerenter quidem, & ſub Auguſtino Doctore litigare: reuertar poſt pauca in concordiam, atque diſcipulum: videtur enim inuictum Auguſtini argumentum, nec colliſum per inſtãtiam: aliud eſt quippe librum aliquem in aliam vertere linguam; aliud librum exponere, atque de eius argumento, & materia diſputare, & diſſerere: aliud eſt traductorum; aliud cõmentatorum: aliud Septuaginta Interpretes, ac Hieronymus præſtitere; aliud Hieronymus etiam ipſe, & Auguſtinus, & nulli non Sanctorum Patrum, atq; Theologorum

Digitized by Google

logorum. Quò porrò liber est grauior, quò mysterijs, ac sensibus plenior, quò materia difficilior, eò maior est locus nouis in dies commentatoribus, nouis in dies intelligentijs, sensibus, expositionibus, defensionibus, confirmationibus, collationibus, explicationibus: patet autem sanctas scripturas esse inexhaustas, nobisque depascendis sic diuina prouidentia dispositas, vt sint velut indeficientis sapientiæ fodinæ, ex quibus cuique nouos quotidiè thesauros depromere liceat, atque eruere: nouæ ipsæ etiam hæreses, quod Sancti Patres annotant, nouæ sapientiæ occasio sunt multoties. Imò verò, vel de vno habendo S. Thomæ sensu legitimo tot ætatibus tãta factione litigatur adhuc. At in versionibus hæc cuncta cessant; nec aliud requiritur, quam, quod ea, quæ in originali extant, fideliter in aliam linguam conuertantur: hoc notariorum quilibet in causis iudiciarijs præstat; ad sensum porrò decidendum iurisprudentia vix tota sufficit: hinc nulla, vel exigua laus libros traducentium: magna porrò librorum res ritè tractantium. Licet autem ex his satis innotescat, quantum traductionẽ inter, atque expositionem, ac intelligentiam distet, libet id exemplo, vt hebræa, & latina sint, dissimillimarũ linguarum exponere: da puerum latinè, ac vasconicè scientem: iube, vt hanc orationem, *hoc est corpus meum*, conuertat; promptè dicit, *au da nere gorpuzac*: perge, & quære sensum, an mysticus sit, an litteralis, an modo Lutherano, an Catholico? obstupescit sanè ille ad quæsitum.

307 Iam ergo Augustinus arguit: aut obscura sunt, quæ septuaginta traduxerunt, aut manifesta? Vtique manifesta, vtramque scilicet linguam probè callẽtibus: ergo ea ab illis ritè traducta, credendum est. Si porrò propter differentiam linguarum numquam omnia satis in alia lingua exprimuntur; hæc differentia semper superest, & semper oberit. Vndè nouis versionibus vinci nequit. Quoniam verò cuiuslibet quantalibet linguarum peritia fundandæ sanctarum scripturarum authoritati impar erat, versionis septuaginta interpretum constantiam munit Augustinus epist. 10. *Neque enim parum pondus habet* (inquit) *versio illa, quæ sic meruit diffamari, & qua vsos etiam Apostolos, non solùm res ipsa indicat, sed*

Digitized by Google

etiam te attestatum esse memini. De quorum consilio, vel spiritus maiori concordia (ait epist. 8.) *quam si vnus homo esset, non audeo in aliquam partem certam ferre sententiam, nisi quod præeminentem authoritatem in hoc munere sine controuersia tribuendam existimo.* Atque de hac eorum mirabili concordia disserit l. 18. de Ciuit. Dei c. 41. & 42. & lib. 2. de doctr. christ. c. 15. & Tertul. in apocol. c. 19. Iustinus in orat. exhort. ad gentes, Irenæus, & alij. Sicut ergo allegoriæ à scriptoribus canonicis applicatæ in sensum quasi litteralem transeunt, nec minùs, quam litteralia concludunt, vt semen Abrahæ pro Christo a Paulo acceptum, arca Noæ pro Ecclesia à Petro vsurpata; sic versio, qua usi sunt Scriptores canonici, transit in canonicam: nec uerò minùs uersio, quàm uera Ecclesia, quæcunque demum illa erit, pro canonica habuerit: ut quæ præc. quæst. diximus, planè demonstrant. Et dent nunc, precor, Straue, & Sectarij plura, & expressiora scripturæ loca, quibus communicant, Scriptorum Canonicorum magis, quam Ecclesiæ in fide indefectibilitatem, & constantiam; latrare quidem poterunt, eadere non poterunt. Sunt ergo iam hodiè nouæ versiones inutiles, nec quidquam in Hebræis, vel Græcis codicibus superest, quod pridem eõuersum non sit, ex quo fundata aliqua ratione inter christianorum diuisiones dijudicari queat.

Hieronymus demum cõsentit.

Nec Hieronymus quidem ipse uim hanc Augustini argumento denegat; *ego enim* (ait) *non tam veteras abolere conatus sum, quæ linguæ meæ hominibus emendatè de græco in latinum transtuli, quam ea testimonia, quæ à Iudæis prætermissa sunt, vel corrupta, proferre in medium, vt scirent nostri, quid hebræa veritas contineret.* Ergo Hieronymus haud putat necessarias uersiones in iis, quæ pridem Septuaginta ab hebræo in græcum traduxerant, sed id in eo curauit, ut quæ Iudæi sustulerant, uel corruperant, legitimè restitueret: quo facto nihil ulterius necessarius esset Hebræus sermo ad præsentes causas. 308

At quoniam nulla eatenùs aderat uersio latina probata, sed nariæ, & multiplices dissentientes, & pugnantes prodibant, necessarijssimam tunc tẽporis quisque iudicaret, iudicauitque Augustinus Græcæ linguæ 309

peri-

Digitized by Google

peritiam,& accuratiſſimam aliquam uerſionem ex græco in latinum: tanta enim uarietas,& multitudo uerſionum tolerari uix poterat (ait ep. 10.) & ita erant ſuſpectæ, ne in græco *aliud inueniretur, vt inde proferri aliquid, vel probari dubitaretur*. Quod operis tam integrè, tàm fidelitèr, & conſummatè a Hieronymo præſtitum eſt, ut uel ipſe etiam Auguſtinus nullius planè aſſentator, & in Hieronymo etiam ipſo incorruptus ueritatis uindex, & cenſor, dicat: *non paruas Deo gratias agimus de opere tuo, quod euangelium ex græco interpretatus es, quia pænè in omnibus nulla offenſio eſt, cum ſcripturam græcam contulerimus. Vnde ſi quiſquam veteri falſitati cõſentioſus fauerit, prolatis, collatiſque codicibus, vel docetur facillimè, vel refellitur.*. Tanto tantorum hominũ præmiſſo examine, multorum ſubindè ſæculorum uſu, & approbatione ſtatutam Vulgatam latinam authentico demum ſcripto canonizauit Tridentina Synodus. Iam quid nunc diceret Auguſtinus? tolerari uix poſſe multitudinem uerſionum ex græco: adeò item illas ſuſpectas eſſe, unde proferri aliquid, uel probari dubitetur: & quemadmodum olim uerſio ſeptuaginta Interpretum ex ipſo ſacrorum ſcriptorum uſu præeminentem ſine controuerſia authoritatem conſecuta fuit, ſic iam hodie Vulgatæ latinæ authoritatem tanto Eccleſiæ uſu, expreſſo Eccleſiæ diplomate ſtabilitam indubitatam eſſe, cum illud ſit his in cauſis, ſiue ratione, ſiue ſcriprura conſulta indubitatum principium, Eccleſiam ueram Chriſti haud magis errare in fide poſſe, quam Scriptores ipſos canonicos.

Hieronymi verſi perfecta.

310 Sed enim dicitis, uobis haud probatam eſſe, nec pro uera haberi Eccleſiam Romanam, quæ eam uerſionem probauit: indeque uobis licere græcari. Verùm non de hoc diſputamus in præſentia; cõſtituimus quippe ſupra, priùs dijudicãdum eſſe inter Chriſtianos, quænam ſit uera Chriſti Eccleſia, quam quænam ſit uera, & legitima uerſio, uel ſcriptura, & eam omni procul dubio eſſe legitimam, quam uera Chriſti Eccleſia pro legitima tenet: ex quo ſi Eccleſia Romana ſeſe ueram Chriſti Eccleſiam probauerit, admittenda ex conſequenti ueniet illius ſcriptura, nec licebit nouas illi hoc ex loco mouere lites, ut uos, garruluſque Suaue nullo

Sectariorũ obiectio contra Vulgatã

Reuincũtur.

Digitized by Google

rerum, nec iudicij seruato ordine factitatis. At infrà nos apertissimè, credo, demonstrabimus nostræ veritatem Ecclesiæ. Hinc consequitur, nostros saltem homines errare turpissimè, quoties ad disputandum codices alios acceptant; nisi saltem ex superabundanti, & ad hominem arguent; quoties item in alijs codicibus certi aliquid quærunt; quoties eos magni faciunt, indeque quoquo modo corrigendam Vulgatam ignorãtia magis, credo, quam pertinacia cogitant. Nequid verò sectarij conquerantur, lex hæc præ omnibus facta est: si quid ipsis suppetit, quo concludant, Ecclesiam Christi apud se esse, superestque ipsis exemplar aliquod acceptum, & probatum, tantumdem de eo reponimus: si illud latinum est, nulla deinceps erit necessitas quoad hoc græci sermonis: si græcum illud erit, nec ulla versio, nec Lutheri quidem probatur, necessarissima tunc erit lingua græca: imò latini codices parui pendendi erunt, & in eo demum habendi pretio, in quo græcos apud nos esse oportet. Si nullum est probatum, Ecclesiæ suæ sensu regendi erunt: si nec sensus, vt contingit, certus, & constans fuerit, cuncta voluntaria erunt, & confusiones. At hic vellem, vt dicerent, quis tot sæculis incorruptos ipsis codices custodierit, vel græcos, vel latinos? Non vtique Ecclesia nostra, quæ pridem omnia adulterauit, vt aiunt. Non item Mahometani, vt patet. Supersunt ergo incorrupti custodes veritatis Rabini Iudæorum. At nihil hi in veteri testamento corruperint: quid interea de Euangelio? Vbi vbi tot ætatibus veri hi codices ab hæresi, à Iudaismo, à Papismo immunes superuixere? Nihil hic non omninò fatuum, & puerile dicere possunt.

Alia doctrinæ principijs comprobatio.

Rursùs earum linguarum necessitas explodituꝛ quia quod sexdecim sæculis, & ampliùs, multisque in eo laborantibus viris magnis ex græco, vel hebræo ritè conuersum non est, prudens quisque rerum æstimator iure desperet, rectius vltra conuertendum, vel verbo, vel scripto: si quis deindè iustas, vel iniustas causas cõtra versiones aliquas habet, vel quod interpres homo fuerit, falli, fallereque potuerit, vel similes: Eadem videt adesse contra se, & contra alios quantoscunque, siue præsentes, siue futuros; si in factis haud quiescit, 311

videt

Digitized by Google

videt se eadem de causa, nec in alijs quidem faciendis conquiescere posse; ex quo concludit, vel factis standū, vel religionis omittendam curam, vbi nihil est tutum. At si cui pro se saltem versionem suam qua regatur, placeat efficere, occurrit, id quidem, licet non ita consultum, quo quo modo tamen licere in Philosophia Aristotelis; religionem verò pro vno effictam religionem haud esse, sed phræneſim.

312 Supra quidem concessimus earum linguarum notitiam commodam, & vtilem cuique esse, non vt scripto, aut verbo versiones in causis saltem religionis faciat, quibus nihil licet concludere, sed vt ea, quæ tradu&a sunt, notatis idiomatismis, quæ in alia linguam numquam satis exprimuntur, meliùs, viuidiùs, distinctiùs concipiat, estque proindè vtilitas quædam ad modum potiùs se habendi reducenda, vt eas hic alias Concionatorum, & similes omittamus. At necesse ad id erit, perfectam esse eam notitiam; nam imperfecta in rebus per alios perfectè præscriptis nocere solet magis, quā prodesse, atq; consultiùs erit alijs tunc omninò stare. Solet porrò hæc perfectio esse valdè difficilis, & rara: *quo circa* (inquit August. lib. 10. de Trinit. c. 1. *quia omnium linguarum scientia ferè ab omnibus desperatur, suæ gentis quisque maximè studet, vt nouerit.* Vidi ego quidem aliquos hac linguarum laude percelebres: qui tamen cum linguam latinam satis benè nossent, sintque illi Hispana, & Italica tam similes, illasque vti cæteras intelligere dicerentur, alter vix mediocritèr Italicam nouerat, neuter in Hispanica orationem vnam absoluebat sine tot solæcismis, & barbarismis quot verbis. Sed vnus ille magnus, tamque celebris Suaue, aut Fr. Paulus nobis documento esse poterit; cui quidem in suæ vitæ panegyri magis, quàm historia omnium rerum, & scientiarum, & linguarum notitia arrogatur. At ad risum me mouit, quod ibidem, cum pro Sereniſſima Republica italicè scripturus esset, Italo, si Deo placet, homini alter suffectus esset, qui meliùs linguam nosset, eiusque scripta digno stylo donaret? O bone Deus! & hic tamen homo, quia ipse dicit, omnium sciens habetur? Quid si hispanè scribendum fuisset? Quid porrò si græcè, vel arabicè apud

Suaue ignorans.

intel-

Digitized by Google

intelligentes? Et hic ad tribunal suum vocat Vulgatam latinam? & hic celebratores habet? Imo iuristæ etiam hic iudicant: Vir inter eos primarius nominato Suaue, cui (inquit) nouissimè adnixus est respondere Sforzia Pallauicinus, quasi adnixus sit quidem, sed non assecutus. Fabrilia velim fabris relinquerent: eò verò magis, quò in suis summi sunt.

Obiectiones disiectæ.

IAm ex his vix opus est, ad ea respondeamus, quæ initio quæstionis pro hebræa, græcaque lingua allegata sūt. Quod enim principio sacri libri partim hebræo, partim græco sermone conscripti fuerint, nihil probat, cum vt abundè ista, & præcedenti quæstione est ostensum, non ex lingua, sed ex Dei speciali prouidentia veritas, & integritas sāctarum scripturarum dependeat: quæ sane si absit, tam facilè in propria lingua, atque in alia ab hæreticis, à Iudæis, & ab omni genere hostium, illæ violantur, atque prophanantur, vt innotuit. Dictum est præterea, quos in fines, & quas ob causas Augustinus eo præsertim temporis iudicauerit, necessariā linguarum harum notitiam. Fatemur etiam in scholis publicis hebrææ, & græcæ linguæ institutas cathedras. Sed similiter Salmanticæ, & alibi Arabicæ linguæ studium committitur. Sunt porrò hæ linguæ in primis vtiles ad fines expositos: sunt vtiles ad arguendum etiam, atque disputandum ad hominem contra aduersarios. Pertinet præterea ad decus, ac splendorem Ecclesiæ, quod viros habeat, vt habuit semper, in græcis, hebræisque apprimè versatos, vt in omnibus ad superabundātiam emineat mons Dei: nec hoc ex loco tam puerili-ter insolescant sectarij, si soli græcari sciant, & in singulis lineis verbum græcum in chartas effundere. Notitia demùm linguarum ad propagandam fidem per nationes omnes est, vt patet, valdè necessaria, & tam in hunc finem, quam in signum etiam donum linguarum concessum fuit Sanctis Apostolis. 313

Replicabunt ex naturæ, Hieronymique consilio, fontes riuis præferendos esse: versiones autem riuos esse, vel etiam riuulos: græca autem, & hebræa instar fon- 314

tium

Digitized by Google

tium. Sed hoc obiectum, diſiectumque eſt quæſtione ſuperiori.

315 Nunc ad finem Paulum Apoſtolum Sectarij audire dignentur, qui vtique harum, & aliarum linguarum ſatis gnarus non tanti hanc notitiam fecit, ſed in eo inſiſtere puerile potiùs æſtimauit: *ſed in Eccleſia volo* (1. ad Corinth. 14.) *quinque verba ſenſu meo loqui, vt & alios inſtruam, quam decem millia verborum loqui. Fratres nolite effici pueri ſenſibus, &c.* Eſt enim in eo gloriari puerile nimium: ritè Cicero, *non tam præclarum eſt ſcire latinè, quàm turpè neſcire*, propter communem ſcilicet latini ſermonis vſum: græcari ergo nihil eſt præclarum, nec turpè neſcire. Aderant quidem, & alia in hunc ſcopum: ſed dicta credo inſtituto noſtro, atque intenti ioni ſufficient.

Suaue capitalia principia ignorat.

316 Ad calcem tamen, quia his duabus quæſtionibus præſertim cum Fratre Paulo congreſſus ſum, & hic homo nimium apud populum valet, adijciendum putaui, eum principiorum his in cauſis fundamentalium fuiſſe ignorantiſſimum. Cum enim, vt vſuuenire ſolet, haud minùs is eſſet Societati noſtræ, quam Romano Pontifici infenſus, de interdicto Pauli V. ediſſerens, deſcribit eo in opere noſtrum etiam à Sereniſſima Republica diſceſſum; miſcet verò detractiones, & facetias grauitate cauſæ, & argumenti indignas planè, & pueriles: ſed quod noſtrorum facinus atrociſſimum fuit, inuentum eſt (inquit) in Collegio Paduano ſcriptũ quoddam regulas continens octodecim: titulus erat, *regulæ aliquot ſeruandæ, vt cum orthodoxa Eccleſia verè ſentiamus*: atque ex illis duas deligit, quæ proculdubio ipſi abſurdiſſimæ omnium viderentur: *decima ſeptima* (inquit) *erat, cauendum à prædicanda, aut inculcanda nimium gratia Dei: tertia ordinabat, iubebatque, credendum eſſe Eccleſiæ Hierarchicæ, ſi ipſa nigrum illud eſſe diceret, quod oculis album videtur.* Omitto nunc primam, quæ cauſæ præſentis non eſt, eratque eo temporis conſultiſſima contra præſentes hæreſes nimium gratiam Dei inculcantes, vt norunt omnes, & ignorantes etiam vident. At poſterior illa à nullo ritè Catholico poteſt reuocari in dubium, nec eo ſublato, quidpiam in tuto eſt: eſt porrò res etiam ignorantiſſimis nota, cum ruſti-

Digitized by Google

ſtiſſimus quiſque ſciat, credendum Eccleſiæ, vel Eccleſia proponente Deo, in Sacra Euchariſtia non panem, ſed Corpus Chriſti eſſe, quod non ſolùm oculis, ſed ſenſibus fermè omnibus, non Corpus Chriſti, ſed panis videtur: Chriſtum ſimiliter non ſolum hominem, ſed hominem Deum eſſe, licet ſenſibus ſolus homo videretur, nec ſenſibus, nec hæreſibus contraria atteſtantibus credimus, quia ex Eccleſiæ iudicio, & ſenſu nouimus oppoſitum verum. Hoc ergo patentiſſimè demõſtrat, procaciſſimum hunc hominem Eccleſiæ præhabuiſſe ſuos oculos: & vel paſſione, vel rerum ignoratione extitiſſe cæciſſimum, & indignum, cuius his in cauſis ratio aliqua habeatur.

Eodem confert, quod ibidem contra Sanctiſſimũ, 317
& amantiſſimum parentem Ignatium blatterat de obedientia cæca, cuius nec nomen quidem vnquam antea auditum, inquit impudens nebulo. At Ignatius prioribus exemplis, Sanctorum dictis, Chriſtianis rationibus hanc perfectiſſimam obedientiam illuſtrauit; an non vel pueri ſciunt, à Paulo nos iuſſos captiuare intellectum in obſequium fidei? & hoc quid precor eſt, quam obedientia cæca, in rebus maximè fidei debita, & ad eum modum cum ſuperioribus proportione ſua exercenda, vt idem Sanctus exquiſitè exponit: ſed quid cum hoc homine agamus: nam ipſe eodem in opere inducit Padauinum Sereniſſimæ Reipublicæ in Lotharingia Legatum, qui vt Baudemontium Comitem moueat ad ſcribendum pro Republica militem, multa quidem perorat: illud autem inter alia: is, (inquit) qui alicuius Principis obſequio, & ſtipendijs ſeſe addixit, tenetur obedire, nec debet ſe iudicem facere, an quod Princeps iubet, ſit neceſſarium, an opportunum, an ſecus? Dicat nunc hic Omniſcius, an hæc, quam Padauinus præſcribit, ſit obedientia cæca? An eam antea inauditam Sereniſſima Reſpublica ab Ignatio didicerit? Nec aliud nos toto hactenus opere magis perſuaſimus, quam obedientiam cæcam fidem ſine examine credentem, Deo legibus omnibus debitam. Pudeat ergo hominis huius cultores,

QVÆ-

Digitized by Google

QVAESTIO XVIII.

Vtrum institutus hic, & traditus modus procedendi consentiat mori, & praxi Sanctorum Patrum?

318 AD maiorem doctrinæ claritatem, præcedentiumque confirmationem, placuit hanc non tam quæstionem, quam quæstiunculam mouere, vt Sanctorum Patrum mos, sensus, & animus magis, & magis innotescat. Scio equidem præter Sanctorum Patrum contestium doctrinam aliquid in Theologia dici tutò posse; contra non posse; at mihi suspectum est, quidquid præter etiam dicitur, ijs maximè in argumentis, quæ summi illi Viri versarunt: quid porrò non versarunt? Sed fortè sine diuino pœnè ingenio, sine incomparabili sapientia? Quid dicã? Tantus est certè in mundo Aristoteles, tanti sunt Gentiles, & cæci, quia horum veræ, & christianæ sapientiæ Antistitum, & luminũ non is vsus est, qui & quantus oporteret. Sed verò in illis, quæ ad rationem naturalem attinent, præcelluerunt Gẽtiles, & ij quorum insipiens cor obscuratum est. Præcelluerint, si placet, & vincant, præualeant, regnent. Nos ad institutum opus pergamus.

Quamquam ergo in præcedẽtibus, qua potuimus diligentia, totam doctrinam Sanctorum Patrum documentis stabiliuerimus, offendere tamen quisquam in eo facilè poterit, quòd videat, eos nil operosiùs, frequentiùsque egisse, quam vt in specie, & in particulari Gentilium, Iudæorum, Hæreticorumque omnium errores attererent ratione, Philosophia, ipsis mundi sapientium placitis: vberrimè verò, & passim, & semper hæreses discerpunt sanctæ scripturæ testimonijs. His ergo vijs inter errores, & veritatem discernendum, dijudicandumque est: non autem his recusatis locis ad pauca

Digitized by Google

illa, quæ nos contendimus, reducendum, restringendumque vel examen, vel certamen.

Dico, neminem Sanctorum Patrum viam à nobis 319
assignatam improbasse: multos illam dissertè, & apertè ostendisse, alios obiter saltem, cursimque designasse, & indicasse. Et quidem de B. Clemente frustrà est, vt quidquam adiungam; cum tam expresè, tamque conceptis verbis eam tradat, ab illoque primum ipse eam didicerim. Secundò fermè posteà Christiano sæculo, licet non sanctus, acris tamen ille, & tantus aliquando Christianæ veritatis Assertor Tertullianus aureum illum librum composuit de præscriptionibus aduersus hæreticos, vbi recusato scripturarum, reliquorumque certamine, veritatem quærendam, inueniendamque contendit, vniuersalibus prioritatis, & interruptæ successionis præscriptionibus, iisque putat, & iure meritò hæreses omnes reuinci, & quæ fuissent, & esse possent; quod porrò plùs erat, errores quoque suos expugnauit prius, quàm excogitauit. Augustinus librum conscripsit de vera religione, quo licèt specialiùs in Manichæos inuehatur, Christianam interea, & catholicam veritatem succinctè satis demonstrat, & ex consequenti errores omnes, quos vel non nominat, subuertit. Altiùs porrò siue diuiniùs aliud opus in idem argumentum meditabatur: nam in præfat. ad librum de hæres. qui fuit vltimus: *iam diu est* (inquit) *quod animo voluo, atque reuoluo, & quadam meditatione contueor.* Et infrà: *ego verò hoc magis volo facere, si & Deus velit, vndè possit omnis hæresis, & quæ nota est, & quæ ignota, vitari: & vndè rectè possit, quæcunque innotuerit, iudicari.* At fato concessit diuinus Vir, nondum absoluto opere, fortè si quid de occultis Dei iudicijs coniectare licet, quia oportet & hæreses esse: eas porrò fermè impossibiles effecisset illud, an maius, an humiliùs iure dubites, Augustini ingenium, & in quo omnibus fortè præstitit, Deo semper adhærens, & innixum, orare magis, vt ita dicam, docens, quam docens, nullus licet plura, & vtiliora docuerit. Sub idem fermè tempus Vincentius Lirinensis in Gallia duo illa illustria commonitoria cõposuit aduersus prophanas omnium hæreticorum nouitates, qui c. 1. testatur: *sæpè magno studio, & summa attentione per-*

Digitized by Google

perquirens à quamplurimis sanctitate, & doctrina præstantibus Viris, quonam modo possim certa quadam, & quasi generali, & regulari via Catholicæ fidei veritatem ab hæreticæ prauitatis falsitate discernere; & Tertulliani præscriptiones imitatus est. Horum illis maior erat cura, quam an sit possibilis creatura aliqua duos intellectus habens, quorum altero Deum solum, & creaturas solum cognoscere possit altero; & cur non quæritur de centum, quorum vno præsentia, alio futura, alio præterita; & alio, & alio, & alio Patrem, & Matrem, & comestibilia cognosceret?

319 Omnis itaque error vel extra Christianos est, vel intra. Qui intra sunt in materia religionis, hæreses appellantur, vel schismata: atque eos nisi nullum exempli ferè causa impugnando omnes impugnat citati Patres citatis operibus. Item libri, quos B. Cyprianus, B. Optatus aduersus Parmen. & B. August. de vnitate Ecclesiæ scripserunt, quæ item idem Augustinus contra Donatistas, & contra Pettil. & Gresconium scripsit, hæreses omnes, & schismata eadem vi disijciunt. Vtebantur autem parte etiam illa scripturæ, quæ veram fidem, & Ecclesiam, eius naturam, proprietates, conditionesque designat? imò hic est locus potissimus contra hæreses, & schismata, vt explicuimus. Errores porrò, qui extra Christianos tunc temporis erant, Gentilium erant, vel Iudæorum; nondum enim Mahometes surrexerat. Eos verò impugnant, vel christianam veritatem positiuè commonstrando, quod tutius, breuius, expeditiusque est, vt præsertim Chrysostomus fecit efficacissima illa oratione, *quod Christus sit Deus.* Tertullianus lib. de testimonio animæ, & ipse, & infiniti propè alij in apologeticis Christianæ religionis; vel per summa, & generalia principia quam breuissimè Gentilium vanitatem demonstrando, vt fecit Cyprianus lib. de vanitate idolorum, nostram simul veritatem ostendens: satis contra eos illud solum fuerat; *si autem aliquando* (ait) *Dij nati sunt, cur non hodieq; nascuntur? nisi si fortè Iuppiter senuit, aut partus in Iunone defecit.* Vel denique Gentium errores fusiùs explicando, & insequendo, vt Lactantius, Arnobius, & item B. Clemens Alexand. B. Cyrillus, B. Augustinus libris de ciuitate Dei, Strommatum, & primo

Digitized by Google

præsertim contra Iulianum: & per hæc, vt Hieronymus de Lactantio conqueritur, magis aliena destruuntur, quam statuantur, probenturque nostra, licet magni hi Viri nostræ simul veritatis positiua fundamẽta his etiã in operibus iecerint, explicuerint, firmauerint: quia tamen eo temporis sub Gentilibus ferè omnia erant, vel recens erat, & nondum à mundo deleta eorum insapientia laus, & nomen, oportuit, & eorum errores magno studio detegere, & sapientiorum iudicijs, & sententijs in rem quoque nostram confirmandam vti, non quia apud nostros in pretio essent insipientia corda, sed quia apud reliquos, & quasi ad hominem conficiebantur argumenta, vt notat Augustinus lib 13. cõtra Faustum c. 15. Iam autem hodie quid opus habet res christiana his auxilijs? Nec excusationi esse possunt Sanctorum Patrum exempla hac in re, in qua necessitas eos compulit ad tantam Gentilium Authorum lectionem, & vsum: iam autem hodie nulla est necessitas, sed abusus, & facilè cum doctrinis Gentilium mores etiam gentiles, vel imbibimus, vel induimus, cum tanta sit vis, & influentia intellectus ad voluntatem: sed de hoc alij.

At multis de causis errores alios, & hæreses sin- 320
gulas magna diligentia ex sancta potissimum scriptura profligarunt. Primam assignat Tertullianus aduersus Marcio l. 1. cap. 1. *Sed alius libellus* (inquit) *hunc gradum sustinebit aduersus hæreticos, etiam sine tractatu doctrinarum reuincendos, quod hoc sint de præscriptione nouitatis. Nunc quatenus admittenda congressio est interdum, ne compendium præscriptionis vbique aduocatum, diffidentiæ deputetur, regulam aduersarij priùs prætexam*: & pergit ad Marcionem in specie oppugnandum: & similiter alij ad alios reuincendos. Deindè vt constaret in hoc etiam ipso scrutinio mysteriorum, & scripturarum præualere veritatem. Vt etiam hac occasione hæresum, quod ad Doctores orthodoxos pertinet, magis, & magis elucidaretur scriptura, intelligereturque vberiùs, vt Sancti Patres aduertunt. Vt item Hæretici, vel Gentiles, vel Iudæi ad veritatem conuerterentur: licet enim, vt hactenus est toties commonstratum, & dicetur denuò, recta, & legitima via inueniendi veritatem non sit per impugna-

Digitized by Google

pugnationem errorum; at nihilominus sic etiam quasi indirectè, & partim reduci ad veritatem, vel omnes, vel multi possunt: diuina scilicet, & sedula quidem prouidentia factum est, quo pridem argumẽto Tullius in deteriori licet causa vsus est, quod eo in loco sit apud omnes, vel plerosque saltem vera religio, vt falsarum etiam cultores eam reliquis præter suam præhabeant: Iudæi enim, credo, sic sunt affecti, vt si suam demum agnoscentes falsitatem mutaturi in Domino forent religionem, potiùs fierent Christiani, quàm Mahometani; & Mahometani priùs Christiani, quàm Iudæi; Gentiles quoque: & idem de Caluinistis, de Lutheranis, & reliquis puto; non quidem, quòd plures Caluinistæ fiãt Catholici, quàm ex ipsis fiant Lutherani: has quippe mutationes ad mutationem Principum, alijsue temporalibus de causis faciunt quotidie; sed quòd Caluinista palam agnoscens errorem suum, & salutem quærens nobis potiùs sit accessurus, quam Lutheranis, & alijs. Et certè de priscis hæreticis, quos Sancti Patres oppugnarunt, puta Pelagianis, Arianis, Nestorianis, &c. res videtur manifesta: error enim ille, quem tenebant, eos à vera Ecclesia abduxit: ergo cessante causa cessasset effectus, & ablata causa discessus redirent, vel redeundum iudicarent. Ad hoc ergo oportuit, & oportet hæreses singulas, & in specie expugnare; potissimum verò locis scripturæ; nam ratio naturalis sola, & Philosophia, & Metaphysica, & magis multò Politica infimum pœnè locum habent his in causis.

321 Nullus ergo Sanctorum Patrum docuit, veram religionem falsarum impugnatione esse quærendam, vel agnoscendam, sed certi, & certissimi catholicæ veritatis, & ratione consequenti, vt explicatum fuit, hæreses, & errores singulos insecuti sunt dictis de causis; quemadmodum nunc ego alio opere, & argumento Lutheranorum errores omnes persequerer, si placeret, haud tamen iudicaturus, religionem meam falsam esse, licet aliquo in articulo vel intricarer, vel etiam respondere, prorsùs nescirem: quia iam illius veritas pridem mihi nota est, & notissima per legitima media. Et præterea, cum nulla vnquam veritas falsorum impugnatione satis constet, sitque via hæc etiam scholis contempta, & vul-

garis-

Digitized by Google

gariſſimis ſolùm trita ingenijs, cum inquam hæc ita ſint ex toto genere, ſunt tamen manifeſtiora in vera religione, quæ eſt omnium rerum mundi principalitſima, & ſcitu neceſſarijſſima: quam proindè Deus glorioſus, vti commonſtrauimus, poſitiuis fundamentis, per quæ dignoſceretur, ſtabiliuit: non ergo errorum ſolum ruinis innititur. Ac rursus mala, & falſa non ſunt menſura bonorum, & verorum: ſed vice verſa; atque adeò, vt ſapientes loco principij tradunt, potiùs falſa, & mala agnoſcenda, menſuranda, diſcernendaque ſunt per vera, & bona; hæc ergò priùs, & aliundè innoteſcere poſſunt, & debent: quemadmodum priùs eſt cognoſcendus habitus, quam priuatio, vnitas quam numerus; & vbique menſura, quam menſuratum. Et rursus cum in vnaquaque vel re, vel quæſtione veritas ſit vna ſola, & errores in infinitum procedant, fruſtrà veritas per illorum impugnationem quæritur; cunctis enim, quos ſcimus, impugnatis, alius denuò, & alius in infinitum excogitari poteſt. Sic cum à puncto in punctum vna ſola ſit linea recta, obliquæ verò in infinitum procedant, ſtultus eſſet, qui quænam recta eſſet, vellet dignoſcere examinatis, & expunctis obliquis omnibus; potiùs enim obliquæ per rectam dignoſcendæ ſunt, vt patet: qualiter verò nihilominùs linea recta verbo comparatiuo definiatur, quæ ſcilicet eſt *à puncto in punctum breuiſſima, vel omnium breuiſſima*, facilè ſuo loco exponitur, vel corrigitur. Sic quod eſt impoſſibile, impugnauerim ſatis ego omnes mundi religiones præter meam: quid inde? forſam nondum eſt nata vera. Quod ſi ad noſtra fundamenta recurras, & dicas, veram ſemper fuiſſe, & eſſe; iam ex hoc poſitiuè agnoſci vera poteſt, licet ad maiorem cõfirmationem, & claritatem generalis quædam impugnatio, & inſpectio errorum adijci queat, vti facíemus, non ad ſimpliciter eſſe, vt dicitur, ſed ad meliùs. Hic porrò obiter, ſed ex occaſione liceat eorum hominum miſereri, qui, cum inuentores videri velint, & aliud miſeris non occurrat, illud ſemper in ore habent, an hoc repugnet, vel illud de potentia abſoluta, vel in alio rerum ordine, & magnos quinterniones implent huius, & illius, & omnium rationes, ipſis interea tacentibus, quoquo modo diſſoluendo; & ecce noua opinio con-

Digitized by Google

consurgit, & inuentum nouum: & alius die sequenti prodit, & aliam rationem affert: & iam est inutile totum volumen. Sed de his destruentibus, & nihil ædificantibus, nec pridem ædificata reparantibus alio loco. Scilicet ex factis possibilia, & ex possibilibus impossibilia agnoscenda sunt potiùs, quam contra.

322 At autem in argumento nostro, vt alios Modernos, prætream, errauit multum Thomas Campanella homo sanè acutus, physicæ prædeterminationis, quod sine partium studio dixerim, mea quidem sententia, impugnator non pessimus; at diuinæ prædestinationis haud tutus constructor, nec melior Atheismi oppugnator: in operis quippe fronte præmittens, & colligens concisione, & vehementia magna, argumenta plurima, quæ omnem religionem, potissimum verò christianam, concutiunt, & vulgaria ingenia turbare possunt, solutiones, & defensiones sparsim, & frigidè, magnisque inuolucris perhibet decursu operis, de rebus innumeris, & metaphysicis etiam, & impertinentibus simul, & sine scopo, & ordine differens: quod proindè opus nocere multis potest, & vt fama est, scitè Magister Sacri Palatij titulum eius de Atheismo triumphato vertit de Atheismo triumphante.

QVAEST. XIX.

Vtrum ergo manifestum esse debeat, & ex rebus in mundo moraliter euidentibus, quænam inter omnes sit vera, ac à Deo data religio.

323 QVid hic orthodoxi Theologi in scholis dicant, scio; quid exteri sentiant, vel loquantur, ignoro. Ergo Theologi nostri vno plenè ore contestantur, fidem nostram, quam veram *Theologorũ communior sensus.*

Digitized by Google

veram esse supponunt, esse euidenter credibilem tam absolutè, quàm comparatiuè, ideſt, tantis communitæ fundamentis, vt sine vllo leuitatis, vel imprudentiæ vitio credi ipsa queat; & quæ reliquas omnes mundi religiones reddat incredibiles. Rogati porrò, an illius comperta, & euidens sit in mundo veritas? plerumque inficiantur, ex eo territi, quod ea concessa euidentia, consequens sit, mysteria quoque ipsa reddenda euidentia, & apparentia: indè fidem non obscuram, sed euidentem futuram: indè libertatem, laudem, meritum fidei tolli. Ideò vbi vulgari argumento ex euidenter credibili quidam arguunt ad euidenter possibile, quasi ex euidenti credibilitate Incarnationis, v.g. inferatur euidens eiusdem possibilitas, respondent, id minimè sequi, quia ampliùs patet credibile, quàm possibile, multaq; multoties falsa sint credibilia, & euidenter quidem credibilia.

Magis porrò in specie decernentes audiamus tres illos purpuratos nostros Belarminum, Lugum, Palauicinum, qui tanta laude de fide, ac pro fide, & religione nostra scripserunt, vt alios nunc ex omni schola præclarissimos Doctores præteream. Ergo Belarminus cõtrouersia 4. generali lib. 4. cap. 3. mouit hanc de euidẽtia veritatis religionis nostræ quæstionem, & pronuntiauit, illam tantis fundamentis reddi quidem euidenter credibilem: neutiquam euidenter veram, ne euidentia mysteria fiant: at nihilominùs adesse etiam euidentiam veritatis ex suppositione, si scilicet authoritas sacrarum scripturarum, atque Sanctorum Patrum admittatur, & valeat; quod perindè fermè est, atque dari euidentiam veritatis respectu hæresum, & inter illas euidenter constare, quænam sit veritas christiana. Cardinalis de Lugo disp. 2. sect. 1. concessit, fundamenta veritatis religionis nostræ esse paria, imò maiora, quam sint fundamenta rerum aliarum moraliter euidentium: nec tamen illa gignere moralem euidentiam. Eminentissimus Pallauicinus opusculo de fide communi euidẽtiæ credibilitatis insistens, videtur euidentiam veritatis diffiteri, dicens, imò de eo solum hæreses omnes, & errores consistere, quod negent, res nostras fuisse à Deo traditas, ac reuelatas: quod si hoc foret euidens, 324

nul-

Digitized by Google

nullûs relinquendus locus videtur hæresibus, atque erroribus, & in hunc modum philosophantur, ac decernunt plerumque Doctores Catholici.

325 At mihi cum alijs visum est semper, tanquam fundamentalem, & capitalem positionem tenendam illã, quæ statuit, esse manifestum, ac de rebus in mundo moraliter euidentibus. quænam intet omnes sit vera, ac Dei religio. Hic porrò necesse non est moralem euidẽtiam exponere, illius definita natura, atqûe indole: satis est, si dicamus in genere, moralem euidentiam illam esse, quam pariunt loca, principia, fundamenta pertinentia ad moralem scientiam: quæ autem illa sint, & quæ scientia moralis: iuuenes in philosophia addiscũt, nec à doctis, aut à non omninò ignorantibus desiderari in præsentia potest: pro ignorantibus verò à simili satis exponitur: illud quippè genus euidentiæ morale nuncupamus, quo nunc in mundo manifestum est, extitisse Cæsarem, Ciceronem, esse Antipodes, Indiam, Iaponiam, & similia: non quod hæc euidentia, vt quidam ægrè exponunt, fallibilior sit, aut incertior, quam physica, sed quod diuersæ naturæ, & conditionis: sed de his suo loco. *Assertio affirmans.*

326 Nunc itaque asserо, veram religionem, quæcunque demùm illa erit, tantis, ac talibus fundamentis esse communitam, quæ omnem ritè dispositum, ac audientem conuincant, quæ omnem probabilitatem à cæteris religionibus adimant, quæ nullum illius cultorem dubitare definant: quæ omnia diuersis licet modis eandem rem, & significant, & declarant. Hoc vt asserã, plurima me mouent tàm auctoritatis, quàm rationis.

Euidentia veræ religionis statuitur.

327 ET primò inciditur alioqui in materia religionis in Academismum superiùs expugnatum; nam si nihil est euidens, nihil est certum; nec enim in his certitudo separari potest ab euidentia: at si nihil est certum, cuncta erunt probabilia, vel dubia, & licebit quamlibet, vel nullam etiam religionem amplecti. Inciditur

Digitized by Google

in prophanorum politicorum maximam dicentium, omnia esse opiniones, nihil certum, nihil exploratum, ac vno uerbo de veritate non inuenibili suscitatur, ac intruditur opinio antiquata, idque quod omnium perniciosissimum foret, in materia religionis. Inciditur inpestilens aliud dogma hoc sæculo ab inferis suscitatũ, omnes scilicet, saltem Christianorum diuisiones, ac differentias esse probabiles, ac tutas, & tanquam opiniones scholarum inter se dissidentium, & pugnantium, si nullam ego partem conuincere, concludereque possum, qualibet aduersæ partis probabili solutione, ac responsione deiecta.

Est omnium sensui conformis.

Est præterea positio, & assertio secundum omniũ communiter hominum naturalem sensum, atque sententiam; nam in primis naturalis Catholicorum omniũ vox illa est, *Domine, si error est, quem credimus, à te decepti sumus*, quam sententiam nemo non accipit, nemo non laudat: sensus porrò est, tantis, ac talibus fundamentis esse comprobatam religionem nostram, quæ dubitandi, ac opinandi locum omnem tollant; alioquin à nobis, & ab electione nostra, & non a Deo deciperemur ex probabilibus, aut dubijs alterum alteri præhabendo. in quam etiam sententiam insignis ille Christi athleta, nostræque gloria gentis, Edmundus Campianus haud dubitauit dicere, *testor Dei solium, & illud Tribunal, ad quod stabo, rationem rationum harum, & dicti facti redditurus, aut nullum cælũ esse, aut nostrorum esse*, ideſt, orthodoxorum. Iam alij aliarum religionum sequaces in eãdem & ipsi sententiam dicent; nam singuli nefas putãt propriam religionem deserere: quod esse non posset, si sua aliam pateretur probabilem, vel si sua solùm crederetur dubia, vel probabilis. Illi deindè, qui Christianorum differentias omnes tutas putant, concedent saltem extra Christianissimum nihil superesse probabile: sin minùs liceret similiter inter non christianas religiones etiam deligere. Demùm prophani de hoc rogati, credo, consentient: imò ideò dicent, nullam à se religionem accipi, quia nullius veritas explorata est, & certa, sed vndique confusiones, quas Deus iustus haud permisisset, si quam ipse credendam hominibus religionem dedisset. Est ergo assertio, & positio naturali omnium 328

nium ſenſui conformiſſima.

329 Antequam verò ad rationes alias veniamus, illud videtur ad hominem inuictum argumentum contra Catholicos illos, qui euidentiam veritatis negant: ponunt enim religionem noſtram efficere reliquas omnes incredibiles: ergo illas efficit improbabiles, cum probabilia ſint, & citra vitium quidem, ac prudenter credibilia: ergo ipſa non eſt probabilis ſolùm, aut probabilior; nam probabile, aut magis probabile haud tollit ab extremo contrario probabilitatem, vt patet; ergo rationibus, ac fundamentis ſuis eſt ipſa certa: ergo eſt ſimiliter euidens, nam omnis certitudo per rationem, ac probationem comparata, eſt in eodem gradu euidens, imo euidentia rationum eſt cauſa certitudinis, vt eſt manifeſtum ex locis communibus; ergo in euidentia credibilitatis, quam orthodoxi ponunt, inuoluitur euidentia veritatis, quam eorum quidam negant. Videtur ſimiliter inuictum, & illud apud quemque æquum rerũ æſtimatorem; nam ſi ſola noſtra religio eſt euidenter credibilis, illa eſt euidenter vera; nam euidenter verum eſt, quod ſupra probauimus, datam à Deo hominibus religionem aliquam, in qua ſalui fierent: at vel Deus in mundo non eſt, nec hominum prouidentiam gerit, vel illa religio vera eſt, & à Deo data, quæ omnibus in mũdo eminet, & quæ ſola eſt inter omnes credibilis, & quæ fundamentis ſuis cæteras obruit, ac facit incredibiles. Sed de hoc mox plura. *Probatio ad hominem.*

330 Præterea verò iam abſolutè aſſertionem noſtram commonſtrando, haud mihi videntur ea via proceſſiſſe Sancti Patres, ſolam euidentiam credibilitatis adſtruẽdo, ac euidentiam veritatis excludendo. Illi namque fermè omnes apologijs, orationibus, libris compoſitis, quod veros Theologos decuerat, pro veritate chriſtiana decertarunt, errores omnes impugnaruut Gentiliũ, Iudæorum, Hæreticorum: intentio porrò, & ſcopus fuerat veritatem chriſtianam concludere; de euidentia credibilitatis nulli ſunt tituli; nuſpiam illa cura legitur diſtinguendi euidẽtiam credibilitatis religionis noſtræ ab euidentia veritatis, cui tamen vni diſtinctioni iam hodie à multis inſiſtitur. Nimis autem temerarium foret dicere, neminem Sanctorum Patrum ſcopum attigiſſe:

Digitized by Google

giſſe: omnes aerem verberaſſe, impoſſibilia intentaſſe; rem porrò concluſam, probatam fuiſſe à nemine. Supponebant ergo omnes, religionis veritatem concludi certò poſſe: nec ut opinarentur ſolum, ſed vt conuincerent, tantis, credo, voluminibus concertarunt. Sed quid? An non per ciuitatem illam, quæ ſupra montem poſita abſcondi nequeat, Eccleſiam Dei, & Chriſti intelligũt in mundo patentem? Eccleſiam rursùs ſignificatam per lapidem illum, qui factus mons magnus vniuerſam terram repleuit, docent communitèr: docet iteratò Auguſtinus; *ſed clauſis oculis offenditis in montem*, ait lib. 2. contra litt. Petill. lib. 13. conrra Fauſtum c. 13. & licet ſint ignoti quoque montes, vt Olimpus, at montem hunc ignotum eſſe non poſſe, reſpondet, quia repleuit vniuerſam terram. At Deus Eccleſiam ſuam non ſolum hæreticis ſic demonſtrat, & conſpicuam efficit, ſed etiam Gentibus, & Turcis, quos quippè ad eam vocat, vtque ita faciat, eædem rationes conuincunt. Rursùs Auguſt. lib. de vera rel. c. 2. *chriſtianis temporibus* (inquit) *quænam religio ſit potiſſimum tenenda, & quæ ad veritatem, & beatitudinem via ſit, non eſſe dubitandum*; ſcilicet velut in re notoria, ac manifeſtiſſima. Chryſoſt. ſer. uel orat. *quod Chriſtus ſit Deus*, doctrinæ chriſtianæ veritatem ita euidenter ſibi viſus eſt concludere, vt meritò dixerit, *nullus itaque his contradixerit, niſi quis valdè inſanus, & totus ſtupidus ſit, naturæque ſenſu priuatus*: & ſimilia ingeminat in orationibus contra Iudæos: at contra inſanos nulla valet demõſtratio. Arnobius lib. 2. contra gentes ait, incredulum genus humanũ doctrinæ Chriſti nunquam fuiſſe conſenſurum, *niſi aperta res eſſet, & luce ipſa, vt dicitur, clarior*. Leo Papa ſer. 1. de Aſcenſ. Apoſtolos ait, *perſpicua* reſurrectionis Chriſti, *veritate roboratos*: quæ ſcilicet tot modis fuerat eis manifeſtiſſima. Origen. hom. 30. in Matth. *Eccleſia plena eſt* (inquit) *fulgore ab Oriente vſque ad Occidentem*. Cum ergo hæc, & ſimilia permulta legamus in magnis quibuſque religionis noſtræ vindicibus, quid nos pertimeſcimus adeo, illius veritatem manifeſtam, conſpicuam, euidentem tutari? Quid laboribus noſtris efficiendum credimus, ſi id, quod demonſtrandum potiſſimùm foret, nõ ſolum non demonſtremus, ſed nec demõſtrari quidem,

ac

Digitized by Google

ac concludi certò posse tam inconsideratè dicamus? nisi enim veritatem apud nos esse omni probabili solutione reuicta conuincamus, efficimus planè nihil. Sed & videant vlteriùs, atque considerent hi Theologi, qua ratione hæc ipsorum opinio cohæreat cum alio orthodoxorum omnium necessarijssimo dogmate de Ecclesia visibili; hanc porrò omnium illorum sententiam à magno illo viro, & inter paucos verè Theologo Valentia 3.2.disp.1 q.1.punct.7. audiamus; *ab orthodoxis* (inquit) *Doctoribus secundum certissima, & clarissima sanctarum scripturarum testimonia Ecclesia visibilis dicitur, ideſt, sic in luce hominum, & in conspectu posita, vt quouis sæculo euidenter internosci, & quasi digito demonstrari queat congregatio illa, quam esse Ecclesiam veram determinatè credere possis, ac debeas.* Haud est sensus, Ecclesiam sic esse visibilem, & in conspectu, quemadmodum prædestinati sunt visibiles, & in conspectu, ideſt, homines illi, qui re ipsa sunt prædestinati, suntque planè nobis satis visibiles, & palpabiles; ignoramus tamen interea, an sint prædestinati: quo sensu Ecclesiam visibilem esse sectariorum etiam negat nemo. Est ergo Ecclesia visibilis secundum certissima, & clarissima sanctarum scripturarum testimonia; ideſt, ipsam esse re ipsa determinatam Christi Ecclesiam, hoc quouis sæculo euidenter internoscitur, & quasi digito demonstratur, estque hoc sensu visibile. Miror interea, ab ipso quoque Valentia tam accuratè distinctionem illam factam de euidentia credibilitatis, & veritatis. Vel enim euidentia credibilitatis infert, & concludit veritatem? & causam habeo: vel non infert, nec concludit? & tunc de vera Ecclesia opinari quidem licebit; illa tamen visibilis haud erit.

331 Iam sanctas scripturas pro Christianis saltem consulamus: nec diffusior videri debebo in puncto planè fundamentali, & in quo cum magna mea admiratione adeò mihi repugnatum est in scholis. Ergo Sap. 6. dicitur, *clara est sapientia, & quæ numquam marcescit, & facilè videtur ab his, qui quærunt eam, &c.* de hac autem sapientia, ac veræ doctrinæ Dei cognitione est ibi sermo. Sed omissis textibus probemus factis. Quicunque itaque Iudæorum, vel Christianorum ea dignabitur legere, quæ à Moyse coram Pharaone gesta sunt, negare *Scriptura contestatur.*

Digitized by Google

nisi vanissimè nequiuerit Deum feciſſe religionem, ac veritatem ſuam tunc ſaltem, & apud eos euidentem, & euidentiſſimam, ac manibus velut ipſis palpabilem. Quem in finem Pharaonem indurauit, plagas induxit, tot illa mirabilia patrauit: ipſe id teſtetur, qui fecit. *Dixitque Dominus ad Moyſem* (Exod. 9.) *mane conſurge, & ſta coram Pharaone, & dices ad eum; Hæc dicit Dominus Deus Hebræorum: dimitte populum meum, vt ſacrificet mihi: quia in hac vice mittam omnes plagas meas ſuper cor tuum, &c. vt ſcias, quod non ſit ſimilis mei in omni terra. Idcirco autem poſui te, vt oſtendam in te fortitudinem meã, & narretur nomen meum in vniuerſa terra.* Ergo tunc ſaltem, & apud eos euidens, & innegabilis à quolibet non prorsùs cæco, & indurato facta fuit veritas religionis. Imò quid Pharaone duriùs? & tamen fractus, ac conuictus fuit: quid magis ſceleſtiùs, factioſiùs? & tamen faſſus eſt digitum Dei: populus porrò paratior erat ad agnoſcendam tot miraculorum veritatem, ac Moyſis prævalentiam: ergo certò, & manifeſtè veritatem agnouit: nec tamen aut myſteria fidei intellexit, aut credendo non meruit, aut neceſſariam libertatem amiſit: quæ ſunt arma cuncta aduerſantium. Prætermittendo deindè Adamum, Enochum, Noemum, Abrahamum, Heliam, ac ſimiles, qui ſua ipſa experiẽtia liquidò nouerant, ſeſe verum Deum colere, veram religionem tenere, & ſumpto vniuerſo Dei populo, quicunque ea vera putant, quæ præſertim in Exodo, ac libris Regum geſta miracula memorantur, quo pacto negauerint, populo illi ſemel, & iterum, & centies euidentiſſimam factam religionis ſuæ veritatem tot illis toties iteratis, tamque patentibus miraculis, atque prædictionibus? Quòd tamen populus pertinax, ac duræ ceruicis toties inſanierit, atque ad idola deflexerit, non quod probamus oppugnat, ſed populi pertinaciam, atque perhorrendam inſaniam euincit, vt infrà declarabo.

Ad Eccleſiam nunc veniamus, quam Chriſtus Dei filius erexit. Abſurdum eſt primò, eam minùs eminere in mundo, minus eſſe famoſam, fundatam minus, quã ſynagogam, cuius veritas fuerat euidentiſſima. Ipſum deindè Chriſtum Ioann. 15. audiamus. *Si opera* (ait) 332

non

Digitized by Google

non feciſſem in eis, quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent: licet enim illa facta à Moyſe, & Helia fuerint magis, & ità loquar, terrifica, nemo tamen eatenus, quod Sancti Patres diligentèr exponunt, vel tot mortuos ſuſcitauit, vel vnum aliquem quatriduanum ſuſcitauit, nemo elementis, ac mortuis iuſit; nullius fimbria veſtimenti integros populos ſalute donauit; nemo quod Deum bonum decuerat, ad beneficia magis, quam ſupplicia omnipotentiam, miraculaque omnia conuertit: ſic ergo Chriſtus priores omnes vel in multitudine, vel magnitudine, vel in modo operandi ſuperauit. Hoc autem iudicauit neceſſarium, vt ad religionem ſuam Iudæos obligaret; ipſe dicit: *peccatum* (inquit) *non haberent*. Ergo haud iudicauit ſufficiens, doctrinam ſuam efficere probabilem, & euidenter quidē probabilem, & ſic ſine vitio euidenter credibilem: ad hoc enim ſuffeciſſent miracula paria, vel etiam minora: requiritur ergo, vt vera religio cæteras vincat; ex quo mox illius euidentia deſumitur. Rurſus, veritas ſynagogæ facta fuerat euidens; ergo hæc euidentia, ac proindè Iudæorum excuſatio tolli nequit, niſi per aliā maiorem euidentiam: hæc ergo adeſt Eccleſiæ; nec ſolum adfuit, ſed etiam adeſt; nam nunc alioqui Iudæi non eſſent obligati. Et quidem multoties Chriſtus veritatem ſuam fecit innegabilem, vt cum filium viduæ, atque Lazarum coram tanto populo ſuſcitauit: cum tot hominum millia quinque ſolis panibus, ac piſcibus ſaturauit; qui enim aderant, nullam probabilem ſolutionem habere poterant, nec reliquus etiam populus in re, quam tot teſtes oculati deponebant. Idcircò citra exaggerationem Chriſtus aſſeritur Ioan. 1. lux mūdi, & illuminans omnem hominem venientem in hunc mundum; niſi quod *ſupercecidit ignis, & non viderunt ſolem*, ideſt, *& mundus eum non cognouit*: quia ſupercecidit ignis concupiſcentiæ, vt S. Thomas exponit, vel etiam factionis, & odij, ac vitiorum omnium fumo obtenebratus eſt mundus, teſte Clemente. Mox Chriſtus miſſis in mundum Apoſtolis, & diſcipulis fecit omnibus manifeſtam veritatem ſuam, *Domino cooperante, & ſermonem confirmante ſequentibus ſignis*, Quoties verò mirabilibus pro religione pugnatum eſt, haud manſit indeciſa

Digitized by Google

decisa sis, sed vera palam præualuit; sic Helias uicit: sic Moyses superauit Magos, Simon Petrus Simonẽ Magũ: atque similia multa historiæ nostræ commemorant. Ecce quantis sanctarum scripturarum patrocinijs veræ religionis euidentiam defendendam susceperim.

Multiplex ratio assertionis.

Ex veræ religionis inuenibilitate

RAtionibus nunc est opus, quibus quemlibet etiã non Christianum ad eam admittendam cogamus: illæ porrò suppetunt, nisi mea me fallit opinio, prorsus manifestæ. Primam exhibent inconuenientia principio quæstionis innotata, in quæ ex aduersa opinione incidit. Secundam sic conficiamus. Vera religio est in mundo ab hominibus inuenibilis; ergo est certò agnoscibilis, & discernibilis inter omnes, cum inuenire eam nequeant, nisi agnoscendo, & discernendo. Antecedens ostensum est supra; nec illud salua diuina prouidentia negari potest, nec à quoquam negatur religionem aliquam tenente: nam cum vnusquisque suam veram putet, vel dicat, necesse est, dicat, vel putet, à se iam inuentam, & agnitam esse veram, nimirùm suam. Vel ergo vera religio æquari à falsa aliqua potest in fundamentis suis, vel non potest? Si hoc dicas, obtinui: nam excessus in fundamentis signum infallibile erit veritatis. Si porrò æquari potest, cum vera, & falsa sint æqualiter fundata, ac probata, inter vtramque discernere, ac veram agnoscere, erit impossibile, ut patet. Rursus: vel excessus in fundamentis signum infallibile est veritatis? & tunc ex excessu euidenter infero veritatem: vel est signum probabile? & tunc ex excessu certò agnoscere, & discernere veram religionem non valeo: ergo vel vera religio, quod est absurdis absurdius, nõ est inuenibilis, & ad nihil obligamur: vel vera religio est certò, ac euidenter agnoscibilis: nec hìc valet Academicorum probabile: sin minus omnia licebunt. Excessus præterea fundamentorum vel est certò agnoscibilis? & obtinui; vel non nisi opinabilis? & tunc opinari quidem de vera religione potero; inuenire eam non potero; vndè Academici, qui veritatem ininuenibilem dicebãt, haud

333

Digitized by Google

haud ideò tollebant probabile. Similiter euidentia, credibilitatis vel est certa nota veritatis? & obtinui: vel non est certa, sed fallibilis, aut indifferens, aut solum probabilis? & tunc, sicut priùs, veram religionem inuenire non potero.

334 Tertia consimilis ratio sit. Repugnat falsam aliquam religionem esse æquè probabilem, aut probabiliorem vera, & hoc est euidens: ergo vera est probabilior, atque fundatior omni falsa; & hoc est euidens. Videntur hæc omnia nota ex terminis apud ritè apprehendentes diuinam prouidentiam: sed ostensa ea esse volent; ostendantur ergo; nam fieret alioquin, quod est euidenter falsum, homines prudentèr, vel prudentiùs etiam operando damnari; ex religionibus quippè æquè probabilibus alteram eligere prudens est; probabiliorem eligere, sanè prudentiùs: ergo falsam eligere possunt prudentèr, vel etiam prudentiùs operando: ergo damnari, idque per se, vt Theologos aliquos caueã, cum per se loquendo sit vera religio ad salutem necessaria; imò demonstrabitur inferiùs, extra illam saluari neminem. Ergo vera religio est in mundo probabilior; & communita magis, & hoc est euidens; ergo hoc ipsa signo euidentèr dignosci potest. At quis, inquis, has maiores probabilitates digitis mensuret? Respondeo: imò ideò oportet, veram esse manifestè prævalentem, ac præeminentem, vt dicam statim. Itaque: si Deus est in mundo, & mundum gubernat, euidens est, ab eo datã hominibus religionem aliquam: & hoc concedunt religionis professores omnes. Ergò, si Deus est in mundo, ac mundum gubernat, dedit modum, quo illa inter omnes agnosceretur: tum quia frustrà alioqui eam dedisset: tum quia, vt est axioma, qui dat formam, dat consequentia; qui finem præscribit, prouidet de medijs: atque hæc sunt manifesta. At si falsa religio æquè probabilis existat, aut probabilior vera, agnosci illa nequit. Hoc ergo repugnat, si mundus à Deo gubernatur: at hìc supponimus, mundum à Deo gubernari, idque demonstratum est suprà. Ergo vera religio prævalet, præeminet reliquis; atque hinc manifestè dignoscitur. Vnde licet credibilè, vel euidentèr credibilè non sit ex genere connexum cum verò, hìc tamen, &

Quia repugnat eam à falsa aliqua æquari in fundamẽtis.

Digitized by Google

in hac causa est connexissimum.

Quia Deus cōclusit veritatē suæ religionis.

Quartò sic. Nemo non impotens, aut ignorans disputare, vel litigare, vel pugnare incipit non victurus, & prævaliturus. Quis neget? est quippe ignorantis, aut impotentis non absoluenda, & perficienda aggredi. At Deus disputare, vel litigare, vel pugnare cæpit cum Dæmone, ac prauis hominibus falsarum religionum inuentoribus; quia omnes cuiuluis religionis assectæ proferimus miracula, & oracula pro nostra confirmanda: ergo supponimus miraculis, & oraculis actum à Deo contrà falsas. Ergo Deus, in quem nec ignorantia, nec impotentia cadit, vicit vtique, & prævaluit, & concluſit: frustra alioqui cæpisset: & sicut ritè argumentantium, & impugnantium non est paria adducere, sed maiora, & meliora, quibus concludant; sic Deus, siquidem miraculis pro veritate egit, non paria, sed maiora protulit, quibus rem absolueret, perficeret, concluderet. Ergo vera religio omni probabili solutione, & exceptione caret: estque certò, & euidenter à Deo demonstrata hominibus.

Quia religio obligat.

Quintam rationem exhibet alia veræ religionis 335
proprietas omnibus nationibus probata, & accepta. Est enim vera religio obligatoria ex omnium aliquam colentium confessione. Iam quæro: vel veræ religionis veritas est dubia, vel probabilis solùm, vel certa, & explorata? Nam alios ego terminos, & distinctiones non didici, quæ in istam non recurrant. Si est dubia, nequit me obligare præ alia similiter dubia: nec item, si probabilis, vel probabilior: nam probabile, vel magis probabile ex scholarum placito, iam hodie recepto me in conscientia non obligant: probabile rursùs, & magis probabile haud tollunt probabilitatem oppositi: ergo licet religio catholica esset vera, poterat relinqui probabilis Caluiniana, vel Mahometana; has ergo citra scelus amplecti licebit: nam probabilia sectamur sine scelere; quid deindè ego ad vitam dandam ex probabili veritate cogar? Nec dicant, solam veram esse probabilem. Nam, vt inculco, vel Deus in mundo non est, vel euidens est, eam religionem esse suam, quæ sola est in mundo relicta probabilis. Deindè cæteræ religiones non sunt quasi negatiuè improbabiles, tamquam omni

genere

Digitized by Google

genere fundamentorum destitutæ; nam singulæ allegãt multa apparentia, vt constat. Ergo solùm esse possunt improbabiles: quia à contrario manifestè verò destruũtur, ac improbabiles redduntur. Ergo quod postremo loco quæsiuimus, est vera religio certa, explorata, & manifesta.

336 Neruos argumento adhibeat vlterior explicatio. *Confirmatio*
Ecce in scholis illud etiam, si Deo placet, disputare cogimur, an Deus de facto, vel de possibili mentiri queat, vel falsum dicere? Negant plerique omnes, & prudentes quique, eo inter alia ducti argumento, quod alioqui fidem firmissimam Deo præstare non possemus, nec deberemus: semper enim scrupulus ille irreperet; *in hoc fortè fallit nos Deus*: veracitatem proindè Dei oportet esse certam, & innegabilem, vt credere ritè vel debeamus, vel etiam possimus. At ad credendum duo necessariò postulantur, & quod dicens nos non fallat, & quod dixerit aliquid, & enunciauerit; tam enim non valemus nihil loquentibus, atque mentientibus notis credere: vt ergo Deo credamus, duo oportet esse explorata, & ipsum esse veracem: & ipsum aliquid affirmasse: si primum exploratum, & certum non fit, dico, *fortè me fallit*, & non credo; similiter in secundo, *fortè hoc non dixit*, & non credo. Vtraque planè exceptio est æqualiter legitima, iusta, & in quouis iudicio admittẽda, & posterior est Deo, vt patet, minus iniuriosa. Nec inferas: ergo sicut Dei veracitas est etiam metaphysicè certa, ac demonstrabilis, ita necesse fore, esse metaphysicè certam, ac demonstrabilem veritatem religionis. Nihil planè minùs: est quidem veracitas Dei sic certa, & demonstrabilis: at hoc necesse haud est ad credendum; nam indocti carent omni demonstratione, carent omni certitudine metaphysica, quæ scilicet nisi ex principijs metaphysicæ non comparatur: habent ergo moralem euidentiam veracitatis Dei: sin minus, ad credendum non obligantur. Ergo simili euidentia constare eis debet, ea dicta à Deo, quæ credere sub pœna damnationis iubentur; sin minus non obligantur. At vnde, inquis, hanc euidentiam comparet indocta plebs? Sed vndè, rogo, illa comparet euidentiam veracitatis

Digitized by Google

citatis Dei? Solue vnum, & solues aliud. Cæterum de hoc infrà. Nec obtendant diuinæ authoritatis magnitudinem. Imò ideò, dicat quis, licere minùs, non exploratis, & certis fidem Deo propriam adhibere; quia diuinam authoritatem temerè assumere, quò illa est maior, eò licet minus: qua de causa iuramenta assertoria in rebus probabilibus, & non prorsùs certis, & exploratis haud licent. Ergo, vt credam aliquid à Deo dictum, opus est, me esse certò conscium, id assertum à Deo, ne in Deum referam non sua, falsa scilicet, & mendacia. Sic licet comperta sit mihi diuinæ voluntatis sanctitas, ac rectitudo, eamque cupiam à me inuiolatam, si tamen exploratum mihi non sit, & certum, aliquid esse ab ea præceptum, vel consultum, saltem sub graui non teneor ad rem præceptam, nec ideò voluntatem Dei contemno: parātissimum me potiùs dicam ad obedientiam, quoties mihi nota erit quælibet illius significatio. Ergo nec sapientiam Dei contemno, aut violatæ veracitatis diuinæ reus sum, si quid non credo, quia certò mihi non constat, id à Deo dictum; imò pro dicto contrario video fundamenta, & omnibus examinatis nihil certò liquet: eò verò reus ero minùs, quò causa religionis est grauior, confusior, periculosior, & in quo errare perire sit, & Deo religionē non suam tribuere, turpissimum. Mitto verò hìc nescio quā futilissimam explicationem de famulis ad dubiam etiā Domini vocem accurrentibus. An ideò nihil vlteriùs explorantes pergent ad grauissimum Domini tractandum, concludendumque negotium? Prudentiores sunt vtique filij huius sæculi; nisi quod volunt diuina minùs exactè tractata, discussa, explorata: Deus misericors est, & de reliquo omnia sunt in tuto. Si ergo dubito, me à Deo ad Christianismum vocari, accurro equidem, & exploro: at si nihil comperiam, redibo, sicut famuli.

Incidens oppositio. Sedenim iam hìc putes me captum. Fiet enim, si 337
vera sunt, quæ disserui, me impunè ad Caluinistas, vel
Mahometanos abire posse: nam dixi, id licere, si veritas
Soluitur. religionis nostræ certa, manifesta, & euidens non est; at
plurimi eam talem non esse dicunt. Respondeo: falsum
dicunt. Sed instas, partem à nobis defensam non esse

cer-

Digitized by Google

certam, & exploratam, sed vt summum probabilem: ergo licebit oppositam sequi, & ire ad alios. Iterum respondeo, partem hanc esse mihi certissimam, & compertissimam: idcircò nullam mihi mutationem licere. Dices, partem contrariam, quam tot viri doctissimi tuentur, fore saltem authoritate ipsorum extrinseca probabilem: licebit ergo secundum illam operari. Respondeo, nullorum authoritate mihi licere apertæ rei, & compertæ veritati contradicere; idcircò in rebus saltem exploratis nil iuuat authoritas extrinseca. Sunt, inquis, qui docēt cōtrariū. Sint certè quot voles: nihil mihi licet contra agnitam ueritatē. At dices, te saltē, qui stricti adeò iuris non es, non peccaturum, si ea vtēs religionem mutaueris. Respondeo te, quidquid dicas, si mutaueris, peccaturum, & periturum. Vrges demùm, illis saltem, qui veræ religioni euidentiam veritatis negant, licitam fore mutationem, cum ipsi iudicent, haud esse sibi veritatem compertam. Verum nec hoc sequitur; quia ipsi simul tuentur sine comperta veritate extare obligationem: imò obligatio est certior, quam sua opinio; imò certissima; contra quam proindè ex propria opinione tentare haud licet: eorum tursùs opinio vtrumque dicit, nec licet ex illa partem, & ex contraria nostra aliam assumere, & opinionibus simul vtl contrarijs. Denique ipsi mea sententia conuertibilibus vocibus affirmant simul, & negant certitudinem: negāt quidem hoc certitudinis, & euidentiæ vocabulo; affirmant æquiualenti obligationis, quæ sine certitudine existentiæ doctrinæ Dei non constat, vt est communstratum.

238 Ex quibus sic denuò factam opinionem instauro, & corroboro, Vel enim crediturus iudicat, se esse obligatum ad credendum, omnibus demùm consideratis, vel nunquam id iudicat, sed aut dubitat, aut opinatur? Si hoc placeat dicere; ergo ille non est obligatus ad credendum. Si porrò, omnibus consideratis, demùm concludit, se esse obligatum: ergo concludit, adesse præceptum diuinum: ergo concludit, doctrinam credendam esse veram, & diuinam, cum concluserit, se esse obligatum ad credendum Deo. Nemo ergo credit de veritate non persuasus, & conuictus; idcircò Christus *Cōprobatio.*

præ-

Digitized by Google

præmia, & ſupplicia præſcripſit, quibus perſuaſis ad credendum gentes induceret: ijſdem nos in fide conſeruat, nec vllus ritè Chriſtianus perſuaſus non eſt, ſe damnandùm, ſi diſcedat: idem etiam Rabyni, & Mahometani affectant. Id porrò non eſt ſatis, quod ab ipſa religione doceatur; nam docetur ab omnibus; & oſtenſum eſt ſupra, obligationem credendi ab ipſa fide primitùs non proficiſci, ſed aliundè.

Religio non ex terminis, ſed ex probationib⁹ obligat.

Nulla itaque religio eſt ex terminis certa, vel incerta, vera, vel falſa; vt Mahometum Prophetam eſſe, vel non eſſe: Chriſtum Dei filium eſſe, vel non eſſe; legem Moyſis ceſſaſſe, vel non ceſſaſſe; Gentiles erraſſe, vel non erraſſe; Proteſtantes hæreticos eſſe, vel non eſſe. Nihil, inquam, horum certum, vel incertum eſt, vorum, vel falſum ex terminis, vt patet; Ergo aliundè eſt comparanda certitudo. At non licet ad interna latibula recurrere, vel inſtinctus, vel diſcerniculi, vel modi tendendi, & ſimilia magis effugia, quam refugia. Nam, ſi id liceat vni, licebit omnibus; ſi Chriſtianus ritè reſpondet, ſe intùs diſcernere veritatem, tantumdem repoſuerit Mahometanus: ſi Sectarius ritè ad inſtinctum internum appellat, in quo à nemine iudicari poteſt, ritè appellaũerit etiam Gentilis; certè non habebo, quo eum conuincam: nam ſi habeo, otiosè ad internas latebras aufugio: quòd ſi iam id liceat, ceſſandum erit à ſcribendo, à diſputando, à prædicando, & combuſtis ſacris biblijs, combuſto Alcorano, combuſto Talmulth, vnuſquiſque conſcientiæ ſuæ relinquendus veniet. Quæ ſi apud omnes abſurda ſunt, ſupereſt, vt certitudo illa argumentis, & probationibus ſit comparanda, & acquirenda: in quo proindè proceſſu magis, vel minus conſùſo, magis, vel minus ſubitaneo veritas religionis non ſit principium probandi, ſed res, & velut concluſio probata. Ergo vt in ſummulis norunt omnes, quo gradu certa erit veritas religionis, eodem euidens erit, eã veram eſſe. Ne verò ſim quoquo modo factioſus, ſi quis contra euidentiam ſpeciale aliquid habuerit, ac interea conceſſerit, veram religionem eſſe certè conuincibilem, & innegabilem, per me quoad præſens licet, & cuncta ſunt in tuto: dederit nobis tam eſſe compertum, quãnã ſit in mundo vera religio, atque eſt compertum, exti- 339

tiſſe

Digitized by Google

tisse Romæ Cæsares: & salua sunt omnia.

240 His abundè, credo, ostendimus, atque firmauimus veræ religionis certi udinem, & euidentiam. Supereſt, vt eam nunc consectariam ad præcedentium quæstionum doctrinam commonstremus: tota sic rerũ series ex omnium cohærentia sibi vbique constans, & vera, & firma fiet. Constituimus itaque, formam totã veræ religionis quærendæ, & agnoscendæ ad id reuocati, *scio cui credidi*; imò ideò tot, ac tanta à nobis prõptè, ac sine examine, & discussione esse credenda, quia scimus, cui credimus. Sciendum est ergo, idest, exploratum nobis esse debet, & compertum, cuius sit doctrina credenda, & quilibet nostrum sine metu planè asseruit, *scio, cui credo*. Rursùs nos remouimus examen rerum, doctrinarum, scripturarum, librorum: illud ergo saltẽ permittendum videtur, vt examinemus, discutiamus, comperiamusque, quænam sit inter omnes Dei, & vera religio, vt tutò credamus, ut quieti esse possimus: nec enim in re tanta, aut in summa potius rerum quiescat quis, nisi omninò certus ueritatis existat: hoc Clemens eo loci asserebat, hoc alia confirmabant. Ideò præterea rerum, & scripturarum examen excluſimus; quia hoc inaccessum est saltem indoctis; quia hoc omnibus est immensum: quia hoc uel numquam, uel nonnisi post multum uitæ tempus perficitur, & finietur ante vita, quam transeatur de morte ad uitam, ut Augustinus disserebat. Suppetit ergo modus alius ueræ religionis agnoscendæ breuis, expeditus, & doctis, & indoctis peruius. Id porrò habetur in doctrina nostra, si ad unum totam discussionem constringamus, si hoc solum comperiendum sit, quænam sit scilicet Dei religio; si huius ueritas sit in mundo manifesta: si uera religio, uel Ecclesia sit ciuitas supra montem posita, quæ abscondi nequeat; si mons ille magnus, qui uniuersam terram repleuit, & in quem, ut dicebat Augustinus, clausis etiam oculis offenditur. Hoc ratio, hoc authoritas, hoc scriptura, hoc Patres consulti respondent. *Quid ergo?* (inquit uel Petrus, uel Clemens tertio recogn.) *Putatis, quod in terram defossam absconderit* Deus *veritatem, & montes ei superposuerit, vt ab his, qui in profundum fodere valent, tantummodo inueniri possit? Non ita est*: Quod ibidem pro-

Doctrina præsens ad præcedentes consectaria.

Digitized by Google

probat ex iusto Dei iudicio. Cum uerò tam sit in mundo conspicua uera religio, nemo nisi uolens in hoc examine errauerit. In hoc utique errant, de hoc uno dissentiunt hæretici, ac infideles uniuersi. Indè id certum non esse, concludi liquidò non posse inferebant. Imò uerò ideò nos huic uni concludendo incumbimus: ideò hùc argumentatio omnis conuertenda est: imò ideò hoc apertè conuincitur, quia hinc origo tota errorum: nam hæretici citra pertinaciam esse non possunt: pertinacia autem non est de rebus incertis, sed de certis, apertis, & exploratis. At quomodo, inquis, rem adeò manifestam negant in mundo tam multi? At quæro: quomodo euidentiam credibilitatis, rem adeò manifestam, negant in mundo ijdem? Vnde unde hanc indocti assequuntur, capiunt, intelligunt? Adeò difficultas ista nos non tangit: adeò est ab omnibus enodanda: nos porrò, quæ occurrent, post ueritatem christianam priùs ostensam, dabimus infra, ubi etiam exponemus, quo pacto nemo nihilominus credat nisi uolens.

Argumenta soluta.

VErùm numquam nō illud inculcabunt initio quæ- 341
stionis significatum, ex euidentia de ueritate religionis sequi euidentiam rerum, libertatem indè, ac meritum credendi tolli: fidem totam perimi. Sed dicā apertè: numquam me hoc uel ad dubitandum, deliberandumue induxit: putauique semper, paralogismos esse, & propositionum modalium inconsiderationem omnes hoc circa formatos syllogismos; id in scholis latè exposui, & transcriberem, nisi instituti consilij leges prohiberent. Exemplum illud haud omittam, quod facile etiam indocti, & non theologi capiant. Ecce mihi euidens est, constare demonstrationes Euclydis; nihil quippe est, si quis interea niminm paradoxus Euclydem ad examen uocauerit: totus namque mundus de earum ueritate tot sæculis contestatur: innumeri omni exceptione maiores facto experimento rem dicunt esse apertissimam; nec ille, credo, minus insanire iudicaretur, qui eas falsas diceret, quam qui Cicero-

nes,

Digitized by Google

nes, & Pompeios negaret extitisse. Est ergo hoc de rebus in mundo manifestis. Habemus ergo tu, & ego, licet Mathematices ignorantes, euidentiam de ueritate earum demonstrationum. Habemus ne ideò euidentiã rerum? res ne illas nouimus, scimus, intelligimus, capimus? O te beatum, si uno die, si uno de ueritate Euclydis documento rerum illarum intelligens, ac uno uerbo perfectus Mathematicus euasisti? Haud planè sum ego tantarum rerum tam facilè, tamque compendio intelligens. Non ergo ex euidentia, & innegabilitate veritatis alicuius dicti euidentia rei dictæ resultat, sed confunditur res cum dicto.

342 Deindè quæram; neminem ne putent euidentiam habuisse de veritate suæ religionis, ac fidei? nec Angelos quidem in cœlo, nec Adamum in Paradiso, non Moysem, qui manu sua tot miracula edidit, non Apostolos tot mirabilium administros, non Paulum ad tertium cœlum raptum, non ipsam saltem Dei Genitricẽ Mariam, non saltem Lazarum, qui se mortuum, & à Christo suscitatum expertus est? Mirabor, si neminem excipiant. Quod si aliquem, si vnum exceperint, in eo infringuntur ipsorum tela: nemini namque viatorum, & credentium mysteria fidei permanenter saltem apparuere, nemo credendo non meruit, nemo ergo debitam libertatem amisit. Scio quas de Angelis inuenerint euasiones loco suo expugnatas: at spero ex ipsa hac rerum propositione veriorem videndam causam nostram, quæ omnes illos manifesta veritatis cognitione donat.

343 Iam quæstionem claudat, & dicta confirmet Reu. P. Christophorus Schorrer vir à functis muneribus, ac editis libris, & omni genæ sapientiæ laude planè conspicuus, haud pridẽ Germaniæ Assistẽs, & totius Societatis nostræ Vicarius General. nũc solũ Socius, nec ideò mihi colendus minùs. Hic ergo tantus vir litteris ad me datis sic differebat. Iam pridem in eam opinionem veni, non rectè, vel saltem non tam fructuosè, ac posset, negotium conuersionis tractari, fierique, & induci grauissimas difficultates, vbi summam facilitatem quærere oporteret, magno sanè multorum damno, qui, dum singulos articulos fidei examinant, sese intricant, &

Digitized by Google

minquam expediunt. Probabat verò viæ huius absurditatem sic: Certum est, legem veræ fidei habendæ omnes doctos, & indoctos obligare sub æternæ damnationis pœna: certum est, legem illam non esse tyrannicam. Necesse igitur est, suppetere modum, quo facilè ab omnibus vera fides agnosci possit, adeò quidem, vt, qui eam non agnouerint, inexcusabiles futuri sint. Dignabatur porrò, modum à me traditum omninò approbare, dicereque per illum satis facilè reddi agnitionem veritatis, si quis oculos aperire volet, & animum applicare, etsi nouerim probè, quantum interfit inter humanitatem, & iudicem.

Age modò, cum commonstratum sit, veram re- 344
ligionem oportere esse in mundo conspicuam, dilucidam, manifestam, facto iam ipso fidem exoluentes, multiplici argumento, multiplici via apertè, distinctè, liquidò demonstremus religionis catholicæ veritatem, omnesque illos, qui eam non colunt, planè inexcusabiles: quo facto denuò resumemus, atque declarabimus religionis nostræ euidentiam, & qua ratione sit Ecclesia visibilis, qua credibilia mysteria fidei, exponemus, soluemusque, quæ contra obtrudere solent sectarij. Priùs porrò visum est seq. quæst. definitionem veræ religionis ex iam dictis depromere.

QVAEST. XX.

Vtrum ex dictis ritè innotescat natura, definitioque veræ religionis?

TVrpè foret, si, quod pridem præstandum vi- 345
deretur, nunc saltem haud proferremus veræ religionis definitionem, naturamq; Quandiù porrò inter tot vndique de illa confusiones aliqua certa non constarent, differendam illam, vt vtiliùs, clariùsque tradi, ac statui posset, arbitrati fuimus. Religionem itaque, vt videre est apud D. Thom.

2.2.

Digitized by Google

2.2.quæſt.81. ar.1. alij à relegendo, alij à reeligendo, à religando alij dictam voluere. De ea exponenda, definiendaque tum Theologi ea quæſt. tum maximè Auguſtinus lib.10, de Ciuit.Dei cap. 1. pertractant.

An ea ſit virtus voluntatis.

346 Priùs verò, quam exponi, definirique illa queat, ſeſe offert hic ſcrupulus, ad intellectumne, an ad voluntatem religio pertineat, quo ignoto ea planè nequeat definiri. Videas, ſupponi magis ab omnibus, quam diſcuti, voluntatis illam eſſe virtutem. At contrà occurrit, religionem paſſim veram dici, vel falſam: hoc titulo ſcriptum librum ab Auguſtino; conſcriptos ab alijs alios: hoc nos eam cognomine hactenùs nuncupaſſe: eo ritè ab omnibus illam & vocari, & intelligi: verum autem, falſumque non ad voluntatem, ſed ad intellectũ ſpectant. Scio equidem, ipſas quoque voluntatis virtutes, imo res alias omnes falſas, veraſque nuncupari: aurum verum, vel falſum, hominem verũ, vel pictum: charitatem veram, veram obedientiam, & hoc genus cætera paſſim effamur. Id circò Philoſophi duplicem veritatem diſtinguunt, atque aſſignant: aliamque dixere tranſcendentalem, qua ſcilicet vnaquaque res talis eſt re ipſa, & ſine fictione, vt aurum re ipſa aurum, homo re ipſa homo, charitas re ipſa charitas: quæ exquiſitiùs exponendi locus hic non eſt: & hac veritate verum aurum, verum hominem, veras virtutes compellamus. Aliam veritatem formalem vocarunt, quæ propria aſſertionum eſt, ex conformitate ad res enunciatas illis conueniens: ab eo enim, quod res eſt, vel non eſt, oratio dicitur vera, vel falſa, vt tradunt Dialectici. Vtra earum religio vera dicatur, vix conſtat. Faciliùs te expedieris, ſi reſpondeas, illã veritate tranſcendentali veram dici, vel falſam. Enimuerò obeſt tam crebra, tamque vſitata compellatio; vix enim religio alia, quam veritatis, ac falſitatis videtur habere cognomina tam ſua: virtutes cæteras voluntatis alijs plerumque appellationibus efferimus, eas intenſas, uel remiſſas; feruentes, uel tepidas; magnas, paruaſque compellamus, magnam charitatem, promptam obedientiam, & id genus reliqua: religionem, quoties ſaltem de illa diſputatur, non niſi ueram, uel falſam audias. Anne duas religionis uirtutes diſtinguamus? Facilè quidem illud,

Digitized by Google

sed inauditum. Anne illam ueram, uel falsam dici à fide, in qua fundatur, sumpta denominatione, illiusque participio? Hoc utique uideretur dicendum. Verùm mox quærimur, cur similiter cæteræ uoluntatis uirtutes, cum omnes à uirtutibus intellectualibus pendeant, eadem cognomenta non participent? Nihil, inquis, curandum de usu loquendi, ex quo non aliud, quam quæstio de nomine consurgit. Ita quidem uidetur quotidie Recentioribus quibusdã; at sapientioribus aliud uisum, qui ex attributis dari solitis rerum naturas indagarunt, exposueruntque: ipsas quoque definitiones, ut est in prouerbio, haud rarò æthymologiæ nominum subministrant. Sed inualuit mos omnia ex ingenio, uel arbitrio dicendi; commoda utique uia, si tamen tuta.

Religio ad uoluntatem pertinet.

Dicamus itaque, unius Dei non nisi unam esse religionis uirtutem, eamque ad uoluntatem, ut Theologis placuit, spectantem. Nouum porrò non est, quod aliqua uoluntatis uirtus ab intellectu cognomen mutuetur: quemadmodum uersa uice intellectus uirtutes aliquæ non tam ueræ nuncupantur, quàm bonæ; ut bona fide, bona conscientia passim dicimur agere quidquam, & ipsa etiam uoluntas nostra appetitus rationalis dictus est. Religio autem tunc maximè uera, uel falsa appellatur, ubi in quantum ad doctrinam suscipitur considerandi, ac examinanda; & religio uera perindè est, atque religio in uera doctrina fundata, colensque Deum in ueritate: atque ex hac doctrina illa dicitur uera, uel falsa. Est autem, quare præ cæteris uoluntatis uirtutibus ita uocetur; tam est enim illius propria operatio, licet imperata solum, ueræ doctrinæ diuini cultus consideratio, ut multi religionem à relegendo dictam uoluerint; undè haud mirum, si uirtus, cuius tam proprium est relegere, & considerare, uera uocata sit. Est item cæteris intellectui uicinior, immediatiorque ordine; nam instituto intellectu per doctrinam diuinam prima uirtutum à uoluntate concipienda est: & licet spes, & charitas dignitate præstent, religio præstat cæteris uoluntatis uirtutibus etiam dignitate: ut uera fert Theologia: atque ex simili ad uoluntatem confinio quasi postremæ intellectus uirtutes à uoluntate cognomenta participant, ut de conscientia, bona- 347

que

Digitized by Google

quę fide notauimus: solent enim media ab extremis, & contermina à conterminis multa participare. Si religionem voles à religando vocatam, ipsa est etiā primo concipienda; postquam enim creatione ipsa Creatori nostro ligati sumus, religione deindè nosmet primò eidem religamus: est similiter prima, & vniuersalis electio, qua via ad finem eligitur, quam deindè cæteris cæterarum virtutum electionibus incedamus, vt hinc eam velint ab eligendo deriuatam. Est hinc denuò quasi inter veram, falsasque doctrinas electio: qua semel ritè peracta, nihil opus sit reliquis voluntatis virtutibus doctrinarum electione: imò religio omnes illas quoad doctrinas dirigit. His ergo, aliisque de causis religio vera, vel falsa dicta est.

348 Iam religionem definiunt, esse virtutem, qua debitus cultus, honorque Dex exhibetur. Quoniam verò varijs excellentijs, atque dignitatibus varij, multiplicesq; cultus debentur Regi, Patri, & hoc genus alijs, laborat Augustinus in exponendo, quis sit ille proprius Dei, Deoque debitus cultus, docetque, vocem unam latinam nobis haud suppetere; qua ex integro exponatur. Est ergo, cultus seruitutis, quemlatriam Græci uocant; &, licet hominibus etiam sua seruitus detur, iam tamen eo latriæ uocabulo latini quoque cultum seruitutis soli Deo debitæ communi usu intelligimus. Idcircò religio essentialitèr erga Deum dumtaxat uersatur; mox secundariò, & reductiuè exercetur etiam erga sanctos.

Communis definitio religionis.

349 Verùm religionis hoc sensu consideratio, & definitio nostri in hoc opere tam propria non est; ubi de illa qua uera, & in quantum doctrinā concernit, instituta est tractatio. Haud tamen nouum est, rem eamdē in diuersis scientijs, & tractationibus diuersè considerandam, imò etiam definiendam uenire: alio enim pacto Logicus, alio Animasticus operationes intellectus considerat: atque aliter, & aliter Philosophus Moralis, & Metaphysicus Deum; Philosophus, & Medicus hominem considerant, definiuntque. Hic ergo religionē non tam, qua religionem, quam qua ueram; non tam ut à cæteris uirtutibus, quam ut à falsis religionibus differt, consideramus.

Alio à nobis sensu definienda.

Ex

Digitized by Google

Ex dictis itaque multiplex ueræ religionis uel de- 350
finitio, uel congrua explicatio desumitur. Est ergo uera religio quasi essentialiter sumpta, *religio in Dei doctrina fundata*. Dei autem nomine aliquid intelligimus, quod loquatur quidem, nec tamen falli queat, neque fallere: atque huius rationis esse doctrinam ueræ religionis, demonstratum est supra: hocq; ex loco Gentiles reuicimus. Cætera definitionis sunt manifesta, ac præter Gentiles saltem, reliqui omnes admittunt.

Enimuerò cum lex definitionum iubeat, eas re- 351
definita clariores existere; data autem definitio uix sit clarior; certè ea ueram inter cæteras religionem ob oculos non ponat, necesse est, ut eam hic denuò ex notissimis ipsius proprietatibus exponamus. Notabam scilicet quæst. 1. uerum essentialiter quidem ex conformitate ad obiectum definiri: tamen in scientia morali, quæ ad agendum dirigitur, non sic definitum: cum enim qui, quod sit uerum, ignorat, pariter ignoret, quod sit obiecto conforme, necesse fuit notiori illud signo exponere, dicereque, uerum esse, *quod vniuersis videtur*: quid quippè uniuersis uideatur, notius est. Similitèr cum summum bonum alias exquisitas, exactasque definitiones in Metaphysica habeat, tamen per id in morali disciplina explicatur, quod singulis pateat: est quippè, *quod vniuersa appetunt*: uidemus enim omnes, quid uniuersa appetant, scilicet fœlicitatem. Nostra porrò hæc tractatio ad agendum & ipsa dirigitur, ut scilicet ueræ religionis expertes eam inueniant, & eligant: qui eam habent, reeligant quotidie, conseruent, ac foueãt. Ergo signo aliquo notissimo ea hìc exponenda est.

Veræ religionis multiplex explicatio.

Multa uerò hoc genus signa uicissim connexa ex 352
hactenus statutis eliciuntur. Ex quæst. prox dicatur primò: uera religio est, quæ tantis est fulta fundamentis, ut ipsam moralitèr euidentem sistant. Rursùs, cuius fundamenta nulla digna solutione eliduntur; quippè effugia uel ignorantium, uel pertinacium nulli etiam logicissimæ demonstrationi defuere. Item uera religio est, quæ inter omnes eminet, & præeminet. Denuò, quæ in omni genere fundamentorum præcellit. Præterea ex superioribus: uera religio est, quæ agnosci potest nullo rerum, nec dictorum instituto examine: itẽ, quæ

citra

Digitized by Google

citra talè examen obligare in conſcientia valet: item, quæ à doctis, indoctiſque tutò inueniri poſſit: quæ à nullo ritè quærente non inueniatur. Quæ cuncta quæſtionibus ſuperioribus conſtitere: & nunc ex eo commendantur, quod omnes ſupponant, veram religionem eſſe, quæ vera, Deique doctrina conſtat: hæc autem, quæ memorauimus, omnia, & ſingula apprimè conſonant, concinuntque Dei doctrinæ, vt quiſque facilè videt, eſtque in ſuperioribus commonſtratum. Hæc porrò omnia cui demum inter omnes religioni congruant, conſequentib. quæſtionib. erit multiplicitèr oſtẽdendũ.

353 Iam hìc deſpiciendus occurrit quidam Ioannes Angelius Vuerdenhagen Sectarius, qui in ſua vniuerſali introductione, ſeu politica generali lib. 3. cap. 13. n. 10. duas Chriſtianæ religionis cæteris propiùs veram illius naturam explicantes definitiones deligit, proponitq; quas tamen, vtpotè diffuſas nimiùm, & inuolutas, ineptaſque viſum eſt prætermittere: illæ enim non religionem Chriſtianam, ſed obſeruantiam eius abſolutiſſimam, ac perfectiſſimam expediunt, quam nemo Chriſtianorum dubitat in ardentiſſima Dei, proximique dilectione conſtitutam; hanc quippè religionis, & legis Chriſtianæ finem eſſe, ex his duobus vniuerſam illam pendere, Paulus Apoſtolus edocuit, & ignorat nemo. At aliud eſt religio, aliud illius obſeruatio, aliud lex, aliud finis legis; aliud religio Chriſtiana, aliud perfectio Chriſtiana: imò religio Chriſtiana data eſt, atque accipitur, vt illi obtemperantes perfecti demùm euadamus. Si ſolos perfectos in religione Chriſtiana, in fide, & Eccleſia Chriſti hic homo conſtituat, uetus Pelagianorum hæc ineptia eſt, ab Anabaptiſtis reſumpta, pridem ab orthodoxis protrita, à nobiſque paucis infrà conſternenda. At religio, inquis, & ſpeculatio, & quæcũque alia ſine amore Chriſti, & proximi nihil sũt. Quis verò nega? Sed replicet: qui iuxta voluntatem Dei in regimine Spiritus ſancti vitam ſuam in amore Dei, & proximi degit, verè is in Regno Chriſti viuere dicitur. Vtique in regno eſt Chriſti, eſſeque dicitur. At qui extra Eccleſiam Chriſti degunt, qui vnionis, & pacis rupere vinculum, ij non in amore Dei, ſed in regno Satanæ vitam ducunt miſerandam, vt videbimus.

Sectarij ineptia.

Mox

Digitized by Google

Mox num. 12. veras Christianismi notas inquirit. 354
Nimis latam eam suorum locutionem dicit, qua notas Ecclesiæ in prædicatione verbi, & vero vsu Sacramentorum constituunt, cum sub eo prætextu impij, hypocritæ, & falsi Christiani latere possint. Notam ergo vnicam, ait, esse fidelem seruationem verbi Dei, quæ in viuido amore Dei, & dilectione proximi consistit. Probationem postulas. Prodit illam; quia in Christo Iesu neque circuncisio aliquid valet, neque præputium, sed fides, quæ per dilectionem operatur. O Iurisconsultum planè egregium! sed Theologum agere placuit, & desipuit. Suos quippè, qui fidei cuncta videntur adscribere, expugnauerit quidem: nobis inuiolatum est, sanctumq; neque circuncisionem, neque præputium, neque ipsam demùm fidem, si per dilectionem non operabitur, prodesse quidquam: quantacumque fide, quantiscumque alijs operibus sine charitate nos esse tinnientia æra, cymbala sonantia. At non id dicit Apostolus, veram fidem sine charitate non consistere; at quod inde consequitur, veram religionem Christianam in aliquibus sine charitate non subsistere, sed contrariũ. Ergo ineptè charitas, sine qua vera fides, & religio esse potest, veræ fidei, & religionis nota vnica assignatur. Hominum dicas notam vnicam sapientiam. At ineptieris: cum sint etiam homines non sapientes. Quisquis certè in charitate est, in vero Christianismo erit. At vbi verus Christianismus non est, sed hæresis, sed diuisio, sed factio, vbi denique Diabolus, non Christus regnat, nulla charitas est, vt ex scriptura est probatu facillimum, demonstrabiturque infrà. Certè valet: hìc est dilectio Dei, & proximi: ergo hìc est verus Christianismus. Verùm vt dilectionem istam notam Christianorũ hoc sẽsu admittamus, necesse est, notissimam, exploratamque nobis eam dilectionem existere, cum notæ, & signi hæc debeat esse natura, vt notius illud sit significato. At singulorum dilectio non est sic nobis nota, & manifesta. Ergò ex illa agnoscere certò nequimus, qui verus, qui falsus Christianus existat. Cæterùm, vt conquiescat Sectarius, charitatis etiam iudicium non recusamus: licet enim singuli in vera fide, & religione Christiana superesse sine charitate queant, at id videtur impossibile,

Charitas quatenus possit esse signũ ver. Christianismi.

quod

Digitized by Google

quod totus verus Christianismus, totaque Ecclesia Christi charitatis expers sit, eaque non emineat manifestissima. Hanc ergo veræ Ecclesiæ notam admittemus infrà Angelio. Et nunc ex illa verus Christianismus, & vera Ecclesia definiatur, quæ Dei amore, & dilectione proximi viget. Sed hic ille concedat, dilectionem illam, haud satis indè probari, quod in singulis libri lineis nomen sanctum *Iehoua* scribatur: nam pessimo cuique id licet.

255 Ea vtique suorum de prædicatione Verbi, ac vero vsu Sacramentorum nota ineptissima est, vt hactenus dicta demonstrant. Verbum quippè omnes prædicant; multi prophanant. Quis iudex? Nostrum Sacramentorum vsum singuli dicimus verum: scripturis omnes agimus: opiniones consurgunt, & hæreses. Sed enim de his satis, superque in superioribus.

QVAESTIO XXI.

Vtrum ex ipsa natura doctrinæ veræ religionis, & ex forma eam quærendi tradita, inferatur, inter omnes mundi religiones solam esse veram Christianam, & Catholicam.

356 CVm itaque præscripta, confirmataque hactenus abundè fuerit forma, & ratio veræ religionis quærendæ, & agnoscendæ: doctrinæ quoque illius satis, superque explicata, & stabilita natura, consequitur, vt ex his primum veritatem inueniamus, mox multipliciter secundum illas differendo eandem veritatem quæsituri.

357 In primis itaque, vt retrò etiam notatum est, Gentilium vanitas proditur; nam diximus, res religionis haud constare per scientiam, & demonstrationem, sed per fidem esse credendas: at illi, eorumque sapientes soli demonstrationi, atque scientiæ inuitebantur: *Gentiles oppugnat.*

Digitized by Google

errabant ergo in ipsa forma, atque essentia veræ religionis quærendæ, & habendæ. Rursùs verò nec ad religionem in fide fundandam, ac statuendam confugere illis licuit, aut licet: nam Deos colunt, qui loquantur nihil, vt arbores, serpētes, &c. quibus nihil credi queat: vel mendacissimos Dæmones, quibus proindè credendum minimè omnium sit: vel Deos homines, vt Iouem, Martem, & similes, qui & ignorare possint, & etiam decipere, ac proindè turba Numinum fide digna non est, nec ad credendum sine examine inducere potest, ac minùs multò ad colendam, tenendamque ea firmitate, & constantia religionem, qua firmitate, & constantia eam tenendam, & tuendam omnium, & ipsorum etiam Gentilium sententia est. Idcircò Socrates, & Sapientes quique Gentilium vel apertè improbabant, vel clam irridebant magis, quam credebant religiones Gentilium. Præterea etiam, quod supra obseruauimus, Idololatræ omnes destituti sunt auxilijs omnibus, & argumentis, quibus quoquo modo persuadeant doctrinā religionis suæ esse diuinam, obligatoriam, vel credendam; nam ad hoc solùm afferre possunt, & afferunt mirabilia quædam, & oracula, & prædictiones. At hæc cuncta vltrò etiam admissa, & credita nihil probant, nec persuadent; nam, vt probarent, necesse erat miracula, aut oracula esse talis Dei, qui ignorare nihil posset, ac proindè omnia sciat: decipere item in nullo possit, ac ideò oportet esse Deum, quem & fallere, & falli repugnat, nam si loquendo falli potest, aut fallere, poterit etiam in operando: vndè eius facta nihil concluderent: at Deus omniscius, quem nihil lateat, qui in nullo decipere possit, est Deus Christianorum infinitus, & vnus, nec talis esse potuit Iuppiter, aut Mars, aut alius Deorum Gentium, vt patet, facilèque vlteriùs metaphysicis etiam rationibus demonstratur; ergo nulla Gentilium religio persuaderi quoquo modo potest, nec in fide vllo modo fundari.

Ex ipsa deindè doctrinæ Gentium lectione, & cōsideratione liquet palam, eam humanam esse, non diuinam. Plato quippè, Plutarchus, Seneca, & Gentilium præclarissimi perplura optima de moribus, de fœlicitate, de beatitudine differunt: at in illis, vt quidam ipsorum 358

Digitized by Google

tum pridem irrisit, *virtus laudatur, & alget*; vix vlla mentio Dei, nihil oratur, petitur nihil, & pro modo ipsius religionis humana sunt, & humana vndique videntur omnia. Quæ certè si cui libeat conferre cum psalmis, cum Prophetis, cum Euangelio, tam palam videbit, hæc esse diuina, quam illa humana. Denique per omnes hactenus traditas regulas licet res singulas Gentilium ad examen vocare, vti iam pridem præstitere Sancti Patres: at illæ sic examinatæ, & discussæ defendi, vt par erat, ratione minimè possunt, cum nec principijs scientiarum constent, nec aliud, quam fabulas esse, nullo negotio deprehenditur. Si quid porrò veræ sapientiæ diuinorum apud Gentium aliquos eminuit, id ex Prophetis haustum fuisse, iam supra notauimus, notantque, & probant Augustinus, Cyrillus Alexandrinus, & latissimè Eugubinus de perenni philosophia: quod tamen totum ipsi deindè Philosophi erroribus multis prophanarunt.

359 Iam succedunt Iudæi inferiùs magis copiosè oppugnandi. Illi quidem ante Christi Saluatoris aduentum doctrinam Dei proculdubio habuere: ipsisque, vt id probarent, & concluderent, aderant infinita pœnè, & patentia miracula: manifestæ necnon, & distinctæ prædictiones successibus ipsis verificatæ, ac confirmatæ. Vndè sciebant vtique, ac credebant: sciebant quidem tot miraculis, & prædicationibus confirmatam doctrinam esse diuinam, ac subindè credebant mysteria, & quæcunque in illa traderentur. At post Christi aduentum, cum inter ipsos, & Christianos de veritate, & legitima doctrinæ illius successione disceptetur, nihil habent, quo hactenùs suam diuinam esse persuadeant: Christus contra, & mox Apostoli, & deindè alij causâ suam statuerunt multis miraculis, & prædictionibus, modisque alijs, infra magis in specie adducendis: quibus liquet, apud nos esse, non apud ipsos veræ religionis doctrinam. Vbi rursùs arguatur sic: ex quo Christus doctrinam suam manifestauit, Deus glorioſus Iudæos destituit miraculis, atque Prophetis, quibus pridem tam abundè eorum veritatem demonstrare solitus erat: per hoc ergo satis indicat ipsorum sibi improbatam vel religionem, vel pertinaciam. Præterea Iudæi

Iudæi reuicti.

Digitized by Google

volent, ipsorum religionem, quam tot illis, ac tantis miraculis ostendebatur, ex illis satis veram conuinci,& concludi contra cæteras tunc mundi religiones omnes. At modo, & post Christi aduentum,cum similia in Ecclesia successerint, & apud eos cessauerint, concludendum ipsis fuerat, non apud ipsos, sed apud Christianos veritatem degere. Iudæi deindè carent forma præscripta veram religionem agnoscendi: cum enim destituti fuerint Prophetis, & Sacerdotibus, nec habeant iudicium aliquod infallibile, quo recurrant, necesse est, religionem suam fundent in examine scripturarum: quod à nobis supra explosum est. Eadem similiter de causa modo carent, quo veros, & legitimos Dei libros agnoscant, & discernant: vndè Talmudicos sectari coguntur Rabinorum commentis oppletos, nec est,quare Iudæorum cuique non liceat hanc, vel illam partem respuere; hoc,vel illud modo suo exponere, & colere; atque in illa demum omnia prolabuntur, quæ confestim hoc ex loco in Sectarios dicenda sunt. Ac demum infrà, vt promisi, Iudæorum obstinatio latiùs proterenda veniet.

Mahometani reiecti.

Occurrit subindè Mahometus, ac bestialis ipsius 360
siue religio, siue tyrannis. Superiùs eam explosimus ex ipsa veræ religionis agnoscendæ forma; nam cum illa ex ipsa suorum confessione nihil probet, nihil defendat, soluatque nihil nisi gladio, luce clariùs falsissima deprehenditur, vt ibi est commonstratum, nec omnia hic ingeminare vacat. Est præterea inter omnes mundi religiones Mahometana, quod olim inter scholas omnes Epicurea; & sic omnium stultissima, & spurcissima, & contemnenda, ac iure merito dicta porcorum. Affectat illa quidem, doctrinam Alcorani esse diuinam; sed non probat. Habet vtique illa professores plurimos; sed extrema quadam rerum ignoratione deceptos; multos necnon oppressos tyrannide: viuit proindè, & regnat, vbi ratio omnis his in causis exulare iussa est: vnde nihil multitudo confert,quæ pecudum est inter verum, & falsum nec examinantium, nec dijudicantium: nec omnes Mahometani plus valent, quam vnus, isque ineptissimus; nisi quod sensum, & apprehensionem nostram multitudo afficit, & conturbat,

Digitized by Google

turbat, si non corrigatur : sicut licet numerus iniquorũ totum impleat mundum, nihil indè iuuatur, vel approbatur improbitas. Miracula, vel alia diuinæ approbationis insignia nulla, quæ sciamus, obtinent: si quæ protulerint, infra collatione facta subuertentur. Durat quidem diu, & multa occupat Turcicum imperium: sed diutiùs durauit, & plura Romanum obtinuit: quod hoc solo titulo nullum veritatis signum est, vt patet in Romano, quod pridem arrogantissimè Iulianus Christianis opposuerat: nec enim Dei illa lex est, vt fæliciores reddat suos hoc in sæculo. Inualuit porrò Mahometus gladio: hominum inualescit vitijs, quibus morem gerit: nostri culpa, qui haud sumus, quales oporteret: Principum Christianorum discordijs, & æmulationibus; qui vtinam non sint strictissimam de eo reddituri rationem, quando & qui iudicant terram, venient iudicandi. Sed nihil sit horum : *ipse nouit quare*. Finietur ne breui? Diuinant quidam, & aiunt: sed non est nostrum nosse *tempora, vel momenta, quæ Pater posuit in sua potestate.*

361 Nunc ad Hæreticos veniamus : & de illis quidem, qui pridem ex tincti sunt, ac interitu suo vanitatem suã prodiderunt, frustra hìc quidquam adijcianus. Præsentes porrò hæreticorum sectæ liquidò conuincuntur ex tradita, & demonstrata veræ religionis agnoscendæ forma, & regula, & natura; quippè patefecimus per examen scripturarum ad res ipsas religionis Christianæ pertinentium haud ritè dignoscì veritatem christianã; & hoc, credo, apertissimè ostensum est, quin superiùs dicta iteremus in præsentia. At Sectarij solùm per hoc examen de veritate dignoscenda agunt, & agendum clamant, & præscribunt; atque ex omnibus ad sanctas scripturas, suo vtique modo, & ingenio intellectas appellant: errant ergo in forma ipsa veritatis quærendæ, & agnoscendæ : qui autem in via semper errant, numquam ad metam pertingunt. Deest rursùs Sectarijs modus, & ratio veros, & certos, & legitimos Christianorum libros internoscendi, & habendi; vti superiùs vbertim ostendimus: at impossibile est veritatem christianam sine certa, & vera, & legitima Christianorum doctrina nanciscì. Quantumcumque scilicet torqueantur

Sectariorũ vanitas.

Digitized by Google

tur Sectarij, idoneam causam numquam dabunt, quare Recentiori Caluinistæ haud liceat, ex libris Caluino probatis vnum aliquem recusare, vnum aliquem adijcere; clausulam aliquam delere, mutare, addere, aliter explicare, & intelligere: nec is conuinci ex libris ipsis potest, quos è re disponit, & ordinat; nec authoritate Caluini, de quo nihil in scriptura. Multipliciter hæc, & alia stabilita sunt supra, ex quibus sole clariùs liqueat Sectariorum insipientia, & hæresis. Illud hìc addiderim, inter Christianorum sectas, & hæreses id esse Caluinismum, & Lutheranismum, quod Mahometismus inter omnes mundi religiones, & si quam Epicurus instituturus erat, nihil potuit scholæ suæ excogitare cognatiùs, vbi libidini, & voluptati, & impunitati regnum integrum conceditur.

Præscripsimus præterea, eam esse veræ religionis 362
normam, vt sciat, & credat: sciat vtique doctrinam suam esse diuinam; ac mox cuncta illibatè credat. Deus porrò ex omnium gentium iudicio, ex Christi ipsius, & Prophetarum usitata consuetudine ostendere solitus est, quænam sit doctrina sua, miraculis potissimum, & diuinis oraculis, & prædictionibus. Fatentur vltrò Sectarij, imò contendunt, miracula cessasse, pridemque facta illa suffecisse, & nunc etiam sufficere pro veritate christiana confirmanda: vnde nullum nouum pro se allegant. Iam hìc apud cordatum quemque, & salutis suæ studiosum vincimus. Nam in primis noua nos miracula priscis illis conformia, nec pluribus exceptionibus obnoxia proferimus apud nos, & pro nobis facta: quibus autem exceptionibus hæc eludere nituntur Sectarij, ijsdem licet non Christianis antiqua illa infringere: vt infra exponetur. Deindè prisca illa nobis vtique, non ipsis fauent: nam lis est inter vtrosque, nec est tertius quisquam, qui iudicet: nos porrò, antequam ipsi nascerentur, in possessione eramus; ipsis proindè omni iure competit probare: at non probant. Est deindè hæc Sectariorum agendi ratio contra Christum; ipse enim similitèr Iudæis, qui in possessione erant, allegare potuit, illa pridem facta miracula suffecisse pro veritate sua confirmanda; satisque esse sine nouis iteratis miraculis, si scripturæ examinarentur, & consulerentur:

Digitized by Google

tur: at non hoc Christus censuit, sed maioribus potius miraculis sibi opus esse, vt Iudæos obligaret, & eorum veritatem ad se transijsse concluderet; nam alioquin, ait, *peccatum non haberent, nunc autem excusationem non habent*. Dicitis: scripturæ adsunt, quæ consulantur. At tunc quoque scripturæ aderant, quæ consulerentur, & in quibus aduentus illius describeretur. Sed quoniam, vt est ostensum, hoc scripturarum examen longum est, & saltem plerisque omnibus impossibile, oportuit, quod Christus veritatem suam contra antiquos possessores ostenderet modis, & medijs docto, & indocto, & sartori, & ancillæ, & cuique plebis perspicuis, vti sunt prædictiones, & miracula. Nimis ergo insanum est, quod Lutherus, & Caluinus citra omnem eiusmodi probationem audiantur, & veritatem apud se esse effutiant hoc solo titulo, quia ipsi dicunt, nam quod ad scripturas appellent, excussum est; quod scripturas loquantur, nihil est: quod Dæmon etiam contra Christum fecit, quod hæreticis semper omnibus moris fuit: & Bernardus certè satis scripturas loquitur: cur eum non audiunt? mihi misero id licet, si annum placebit insumere textibus memoritèr accipiendis: quod demùm græcari sciant, nimis puerile est.

363 Deindè hoc loco argumentum occurrit conuincens, quo demonstretur, prisca illa miracula nihil deseruire sectarijs. Vel enim ipsi priùs apud se credunt, & supponunt, doctrinam scripturarum esse diuinam; vel non id priùs, sed primùm humana fide, alijsque modis sibi persuadent, pridem illa miracula facta in eius confirmationem, ac indè illam inferunt esse diuinam? Si priùs apud se credunt, & supponunt doctrinã scripturæ esse diuinam, iam nihil ipsis deseruiunt illa miracula, si ne quibus scilicet veritatem norunt, & qua via eam ipsi norunt, ostendere quoque poterunt alijs: vnde ea miracula nihil ipsis deseruiunt nec pro se, nec pro alijs erudiendis. Si porro miraculis iuuantur, & inducuntur vt doctrinam scripturarum diuinam esse sibi persuadeant, iam tunc nequeunt nisi manifesto commisso circulo ex scripturis statuere illa miracula, vt patet: ergo aliunde, aliaque via illa persuadenda, probandaque venient: ergo sursùm à scripturis dignoscendum est, an

mi-

Digitized by Google

miracula illa extiterint: qua eadem via, quibus illa faueant, & adsint, inspici quoque poterit; fatuum autem esset dicere illa miracula iã Christianis nihil deseruire; nam licet noua signa non sint necessaria iam credentibus, vt tamen credentes sint, signis illis inter alia potissimum inducti sunt, quia scilicet illis Ecclesiam suam illustrauit, atque veram manifestauit olim Deus: Ecclesiam vtique illam, quæ tunc erat, non aliam, quæ post tot ætates, ac sæcula surrexit, cui proindè nisi nouis miraculis cur credatur, nihil est nisi factio, nisi obstinatio, & cæcitas.

veritas Catholica statuitur.

Cum ergo omnes mundi religiones præter nostrã memoratæ illæ sint, & ad has, & ad modum harũ fundatæ, & reducendæ: Cum item ostensum fuerit veram religionem in mundo esse, cæteris exclusis, consequitur nostram supereſſe veram, ideſt Christianam, Catholicã, seu simplicitèr Christianam. Licet enim præscriptum sit per falsarum impugnationem haud quærendam veram, hoc tamen non hanc generalem, & ex primis veræ religionis principijs depromptam impugnationem prohibet, sed immensam illam, & numquam expediendam singularum in specie, & rerum omnium oppugnationem: licet rursus impugnatio errorum nuspiam ex genere suo veritatem demonstret, nec concludat, quia alij, & alij errores sine fine excogitari poterunt; at in præsentia dispar urget ratio, quia probatum iam est veram religionem apud aliquos esse, & ostensum hìc deindè, illam non esse apud alios aliarum religionum professores, nec similes, nec quoquo modo ad modum ipsorum reducibiles, quamobrem apta ratione concluſa est veritas nostra. 364

Deindè positiuè eadem illa patet, quia nostra religio formam totam obseruat ueræ religionis quærendæ, & inueniendæ; nam credit firmitèr, & illibatè quæcunque in doctriua sua, & in iussis habet, & deindè habet modum multiplicem, argumenta multa, quibus illam diuinam esse abundè persuadeat, vt omnibus sequentibus quæstionibus innotescet. At ex dictis de diuina prouidentia, de inuenibilitate veræ religionis, & alijs supra statutis compertum est, Deum haud denegare veritatis cognitionem ritè eam quærentibus, & 365

inda-

Digitized by Google

indagantibus. Ergo illius cognitio apud nos extat, apud nos ipsa vera religio. Expono à simili: quicunque ritè probat, religionem suam esse veram, probat consequenter, apud se, & suos esse viam, quæ si obseruetur, & consummetur, ducat demùm in ueram beatitudinem: ergo quicumque ritè probat, apud se, & suos esse, & obseruari formam veræ religionis quærendæ, & agnoscendæ legitimam, probat consequenter, apud se, & suos esse veram religionem. Nam vtrumque æqualiter ex diuina prouidentia desumitur, & probatur. At nos, quænam esset veræ religionis quærendæ, & agnoscendæ forma, ostendimus supra: eam porrò totã apud nos, & nostros obseruari, obseruandamque præscribi, est manifestissimum.

366 Quod idem vlteriùs ex aliquibus veræ religionis proprietatibus indubitatis apertè comprobatur. Demonstratum est enim, quod etiam Iudæi saltem, & Mahometani, & Hæretici vniuersi admittunt, doctrinam veræ religionis esse diuinam. Hinc consequitur, eam esse firmissimè credendam, & tenendam, nullaque de causa abijciendam: Cum Deo dicenti non credere, nulla, vt patet, de causa liceat, & semper, & vbique infandum sit, doctrinam Dei cum alia contraria, vel hominum, vel Dæmonum commutare, hominesque, Dæmonesque præferre Creatori Deo. At manifestum est in mundo, apud nostros homines esse hanc firmitatem, apud alios illam non esse. Est scilicet in mundo vbique gentium manifestum nostrorum hac de re hominum testimonium, nostrorum martyria: prioribus omissis sæculis, ætates hæ nostræ exhibent in Anglia, in Indi, in Æthyopia, in Iaponia innumeros exules, bonis abdicatos, & extremum infortunium passos, ne religionem desererent; innumeros equuleo, cruce, igne, aqua, & omni tormentorum genere cõsumptos, extinctos: quod factum, est luce clarius. Nihil simile ab alijs aliarum religionum hominibus effectum est; quia sectarij ad nutum Principum plerumque religiones commutant, & commutandas etiam docent permulti. Ergo apud nostros est firmitas: apud alios illa deest: apud nostros ergo est doctrina Dei, veraque religio.

367 Cum hoc deinde connexum est, quod Deus glorioſus

Digitized by Google

rioſus doctrinam ſuam foueat, eiuſque cultores robore, & animo donet. Naturalis eſt rebus omnibus, & hominibus, & cæteris ſuæ conſeruationis amor, & appetitus: id Philoſophia docet; id experimenta cuncta demonſtrant, id ſatis, ſuperque vnuſquiſque in ſe ipſo experitur; & hoc negare pertinacia ſtultiſſima quidem foret. Cum quo proindè appetitu luctari arduum eſt valde, & violentum, & eo mirabiliùs, quo diutiùs pugna durat, quò illa acerbior erit, magiſque voluntaria, quæque vitari facillimè à ſufferente queat. Hinc videas, qui ſe occiderint, vel ſuſpenderint, in mundo tam paucos, eoſque extrema aliqua paſſione ſiue triſtitiæ, ſiue deſperationis vix ſui, ac rationis compotes: A contrario videris omnes in mundo ſui amantiſſimos, ac delicatiſſimos. Quare quod eorum, quæ ſecundum naturā non ſunt, regula eſt, rarò, & in paucis, iſque afflictiſſimis, & vix hominibus deſperationes contingunt: ergo naturale, & hominum non eſt, ſed Dei, quod multi, & diu, & hilariter, & cum vitatu facile ſit, & ex omni genere pueri, fœminæ, nobiles, ignobiles, ſummi, infimi, medij in tanta multitudine, vbicunque ſeſe occaſio dedit, inauditas mortes, inauditos cruciatus ſubierint. Illud planè naturale, & hominum, quod multi defecerint. Deus ergo, cuius eſt doctrinam ſuam, & religionem fouere, & leges vna cum viribus miniſtrare, ſuoſque ſupra humanum iuuare, diuinos proculdubio animos ingeſſit tot illis, vbique gentium veritatis, & religionis ſuæ cultoribus, teſtibus, vindicibus. Vidimus quidem Valiſoleti Veram quēdam pro Hebraiſmo viuum concrematum ætate noſtra, & aliàs aliquādo huiuſmodi aliquid auditum eſt, ſed rarò, & vix vnum in ſæculo auditum eſt hoc generis pertinaciæ, vel obſtinationis portētum: Quin ex Iudæis, qui inter cæteras religiones quandam maiorem firmitatem (de qua infra) præſeferre videntur, videmus quotidiè in Hiſpania plenos carceres, & nox omnes, ne quid patiantur, Iudaiſmum abiurare.

Ex alijs ſimiliter veræ religionis, & doctrinæ Dei 368
proprietatibus, atque notionibus, quæ ex iactis principijs depromuntur, firmabimus denuò, atque commonſtrabimus multipliciter decurſu religionis noſtræ veritatem.

QVÆ-

Digitized by Google

QVAEST. XXII.

Vtrum omnes aliæ religiones præter Christianam, & Catholicam, ducant demum in Atheismum, vel Epicureismum?

369 AFfirmo constanter, & dico, omnes illas religiones per legitimas consequentias, nisi ad nos veniant, ducere demum in Atheismum, vel Epicureismum, hoc est, ad relinquendā omnem religionem eos omnes, qui aliquo ingenio pollent, nec harum rerum sunt prorsus ignorantes. Etenim, vt vno me verbo explicem, omnes illæ tales sunt, quales apud nos Catholicos sunt scholæ Theologorum, vel Philosophorum; & sicut apud nos alij sunt Thomistæ, alij Scotistæ, Nominales alij, & alij Suaristæ, & Vazquistæ, vel mixti: sic in mundo alij sunt Mahometani, alij Lutherani, alij Caluinistæ, &c. nec quidquam est, quo magis ad vnam, vel aliam religionem, vel nullam obligentur: & sicut nos in scholis mutamus, & variamus, & vnusquisque modo suo sapit, & statuit, & dicit, & multi sine scholis etiam viuunt, idem, quod experientia satis demonstrat, necesse est, vt accidat aliarum religionum Sectatoribus.

370 Scilicet omnes laboramus, statuimus, & ædificamus supra fundamentū aliquod, quod singuli putamus, vel dicimus esse certū, infallibile, & indefectibile: Mahometani Alcoranum habent, Iudæi vetus testamentū, & Rabinos: Christiani omnes habemus sacram scripturā in hac, vel illa versione; & scholæ Catholicorum insuper habent sacra Concilia, & sensum Ecclesiæ. At præter hæc fundamenta opus est aliqua præterea interpretatione; & sic Rabini apud Iudæos variant, & Alcora-

Digitized by Google

num aliter Persæ, & aliter Turcæ intelligunt, & hi litteræ insistunt, & illi sensui mystico, & per metaphorã multa temperant. Similiter apud Christianos sunt eiusdem illius infallibilis libri diuersi, & varij interpretes Hieronymus, Augustinus, Chrysostomus, Thomas, Scotus, Ochamus, Suarez, & etiã Lutherus, Caluinus, Zuinglius, & infiniti; qui apud nos Catholicos in ijs, quæ fidei non sunt, sed propriæ expositionis, & iudicij, variant, & pugnant; & ex hac varietate variæ, & pugnantes scholæ consurgunt.

Iam vt orationem ad Sectarios præsertim conuertam, quid pluris Lutherus, vel Caluinus habuerit, quã vel Augustinus, vel Thomas, precor, ostendant? Assistentiam specialem Spiritus sancti, qua in rebus fidei non erraret? Nil esset impudentius, & inconsequentius, cum ne illam vel vni Romano Pontifici, vel Conciliis concederent, à nobis defecerint; & hic vertant in se molimina sua. Ergo Caluinus nil habuit de assistẽtia infallibili, & homo erat errare potens, sicut Augustinus, vel Thomas; certè non est, de quo conqueramini, cum summis his viris transmittimus vestros Magistros conferri; nec amplius citra insaniam desiderare potestis, vel petere. At ego in conscientia non obligor, vt expositionem S. Thomæ super epistolas Pauli ex integro saltem recipiam, uel expositiones S. Augustini super psalmos: imò illas ut doctrinam religionis acceptare non possum, & peccarem. Ergo idem est de expositione Caluini. Et sicut aliud in aliquo, uel aliquibus mihi, vel alijs videtur, in quo Paulum aliter, uel aliter, & sic, uel sic intelligimus, & pugnæ scholarum resultant; sic necesse est, uobis accidat, si omninò cæci non estis, & stupidi: & aliud, quã Caluino in aliquo, uel in aliquibus uidebitur, & sic uariabitis, uariatisq; & mutatis religiones, & doctrinas religionum, sicut nos opiniones scholarum, suntque apud uos plures religiones, quam apud nos scholæ. *Mentior* (inquit Tertull. de præscript. c. 42.) *si non à regulis suis variant etiam inter se, dum vnusquisque proindè suo arbitrio modulatur, quæ accepit: quemadmodum de suo arbitrio ea composuit ille, qui tradidit. Agnoscit naturam suam, & originis suæ morem profectus rei. Idem licuit Valentinianis,* 371

quod

quod Valentinò; idem Marcioniſtis, quod Marcioni: idem (adde) Caluiniſtis quod Caluino, *de arbitrio ſuo fidem innouare*, vel quod nil refert, de intelligentia ſua, vel iudicio.

372 Quicunque ergo apud vos conſiderationem aliquam habet, ita ſecum conferet. Caluinus planè fuit homo, & valdè homo: aſſiſtentiam illi tribuere Spiritus ſancti, ne erraret, eſt manifeſta ſtultitia, cum tot nos moueamus contra ſimilem aſſiſtentiam, quam Catholici Romano Pontifici, vel Concilijs, vel Eccleſiæ ſuæ adſcribunt, licet multorum ſæculorum poſſeſſione, nec ſine ſcripturæ etiam aliqualibus teſtimonijs id teneant, & loquantur. Et licet (vt & hoc vltrò demus) videam, nullam aliam expoſitionem ita aptam, congruam, & cohærentem eſſe; at quid, vel vnde ſciam, exemplar illud, quod expoſuit, eſſe verum, & legitimum? nam neque ad hoc tribuere illi poſſum aſſiſtentiam infallibilem: & cur potius illi, quam Luthero? Et deindè quid calceatos, quid diuites à regno cœlorum non excluſit, vt ſonat ſcriptura? An ergo & ipſe modo meo ſcripturam intelligam, & nouam fabricem religionem? Sed nihil eſſet ſtultius; idemque illi, & illi licebit: & in idem redeo; nam & ego, & ſinguli errare, & falli poſſumus, ſicut Caluinus. An ad Eccleſiam ſuã recurrat, illique aſſiſtentiam infallibilem adſcribat? Sed cur non Lutheranæ? Dicet enim: hanc Eccleſiam Caluinus ſiue fundauit, ſiue renouauit, vel reformauit? in hoc ipſo errare potuit, vel decipi: ſi homo fuit, & humanis caſibus obnoxius, errare poterat, vel in multis, vel in paucis, vel ſaltem in aliquo, vbi præſertim contra Doctores fermè omnes decernebat. Et deindè ipſa hæc Eccleſia eſt cætus hominum ſimiliter fallibilium: ſi Catholica, vel Romana errauit, cur non & iſta? Num quia iſta eſt vera Eccleſia? At vndè hoc mihi perſuadeam? An per examen ſcripturæ, & dogmatum? Sed cuius ſcripturæ? Et deindè cuius ſenſu? Cur Caluini potius, quam S. Thomæ? cur meo potius, quam Scoti? quare hæc litteraliter ſumam, & illa alia tropicè, vel allegoricè, vel hyperpolicè? Num quia Eccleſia mea ita ſentit, quæ non errat? Sed redeunt dicta. Ac rurſus committo circulum; nam nuper dicebam, Eccleſiam

meam

Digitized by Google

meam esse veram, quia scripturam ritè, & uerè intelligit; nunc autem dico, hæc, vel illa sic, vel sic, litteraliter, vel per tropum esse accipienda, quia Ecclesia mea ita sentit, quæ vera est, nec errat.

Ex his porrò concludet, nil esse, quo ipse ad religionem Caluini sit obligatus; idemque de quauis alia concludet præter nostram. Si verò obligationem nullã habet, omnes licebit relinquere: imò religio non obligans religio non est, sed opinio, & quales sunt opiniones scholarum. Ergo omnis alia religio præter nostrã ad Atheos, vel Epicureos ducit, nec etiam quando tenetur, religio est, sed opinio, & sicut schola aliqua nostra. 373

Sectarij scholarũ via incedunt.

Quod duplicitèr ex eo denuò confirmatur: scilicet Sectarij eadem, qua scholæ, via incedunt, nimirum per examen rerum, vel doctrinarum: examẽ verò subijcitur alicui fallibili, iudicijs nimirum nostris, vel Caluini, vel simili: ex hoc autem solum opiniones, & scholæ, & sectæ consurgunt. Et hinc est, quod sicut in scholis, & opinabilibus nemo cum alio ex toto sentit, nec Augustinus cum Hieronymo, nec Hieronymus cum Cypriano, nec intra ipsam etiam scholam, v. g. Thomistarum vnus cum alio in omnibus, & ex integro; idẽ prorsùs accidat apud Sectarios, apud quos licet in nomine aliqua vnitas seruetur, vnusquisque tamen sapit modo suo, & religiones habent singuli distinctas, sicut vestes, easque mutant. Et hinc etiam est, quod multi alium exitum non inuenientes, in eam stultitiam sint prolapsi, vt dicant, sufficere ad salutem hoc vnum, in quo Christiani omnes conueniunt, scilicet credere in Christum, & reliqua esse velut differentias scholarum, quæ nil interfint. Heu quo ducunt hæreses? Et certè præterquamquod hoc satis experientia ipsa demonstret, ex eo etiam probatur, quod impossibile sit sine miraculo, eoque magno, vt à multis vno, eodemque sensu liber aliquis intelligatur modo humano, & citra specialem assistentiam Spiritus sancti; & ita si verum est, quod de septuaginta duobus interpretibus multi tradunt, illud instar miraculi fuit. Hoc ergo miraculũ foret, & satis patens, & magnum, si apud Sectarios vnus, & idem scripturæ liber à quingentis vel mille legeretur, 374

Digitized by Google

geretur, & idem quoad omnia omnibus videretur. Si hoc miraculum habent, cur tacent? cur miracula dicunt ceſſaſſe? Si non habent, vt vtique non habent, aliud, & aliud alijs, & alijs videtur, vt certè videtur. Quod ſi aliqui ſenſu ſuo religionem non tenent, illi neceſſariò ſeſe ſubijciunt alicui fallibili intelligentiæ, & expoſitioni, ſiue Caluini, ſiue Lutheri, vel quicunque ſit; qui certè haud maior erit Auguſtino, vel Thoma. At quod Auguſtino, vel Thomæ videatur, religionem, non facit. Ergo &c.

375 At nos Orthodoxi alia via in ſcholis, & alia in rebus religionis procedimus; nam, vt ex terminis ipſis patet, aliud eſt ſcire, & aliud credere, & alia ſcientia, & alia fides; ſicut aliud cælum, & aliud terra. Ad religionem ergo, & fidem in primis, & ante omnia præter Verbum Dei neceſſariam putamus, & ponimus regulam aliam, ſiue intelligentiam, ſiue expoſitionem infallibilem ſiue Papæ ſine Concilio, ſiue Papæ cum Concilio, ſiue Eccleſiæ: nec enim eſt, quare in præſentia quidquam horum determinemus: & ſi quid horum apud nos ſub lite eſt, ad religionem non pertinet. Huic autem ſiue regulæ, ſiue ſententiæ, ſiue intelligentiæ, vel expoſitioni (nam nil ad præſens, utro modo eam appelles) ſenſum noſtrum, & cuiuſuis alterius ſiue magni, ſiue parui, unius, uel multorum iudicium, & ſenſum ſine examine, ſine altercatione poſthabemus, & ſubijcimus; & credimus, quæ etiam non intelligimus, & quæ ſecus uidebantur. Ponimus porrò hanc regulam ex ſpeciali Dei aſſiſtentia infallibilem propter fundamenta toties exhibita: ponimus & ob multa alia apud Doctores Orthodoxos obuia: ponimus; quia ſine illa non ſupereſt ulla ad religionem uia, ut demonſtratum eſt: at Deus habet in terris aliquam uiam ad religionem: Chriſtus habet in terris aliquid, quo ſua religio à ſcholis differat, quo ad ipſam obliget, quo in ipſa conſeruet, & quo demum non ſcianus, ſed credamus; per fidem enim ambulamus. *Orthodoxorũ alia via.*

376 Vnde ſublimis illa, & certa ſiue Papæ ſolius, ſiue Papæ cum Concilijs, & Eccleſiæ ſacra authoritas non quaſi noua, & difficili fide indiget, ut admittatur; ſed pſa potius argumentum eſt, & nouaprobatio ueritatis *Infallibilitas Eccleſiæ*

Ca-

Digitized by Google

Catholicæ. Valete iam Sectarij, & à nobis ob illud discedite, sine quo Catholicos esse, imo Christianos, uel religiosos esse prorsus est impossibile. 377

Iam hinc hæc nunc pauca: uel uos aliquid huiusmodi infallibile præter scripturam ponitis, uel non ponitis? Si non ponitis? scholas sanè, uel sectas, uel factiones facitis; sed religionem nullam, nec est, cur pluris religiones uestras faciam, quam scholas nostras. Si ponitis: aduertite, considerate, intelligite, quæ uos causæ à nobis abduxerint: quæ de Papa, quæ de Concilijs obloquamini, uel obloquuti sint Fundatores uestri. An Dei Verbum hominibus subijcitis? Lucem illam claram interpretationibus exponitis? Satius, credo, fuisset tot sæculorum possessioni, tot Doctorum iudicio confirmatę quoad hoc stare. Nos quidem Papistæ sumus. Fateor: sed uos qui estis? an non Antipapistæ, & hostes? Vtra exceptio maior est? Plurimi nostrum nil à Papa speramus, nec esset, cur multum timeremus, nam si per Deum liceret, facilis erat ad uos transitus: at multum uestra, interest contra Papam esse; nam sic sine subiectione cũ uxore, & liberis impunè uiuitis, impunè sapitis, uel ineptitis.

Sed centum millia nos, inquis, habemus contra Papas. Sed non grauabor iterum uobis Augustinum dare l. 2. contra litt. Petil. c. 51. *Verum si omnes per totum orbem* (id est Episcopi) *tales essent, quales vanissimè criminaris, Cathedra tibi quid fecit Ecclesiæ Romanæ, in qua Petrus sedit, & hodie Anastasius sedet? vel Ecclesiæ Hierosolymitanæ, in qua Iacobus sedit, & in qua hodie Ioannes sedet? quibus nos Catholica vnitate connectimur, & à quibus vos nefario furore separatis. Quare appellas cathedrã pestilentiæ cathedram Apostolicam? Si propter homines, quos putas legem loqui, & non facere, numquid Dominus noster Iesus Christus propter Pharisæos, de quibus ait, dicunt, & non faciunt, cathedræ, in qua sedebant, vllam fecit iniuriam? Nonne illam cathedram Moysi commendauit? & illos seruato cathedræ honore redarguit? ait enim: super cathedram Moysi sedent: quæ dicunt, facite: quæ autem faciunt, nolite facere; dicunt enim, & non faciunt. Hæc si consideraretis, non propter homines, quos infamatis, blasphemaretis Cathedram Apostolicã, cui non communicatis.* 378

Digitized by Google

satis. Sed quid est aliud, quam nescire quid dicere; & tamen non posse nisi maledicere? Quid plura? Scilicet apud nos de religione, & de fide non est omnes Papas, vel sanctissimos esse, vel sapientissimos. An ipsum Petrum Apostolum reprehensibilem fuisse, Paulus etiam Apostolus, & verissimè quidem, vt Augustinus contra Hieronymũ conuincit, non dicit? Licetne propterea à fide Petri Apostoli discedere? Hæc ergo nil ad nos: est qui iudicet.

379 At in doctrina etiam ipsa multi Papæ, inquis, errauerunt; & centum afferunt historias. Sed ipse historiam haud texo, & præclari viri ad eas responderunt, nec ad eas me duci patiar contra præscriptas regulas, sed præscindam. Iterùm ergo respondeo; errauerint Papæ; nam apud nos de fide similiter non est, eos errare non posse. At errarunt, inquis, etiam cum diceret ex cathedra. Iterum dico, nec hoc apud nos adhuc de fide est, Papam quomodolibet sine Concilio errare non posse: quare si aliud non habent, venire ad nos poterũt: hoc est de fide, & necessarium, si quem errorem Papa diceret, illum tamquam rem de fide ab vniuersa Ecclesia non fore acceptandum, & Deus de hoc prouidebit; nam secundum scripturam Ecclesia errare non potest, & in symbolo Apostolorum credimus vnam sanctam Catholicam Ecclesiam. At Concilia etiam, ais, errant, vt Tridentinum. Verum hoc negamus: & Concilium Tridentinum non errauit; quia Ecclesia non errat. Sed prouocas ad scripturam. At occlusum est centies hoc ostium. Imò relictis omnibus hac quæst. demonstratũ est, sine huiusmodi aliquo infallibili iudicio religionem constare non posse, siue Papa etiam solus, vt melior sententia tenet, hanc infallibilitatem habeat etiam sine Concilio cum ex cathedra dicit; siue simul cum Concilio. Et denique regulam præscripsimus ab his omnibus abstrahentem: scilicet tenemur omnes in Ecclesia esse, & eam, si in ipsa non sumus, quærere; & hoc habito reliqua accipienda sunt sine examine: si de Papa hoc, vel illud illa tenet, sic est tenendum: si non tenet, nõ est tenendum; & intereà torqueantur, scindantur, conterantur historiæ omnes; nam contra eam nihil sunt, & nihil valent, atque sola ratione consequenti exami-

Digitized by Google

nandæ ſunt, vt oſtendimus.

Sectarij nihil credere poſſunt.

Occurrit hic aliud etiam, & meâ quidem ſententia validum argumẽtũ ad hominẽ, quo ſectarios ad reliquendã omnẽ religionẽ conuincãtur: Deũ enim bonorum, & malorum, virtutis, & ſceleris æqualiter operatorem, atque authorem eſſe, ipſorum eſt turpiſſimus quidem, ſed acceptiſſimus error, atque ideò nihil fraudis, nihil deceptionis, & mendacij commiſſum eſt, ad quod homines à Deo moti, inducti, imò neceſſitati non fuerint: vnde ipſi non liberum arbitrium, ſed ſeruum arbitrium, ideſt arbitrium non arbitrium, & ex ipſis etiam terminis chimæram inſignem ſcribunt, & tuentur. Habuerint ergo, & nouerint quidem doctrinã Dei: at Deo deceptori non eſt, cur credatur, nec ſine examine rerũ omnium credendum erit, nec firmiter credi vnquam poterit, & vno verbo ſic erit cum Deo agendum, ut agimus omnes cum hominibus mendacibus. Si enim Deus, vel quia ludit, vel quia punit, homines decipit, & in errores omnes inducit, & neceſſitat, licet nouerim ego, hoc, aut illud à Deo dictum, tamen meritò caueã, & timeam, dicamque, fortè nunc ludit, fortè in hoc decipit, & punit. Ergo nullam potero ex animo accipere, & credere doctrinam, aut religionem. 380

Fruſtrà porrò eſt, ſi dixerint, Deum operando quidem decipere, & omnes errores intrudere poſſe: at non loquendo, & reuelando: chriſtianam autem religionem fundatam in doctrina Dei reuelata, & quam ipſe locutus ſit. Ad quem fermè modum quidam optimi Catholici inducere in ſimili ſolent diſtinctionem motionis phyſicæ, & moralis. Cæterum friuola eſt ſolutio adhibita, nam Deus haud ſanctior, & purior eſt in loquẽdo, quam in operando, & quæ ipſius operationem, & inductionem non dedecent, vndè locutionem dedeceant, planè non eſt; nec vnquam ratio apta dabitur, cur, ſi Deus deceptor eſſe poteſt errores inducendo, & immittendo, nequeat ſimiliter deceptor eſſe loquendo, & reuelando. Quod ſi rationem inueſtigare placeat, Deus ad nihil mouet, inducit, & neceſſitat, niſi intendendo id ipſum, ad quod inducit, & neceſſitat, vt multis alibi commonſtratur: Deus ergo ad errores neceſſitans, errores intendat, & amet, neceſſe eſt, nec 381

hoc

Digitized by Google

hoc horrent Sectarij concedere. Si ergo Deus errores iam amat, si errores, & mendacia iam Deo placent, quid non etiam loquatur errores, & mendacia? Ergo Sectarij Deo credere minimè poterunt.

383 Ad hæc: non aliundè persuasi nos esse possumus, Deum reuelasse doctrinam Christianorum, nisi quia Deus editis miraculis eam suam esse contestatus est. At si Deus errorum faber, & auctor est, miracula fortè operatus est deceptoria, & illusoria: vndè sicut de mirabilibus Gentilium supra diximus, nihil iam miraculis, aut alijs diuinis operationibus statueretur, & confirmaretur. Id, quod sic etiam explico, nam quod est indifferens ad verum, & falsum, nullum est argumentum, nulla confirmatio veritatis: at secundum Sectarios operatio Dei est indifferens ad verum, & falsum, ad bonum, & malum; nam boni, & mali, veri, & falsi æqualiter est operator, & auctor: ergo nulla Dei operatio, argumentum, & confirmatio est veritatis. Ergo nihil Sectarijs supereſt, ex quo veritatem diuinæ doctrinæ sibimet persuadeant.

Sectarij cũ Gentilibus comparati.

384 Hinc vlteriùs ex dictis, & demonstratis quæstione 4. coguntur Sectarij, vt sese fatuos concedant, cum omnis rectitudo humani iudicij non in alio fundetur, quam in hoc, quod auctor eius errores imprimere nequeat: quæ cum ibidem satisfuerint declarata, hìc iteranda non sunt.

Digitized by Google

QVAESTIO XXIII.

Vtrum ex dictis perpetuitas veræ religionis; atque ex illa rursùs catholicæ religionis veritas concludatur?

HIC, ò miseri Sectarij, argumentum illud prodit, quo semper expugnamini, & cui vni exsoluendo imparia extitere studia vestra, clarum quidem illud, ac cuilibet etiam rusticissimo perceptibile. Ecce ad perpetuitatem veræ religionis contra vos, & contra reliquos falsarum religionum cultores quosque prouocamus. Ergo veram religionem perpetuam esse, ideſt, cum homine ipso in mundo esse cæpisse, & non nisi cum homine desituram indubitatè affirmamus; indè nos veritatem catholicã concludemus: illud nunc ostendamus, ad consecutionem subindè venturi. 384

Vera religio perpetua.

Itaque quæstione prima ostendimus, dictamen, & sensum de existentia veræ religionis in mundo fuisse homini ingenitum, & à natura impressum, atque naturale, siue cum debito, siue citra debitum ea notitia indita fuerit, vt ab inutili lite abstrahamus: ergo dictamen illud semper extitit, semper supereſt, & semper est verum: ergo vera religio semper fuit, nec vnquam defuit. Demonstrauimus præterea quæstione 2. 3. & 4. hominem à Deo fuisse conditum, & procreatum: eum ergo necessariò in aliquem finem direxit, qui sit hominis ipsius fœlicitas: eidem ergo viam concessit, media præscripsit, per quæ tendere, per quæ peruenire ad finem illum valeret: at hæc via, vel viæ, & mediorũ pars maxima est vera religio: hanc ergo & concessit, & deinceps conseruauit Deus in mundo: defeciſſent alioqui in necessarijs Deus, & natura. Commonstratum fuit etiam, aliquam aliquarum rerum notiam necessariò fuisse generi humano inditam, atque communicatam à 385

Deo,

Digitized by Google

Deo, ex quo ibidem ijſdem de cauſis, imò potioribus concluſimus, fuiſſe communicatam proculdubio ipſius Dei cognitionem ad eum ritè colendum neceſſariam, uel qua valeāt homines neceſſariam cognitionem quærere, & inuenire, ſi velint: hæc ergo cognitio, & cum homine eſſe cæpit, & ſemper fuit, nec eſſe deſinet potius, quā cognitio, & notitia primorum principiorum, quæ nec tanti interſunt generi humano, nec adeò diuinam prouidentiam decent. Et ſanè quæcunque primis illis quæſtionibus diſcuſſa ſunt, hanc vtiliſſimam veritatem apertiſſimè commonſtrant, quæ hìc iterare immenſum foret, & vitioſum.

386 Sed in re tanta contra pertinaces quoſq; cuiuslibet profeſſionis arguamus præterea ſic. Eſt nunc in mundo vera religio, quod nemo illorum, quibus cum in præſentia concertamus, negauerit; non enim iam cum prophanis agimus, qui deuicti ſunt, & impugnati ſupra, ſed cum ijs, qui religionem aliquam profitentur, qui omnes, neceſſe eſt, aſſerant, eſſe nunc in mundo veram religionem: ergo fuit ſemper, & erit in mundo vera religio, quamdiu erunt homines: nam quibuſcunque cauſis probatur antecedens, ijſdem intactis concluditur conſequens, & conſequentia. Vel enim Deum profers, vel Dei ſapientiam, & iuſtitiam, vel ipſius idoneā rerum humanarum procurationem? & hæc cuncta, & ſingula non plus probant, eſſe nunc veram religionem, quam fuiſſe ſemper, atque futuram eſſe. Si porrò Chriſtianus es, & ad ſanctas ſcripturas, Deique promiſſiones iueris, illæ vel totum, vel nihil euincunt; vbi nam enim ſcriptura, vbinam Dei promiſſio de ætatibus potius noſtris, quam de præteritis? res eſt certè adeò manifeſta, vt nemo non prorsùs inuerecundus de ea litem mouerit. Cum ergo indubitatum ſit quibuſuis religionis cuiuſque profeſſoribus, eſſe nunc in terris veram religionem, indubitatum eſſe oportet, eamdem & fuiſſe ſemper, & futuram eſſe: atque hic de perpetuitate veræ religionis ſenſus inſitus videtur omnibus gentibus, & nationibus, quæ ſemper nouas religiones hoc ſolo nomine, quod nouæ eſſent, repudiarunt, abhorruerunt, indeque religionem etiam Chriſtianam, quæ noua viſa fuerat, oppugnarunt: de quo fruſtrà eſt, maiorum noſtrorum

Vera religio ſi nunc eſt, ſemper fuit.

Digitized by Google

ſtrorum teſtimonia congerere: quorum aliqua apud Raynaudum in Erotematis partitione 1. erotemate 20. inueneris.

Eccleſia, ex quo cœpit eſſe, nõ deſiit.

At pro Chriſtianis extant in ſanctis ſcripturis huius veritatis apertiſſima ſuffragia, ex quibus perpetuitas diuinæ doctrinæ, atque veræ religionis liquidò demonſtratur. Etenim, vt aliqua commemorem, tertio Eſdræ, c. 4. pſalmo 32. & 116. & Iſaia 40. & aliàs affirmatur, quod veritas, Deique Verbum, *inualeſcit, & obtinet in ſæcula ſæculorum, & manet in æternum.* Explicat verò Petrus Apoſtolus epiſt. 1. cap. 1. quæ veritas, quod Verbum ſit iſtud: *Verbum autem Domini (ait) manet in æternum, quod euangelizatum eſt in vobis.* 387

Chriſtus deindè Matthæi 28. *Ecce ego vobiſcum ſum* (inquit) *omnibus diebus vſque ad conſummationem ſæculi.* En expreſſiſſimam, & affirmatiſſimam promiſſionem eius, qu nec fallit, nec fallitur: atqui euidens eſt, Chriſtum apud eos non eſſe, qui doctrinam, fidem, ac religionem ſuam non tenent: ergo, ex quo ſaltem Chriſtus degit in terris, fuerunt ſemper, & erunt vſque ad ipſam ſæculi conſummationem, ac mundi finem, qui ſeruent, colantque religionem Chriſti. Rurſus Matthæi 18. idem Chriſtus affirmat, *ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam, & portæ inferi non præualebunt aduerſus eam:* ideò ſcilicet non ſuper arenam ædificat, in qua, vt ipſe affirmat, nequit domus firma conſtrui, ſed ſupra firmam petram: ideò etiam cum Eccleſiam ædificaturus eſſet, ac more ædificationis materialis nobis illam explicaturus, toties modi ædificandi meminit, vt conſtaret liquidò, domum ab eo ædificandam, tanquã harum rerum conſultiſſimo, atque ſcientiſſimo: ergo domum fecit, Eccleſiam ædificauit, in qua cum hominibus eſſe poſſet vſque ad conſummationem ſæculi, & aduerſus quam portæ inferi, errores, hæreſes, ſcelera præualere nequirent: quod ipſe denuò Matthæi 7. dignatus eſt deſcribere, *deſcendit pluuia, & venerunt flumina, & flauerunt venti, & irruerunt in domum illam, & non cecidit: fundata enim erat ſuper petram.* Quid expreſſiùs? 388

Idipſum à priori, & ab inconuenienti denuò commonſtratur. Etenim nulla Chriſto firmior petra excogitari 389

Digitized by Google

gitari inter Christianos potest, *petra autem erat Christus.* 1. ad Corinthios 10. at Ecclesia Christi fundata est super hanc Petram Christum, *superædificamurq;* (ad Eph. 2.) *super fundamentum Apostolorum, & Prophetarum ipso summo angulari lapide Christo Iesu,* quippè Apostoli, & Prophetæ post Christum lapidem ingrediuntur: ergo domus hæc, ergo Ecclesia hæc ex Christi oraculo illa ipsa est, quam Matthæi 7. nulla vi cecidisse affirmauerat: nunquam ergo cecidit, aut cadet Ecclesia Christi. Rursus ab inconuenienti, quia alioquin Christus ex suo ipso testimonio illudendus veniret, nec viro sapienti assimilaretur; nam ipse Lucæ 14. testatur, illudendum eum, qui ædificare cæpit, & consummare non potuit: item illum, qui non prius sedens *computauit sumptus, qui necessarij sunt ad perficiendum:* at Christus se ædificaturū promisit Ecclesiam, aduersus quam tota inferorum potentia prævalere non posset; ergo vel prævaluit aliquando, & Ecclesia cecidit? Et tunc, quo nihil dici potest scelestius, Christus illudendus veniret: vel nunquā infernus prævaluit, nunquam Ecclesia cecidit, nec cadet inposterum? & hoc intendimus. Christus deindè domum instituit erigere, in qua nobiscum esset omnibus diebus vsque ad consummationem sæculi. Quod si sumptus necessarios computauit, eam vtique perfecit: sin minùs, quod impium esset, dicere haud computatis sumptibus inconsideratus ædificare cæpit. Nemo ergo quoquo modo Christianus hanc religionis christianæ perpetuitatem diffiteri citra inuerecūdiam potest. Hùc attinent, quæ de sacerdotio, quæ de regno Christi sempiterno scripta sunt, ac iterata toties in sacra pagina. Hùc quod 1. ad Timoth. 3. Ecclesia asseratur *columna, & firmamentum veritatis.* Hùc domus illa, quam sapiētia extruxit, tot illis columnis excisis fulcitam, munitam, firmatam. Hùc percelebre Gamalielis argumentum actu. 5. *quoniam si est ex hominibus consilium hoc, aut opus, dissoluetur; si vero ex Deo est, non poteritis, dissoluere illud:* Ecclesia porrò Christi opus est vtique, & institutio Dei: ergo concludat Athan. orat. quod vnus sit Christus: *Ecclesia inuicta res est, etsi infernus ipse commoueatur.*

390 Sunt prætereà alia expressissima. *Vult enim Deus* ex *Confirmatio multiplex.*

Digitized by Google

ex 1. ad Timoth. 2. *omnes homines ſaluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire*: at quomodo venirent, ſi ea in terris apud aliquos non fuiſſet, à quibus eam audirent? nam *fides ex auditu* ad Rom. 10. Rurſus 1. ad Corinth. 13. *nunc autem*, ideſt, in hoc ſæculo, & quandiu non venerit, quod perfectum eſt, & euacuabitur, quod eſt ex parte, vt ibidem aſſeritur, *manent hæc tria, fides, ſpes, & charitas*: vbi autem, & quandiu eſt fides Chriſti, ſupereſt etiam religio Chriſti, vt eſt euidentiſſimũ. Quinimò tremẽdis etiam ipſis Antichriſti temporibus, & quando tota inferorum potentia aduerſus Eccleſiã, aduerſus fidem, ac religionem Chriſti pugnabitur, vera fides haud prorſus delebitur; erunt enim tunc quoque electi, propter quos *abbreuiabuntur dies illi*, vt Matth. 23. promittitur, atque perſecutionum, ac tribulationũ magnitudo ex eo declaratur, quod *in errorem inducantur, ſi fieri poteſt, etiam electi*: erunt ergo tunc quoque electi: erit ergo & vera fides, ſine qua ſcilicet ex Apoſtolo, *impoſſibile eſt placere Deo*. Vndè quod Lucæ 18. prædicitur. *Verumtamen filius hominis, cum venerit, putas, inueniet fidem in terra?* nullam in terris fore fidem minimè ſignificat, vt eſt demonſtratum, ſed vel quod plurimi à fide deficient; vel quod fidelium etiam ipſorum remittenda ſit multum fides, vt Cyprianus lib. de vnit. Eccleſiæ, alijque aptè interpretantur: quod probè intelligentes Donatiſtæ paucitatem potius ſuam ex eo loco commendabant, quos tamen multis, & multoties diſiecit Auguſtinus. Hinc ergo à maiori ad minus valeat legibus omnibus probata argumentatio: Eccleſia Chriſti numquam, & nulla ſubijt pericula paria illis, quæ demùm paſſura eſt tempore Antichriſti: vt ex toto Euangelio, & fidelium omnium perſuaſione eſt manifeſtiſſimum: at nihilominùs nec eo temporis cadet Eccleſia, nec vera Chriſti fides à terra delebitur, vt eſt demonſtratum expreſſis ipſius Chriſti aſſertionibus: ergo nec prius vnquam cecidit, aut cadet Eccleſia Chriſti, nec eius fides deleta eſt, aut delebitur. Aut prorſus delyro ego, aut hoc argumentum concludit hac in cauſa, & in ſimili qualibet; nam Deus, qui Eccleſiam erexit, ac ſeruabit inuictam contra maius, inſtituit, fecitque inuictam contra minus; nec aliud etiam in humanis

Digitized by Google

mānis accidere poteſt, uiſi per iniuriam, vel ignorantiã, vitiumue aliquod.

391 Ideo omnes Sancti Patres tanti fecere locum illũ, 1. ad Timoth 6. *O Timothæe, depoſitum cuſtodi, deuitans prophanas vocum nouitates.* Vndè Lirinenſis in commonit. 1. *ſi vitanda eſt nouitas, tenenda eſt antiquitas: ſi prophana eſt nouitas, ſacrata eſt vetuſtas, &c.* Et Clemens Alex. lib. 1. ſtrom num. 60. eo ſolo omnes hæreſes reuictas putat, *cum ab hac voce conuincantur hæretici* (ait) *epiſtolas ad Timotheum abrogant*: eodem Nazianz. orat. 33. vtitur. Indè Irenæus lib. 2. aduerſus hæreſes nouitatẽ putat falſitatis cognitionem. Ideò regia, & inuicta via illa omnes hæreſes expugnandi, quam ſtrauit Tertullianus, quam ſectatus eſt Cyprianus per antiquitatem præſcribendi in cauſa religionis, & illam eſſe verã, quæ fuerat prius; illam falſam, quæ poſterius, & omne genus ad originem ſuam eſſe cenſendum: eſtque in materia religionis veriſſima Iuriſtarum regula, *qui prior eſt tempore, potior eſt iure.* Indè Hieronymus ep. 63. ridet aduerſarium; *vſque ad hunc diem ſine iſta doctrina mundus Chriſtianus fuit: illam ſenex tenebo fidem, in qua puer natus ſum. Cur poſt quadringentos annos docere nos niteris, quod ante neſciebamus?* Eit enim, vt dixi, innatus gentium omnium ſenſus, veram religionem ſemper fuiſſe; ſiue enim Deum mundi Creatorem conſiderent, ſiue mundi, ac hominum Adminiſtratorem; ſiue ſanctas ſcripturas conſulant, ſiue rationem examinent, ſiue Philoſophiam auſcultent, ſiue quodcunque aliud tribunal adeant, factiosè, & ex conſilio non prorſus corrũptum, id omnes audiunt: Deus ſemper fuit, Deus ſemper vtique homines curauit, numquam neceſſarijs eos deſtituit: omnes ad finem ordinauit, omnes voluit ſaluos fieri, & in cognitionem veritatis venire: non fruſtra aliquem hominem, & ſine fine fecit; non fruſtrà aliquos aliquando conſeruauit: ergo ſemper veram religionem, quæ via eſt ad fœlicitatem, in mundo, & apud aliquos ſeruauit, quam quærere homines poſſent, & inuenire ſi vellent. Vnde qui hoc negant, in vicinio ſunt Atheiſmi, vel Epicureiſmi, vt ſunt proculdubio ſectarij omnes, vti pluribus commonſtraui: qui namque ſemel in animum induxit, veram religionem à Deo aliquando

Digitized by Google

neglectam, à terris defuisse, labitur facilè, vt vel credat, vel dubitet, eam nunc quoque temporis exulare, & nos fortè omnes insanire, nodum, vt aiunt, in scyrpo quærētes: nihil enim concludens inueniet, quo firmius persuadeatur, esse nunc potiùs, quàm prius illam in mundo. Vbi enim? vel vnde?

Vera religio perpetua maxime secundū Christianos.

Veram itaque religionem cum primo homine 392
Adamo in mundo natam, & ab eo, eiusque filio Abel habitam, qua & ritè hic Deum coluit, & recta Deo sacrificia obtulit, nemo Christianus, vel Iudęus addubitet, constatque ex Genesi 1. 2. & 3. atque ex tota veteris testamenti serie palam liquet, eam ad Christum vsque numquam à terris defuisse, siue illa à fide in Christum venturum Christiana appellāda sit, siue secus; nec enim de nomine litigamus, sed de re. Mox constat Christum non venisse soluere, sed adimplere Matth. 5. qui nec iota quidem vnum ex veteri doctrina, & doctrinalibus erasit, sed totam illam suscepit, totam probauit, commendauitque, inde arguit, inde probat Matth. 21. 23. & 26. Marci 14. & 15. & passim: nec nos Christiani minus eā doctrinam probamus, uel suscipimus, quam Euangeliū Christi, nec minus parati sumus mori pro apice vno. Ex vtraque ergo doctrina coaluit vna Ecclesia in ipso summo angulari lapide Christo Iesu. Vtraque est vna, & ipsissima fides, nec differt, nisi quoad augmentum, ac perfectionem doctrinæ, vt differt idem quando vir, à se puero; & sicut illa ipsa doctrina ante Christum nouis aduenientibus Prophetis & incrementis differebat. Ergo ante aduentum Christi secundum Christianos nūquam à mundo exulauit vera religio. Hinc porrò contra sectarios aliud argumentum resilit à maiori ad minus. Quis enim non insigniter fatuus, vel non prorsus in Christum impudens effutiat, doctrinam medijs hominibus Moyse, & alijs à Deo datam fuisse inuictam; prænaluisse quinquaginta plus sæculis; at datam à Filio Dei, & auctam, ad omnem perfectionem adductam tribus vix sæculis, vix vno integro subsistitisse? puerum plus multo valuisse, quam virum? vmbram, quam solidam veritatem? Ite iam, blatterate, insanite, sectarij. Eamdem rursùs vtriusque religionis vnitatem exponat Augustinus epist. 4. quæst. 3. *quemadmodum vnus, idemq; homo*

Aliud cōtra Sectarios argumentum.

Digitized by Google

homo, si Deo mane aliud offerat, aliud vespere pro congruẽtia diurni temporis, non Deum mutat, non religionem; sicut nec salutem, qui alio modo mane, alio modo vespere salutat: ita vniuerso tractu seculorum, cum aliud oblatum est ab antiquis Sanctis, aliud ab eis, qui nunc sunt, offertur, non humana præsumptione, sed authoritate diuina temporibus congrua sacra mysteria celebrantur, non Deus, aut religio mutatur.

393 At dicas: non vbique est vera religio; nam nulla est vbique gentium: ergo nec semper fuit vera religio. Sed quia has, quas paritates vocant, nudè proponere, est nimis ignorantium, ac inter nuces ludentium, parem vtriusque rationem ostendis: sicut namque tam erant Dei, tamque ad eius curam attinebant homines, qui fuere priùs, atque qui deinceps, & modo existimus, sic Dei sunt, & ad eius prouidentiam spectant ex æquo hi homines, & illi, nec plus Europæi, vel Hispani, quam Asiatici, vel Tartari. Si rursus sanctas scripturas consultas esse nos Christiani velimus, illæ planè veram religionem, & Ecclesiam per omnes gentes diffundendam pollicentur, quem in scopum infinita sunt in vtroque testamento nobis infra alleganda, & discutienda. Cum ergo non sit vbique vera religio, ita potuit nec semper esse: & vt veram religionem, quæ apud Tartaros non est, possumus nunc nos Neapoli agnoscere, ac colere; ita illam nunc, licet aliquando prius extinctam, ex relictis tamen libris, & codicibus agnoscere, suscitare, atque colere valeremus.

394 Sedenim quod his de prædicamento ad prædicamentum transmigrationibus, & de qualibet re ad quãlibet paritatibus vsuuenit, friuola est oppositio, & ex toto rigore philosophiæ vanissima, quæ nimirum teneret, omnes rerum species, semper fuisse: at quis eas vbique esse inferat, quæ etiam ad hominis victum, vel vestitũ spectant? nam alibi vinum, alibi panis, hic equi, ibi boues, & oues nascuntur, nec omnis fert omnia tellus: solos asinos faceto illi placuit excipere, sapientia Dei certè mirabili factum est, quod hac rerum distributione alij aliorum vicissim indigentes in societatem faciliùs, atque vnionem venire possemus; inde maria dedit cunctis obuia, ventos varios, atque multiplices, & alia

Digitized by Google

non ſine conſilio, vt ſubtiliùs differit Chryſoſt. in 1. ad Corinth. hom. 34. imò hæc ipſa fuere multoties cauſa propagandæ, ac diffundendæ veræ religionis. Oportuerat porrò maximè quod illam homines ab hominibus de communi lege addiſcerent, vt exempla nunc extraordinaria præteream. *Poterant vtique* (inquit Auguſt. de doctrin. chriſt. in procem.) *omnia per Angelum fieri: ſed abiecta eſſet humana conditio, ſi per homines hominibus Verbum ſuum Deus miniſtrare nolle videretur. Deindè ipſa charitas, quæ ſibi inuicem homines nodo vnitatis adſtringit, non haberet aditum refundendorum, & quaſi miſcendorum ſibimet animorum, ſi homines per homines nihil diſcerent.* De quo planè inter Chriſtianos ſaltèm nemo dubitauerit, cum ſcriptum ſit, *euntes ergo docete, &c. miſit illos, &c. quomodo credent in quem non audierint? quomodo audient ſine prædicante? &c. ergo fides ex auditu.* Ergo neceſſe fuerat, quod vera religio apud aliquos ſemper ſupereſſet, à quibus alij eam audirent; nam ſi nullibi illa eſt, homines eam in alio mundo quærere nequeunt: at ſi alicubi non ſit, alibi quæri poteſt; vel exindè ab alijs afferri, vt res quoque aliæ quæruntur, & afferuntur: & vinum, ſi ſit nullibi, à quo quæratur? venire autem Angli ad Hiſpaniam pro illo poſſunt. Nec relicti codices, & libri ad hoc ſufficiunt; nam multi occurrunt, & quinam veri ſunt, ignoratur: ſenſus deindè eſt varius, ac multiplex: & ea omnia hìc vrgent, quibus commonſtratum eſt veræ religionis doctrinam per examen librorum haud conſtare. Imò verò quoniam oportet, & hæreſes eſſe, non vbique ſemper eſſe debere veram religionem inferiùs commonſtrabitur: tam longè abeſt, vt vbique eſſe debeat. Quod de diffuſione Eccleſiæ vtrumque teſtamentum promittit, impletum eſſe, indeque veritatem catholicam conſtare, copiosè infra oſtendemus.

Veritas Catholica.

EX his, quæ ſatis, credo, ſtabilita ſunt, veritatē nunc catholicā deducamus. Religio catholica eſt perpetua; imò ſola illa inter omnes eſt perpetua; ſola illa 395

cum

Digitized by Google

cum homine esse cæpit, & inualuit,& obtinet; at sola religio perpetua est vera ; ergo sola religio catholica est vera . Vel sic: nulla non perpetua est vera: at nulla est perpetua præter catholicam:ergo nulla est vera præter catholicam: sed est aliqua vera: ergo catholica.Duplex hìc potest esse sensus, alter absolutus ex perpetuitate veritatem inferens, alter comparatiuus ex vnius solius perpetuitate, & reliquarum non perpetuitate, illius cõcludens ueritatem, cum probatum supponamus, veram religionem necessariò esse perpetuam : & uterq; sensus probat, sed posterior certiùs, atque infallibiliùs,

396 Et quidem primum sensum confirmat disserta Tullij orat.2. de nat. Deor. *Nec enim nisi illa vera esset, tam stabilis permaneret, nec confirmaretur diuturnitate temporum, nec vna cum sæculis, ætatibusque hominum inueterari non potuisset. Etenim videmus, cæteras opiniones fictas, atque vanas diuturnitate contabuisse: opinionum commenta delet dies; naturæ iudicia confirmat*; suntque in sacris etiam literis permulta in eamdem sententiam: nihil quippè magis super arenam ædificatum uidetur, quam religio in errore fundata, & in cogitationibus, ac consilijs hominum, quæ stabilire proindè nequeũt: Gamaliel dicebat, *si ex hominibus est hoc consilium, aut opus,dissoluetur*: idcircò sapientibus sol fuerat symbolũ ueritatis; erroris autem iris, quæ spectatores quidem sortitur plurimos, sed euanescit facilè. Et certè si experientia est mater, atque magistra scientiæ, ac illa nobis rerum naturas demonstrat, nihil est magis experientia exploratum, quam errores diuturnitate tandem contabescere. Quid enim scholis Græcorum celebriùs,acutiùs,subtiliùs? Et tamen iam nullibi uigent,regnant nul libi,sed contabuerunt. Infinitæ mox hæreses excogitatæ sunt sectatorum multitudine famosæ. Quid uerò ? hominum commenta deleuit dies. Vnde ex certis ad dubia, & ex similimis ad simillima arguendo, quæ recentiùs fabricatæ sunt, extinguentur etiam aliquando, durantque tandiu uitiorum magis auxilio, quam argumentorum. Iudæorum quidem falsa religio durat, & permanet: sed illa nulla est planè religio : haud deindè natura sua durat illa, sed ex Dei speciali iudicio, ut com-

Veritas erroribus præualet.

Digitized by Google

commonſtrabo infra. Ratio porrò horum illa eſſe uidetur, quod nihil uiolentum ſit perpetuum: at nihil eſt humanæ naturæ errore uiolentiùs: error quidem ſpecie ueri tectus, & ſic perſonatus, ac fictus ſeſe ingerit hominibus; at larua deprehenditur demum, ac perit: eſſet enim mirandum ſatis, ſi fictio aliqua numquam deprehenderetur. Errorum deindè homines ſunt architecti, nec homo cum homine facilè conſentit: & ita perennare nequit, quemadmodum Regna, & Reſpublicæ, tamquam hominum erectæ conſilio, cadũt demum, & regna regnis ſuccedunt: haud ſecus errores ſuccedũt erroribus; nullus tamen error unus perpetuus fuit. At religio catholica eſt perpetua, & eiuſdem ſum ego fidei cum Adamo, eiuſdem cum Prophetis, cum Apoſtolis, & ſic deinceps ſine interruptione ætatum, & temporũ. Ergo religio catholica eſt uera, quæ inualeſcit, & obtinet in ſæcula ſæculorum, & quæ una cum ætatibus hominum inueterari non potuit. Atque hoc pacto ex perpetuitate noſtræ fidei veritas illius nulla cum alijs facta collatione conſpicitur.

Veritas Catholica collata cum alijs.

IAm conferamus, atque à cæterarum non perpetuitate eam firmiùs comprobemus. Conuertamus uerò diſputationem in primis ad ſectarios. Hi ante Lutherum, & Caluinum in mundo non erant, nullibi eorũ profeſſio, & fides, ſed ut Cyprianus epiſt. 26. loquitur, nemini ſuccedentes à ſe ipſis nuper *orti ſunt*. Eia dicite, ubinam eratis? Fruſtra eſt quod latibulorum amatores ad latentem anteà Eccleſiam confugiatis. Veræ religionis, & fidei, ac Eccleſiæ Chriſti ſignum eſt ueritas ſcripturarum, ac recta adminiſtratio Sacramentorum. Vos dicitis. At vera ſcriptura, veſter ſenſus, veſter vſus Sacramentorum nullibi erat: atque hoc eſt vobis, ac vniuerſo mundo manifeſtum. Ergo veſtra religio non eſt vera religio; veſtra fides non eſt fides Chriſti, quæ, vt eſt demonſtratum, numquam à mundo defuit; vos 397

au-

Digitized by Google

autem non die, vel anno, sed omnibus retrò sæculis defuisse. Ecclesiam deindè esse visibilem: veram religionem esse in mundo agnoscibilem, imo veram scripturâ per veram religionem inuenirj,commôstratum est. *Ad quos* proindè *meritò dicendum est*, inquit Tertullianus, *qui estis? quando, & vnde venistis? quid in meo agitis, non mei?* quo denique Marcion, quo Luthere, *iure siluam meam cædis? Mea est possessio: olim possideo:prior possideo.* Et superiùs. *Ante hæreses quam vera doctrina? Sed enim in omnibus veritas imaginem antecedet: posterius similitudo succedit.Posterior res nostra nõ est: imò omnibus prior est: hoc erit testimonium veritatis vbique occupantis principatum.* In perpetuitate deindè veræ religionis demonstranda exhibuimus nuper contra sectarios argumenta manifesta, quæ à quolibet etiam rusticissimo intelligi queant. Idcircò inexcusabiles sunt omnes sectarij:quia vel vltrò errant, vel vltrò ignorant. Excusa porrò est centies ad totius scripturæ examen vana prouocatio: & qua parte scripturæ agere hìc licet, nos expressis locis Ecclesiam perpetuam, atque inuictam demonstrauimus.

398 Mahometani mox succedant eodem argumento reuincendi. Hæc enim non tam religio, quam tyrannis, quæ homines hominum officijs, & ratione priuat, ante annos vix mille cum Mahometo nata nuspiam eatenus fuerat; nec ea, vt de Christiana ostendimus, resumpsit doctrinam totam religionis, quæ antea fuisset; non enim Christianam,vt patet: nec Mosaicam, nec Gentilicam,quod est euidens: ergo post quinquaginta,ac plura mundi sæcula cæpit esse: ergo est falsa. Potest quidem Deus uariato rerum statu leges quoque mutare aliquas; potest cum à principio sufficientia reuelasset, noua in dies reuelare: at semel reuelata nequit vel abrogare, vel improbare, nisi, quod dicere blasphemum esset, se prodat vel mendacem, vel ignorantem. Vel ergo Deus ante Mahometum prouidit hominibus, vel secus? Si non prouiderat? nec fortè modò prouidet; nullibi est fortè uera religio, & hùc redeunt nuper discussa. Quod si prouiderat: ergo sufficientem doctrinam reuelauerat:ea ergo uel erat doctrina Christianorum, uel doctrina Hebræorum? & nunc alterutrã tenen-

Mahometus explosus

Digitized by Google

tenentur credere. Eam, aiunt, ad ipsos non pertinere. Cæterum aliud est lex, & aliud doctrina: quidquid ergo legibus nostris non obligentur, sed nouas prioribus abrogatis per Mahometum habuerint, at impium est, quæ Deus pridem etiam dixerat, non credere, ut est manifestum. Ergo dicant, quænam doctrina illa esset, quæ ante Mahometum saluabat homines? At illa in primis nunc quoque credenda uenier. Illa deindè, quãcumque designauerint, ipsos oppugnat. Atque hac de causa, ut Augustinus passim differit, Ecclesia Christi contra Manicheos, & alios totam doctrinã legis haud minori fide colit, quam euangelia. Hanc Dei erga homines prouidentiam, hanc proindè ueræ religionis perpetuitatem haud negauit, sed agnouit Mahometus, fassusque est Moysem, & Christum ueros fuisse Dei Prophetas. Ergo illis credendum est, & caditis. Mahometus deindè nõ se Deum fecit, sed Prophetam: at fatetur, alios quoque Prophetas prius uenisse: ergo uel omniũ eorum dicta sunt credenda, uel nullius: quid enim Mahometo credere tenear, nisi quia Propheta est? ergo ipsamet de causa alijs quoque teneor credere: at si alijs credam, ipsi credere prohibeor; cum doctrina Euangeliorum, ac Prophetarum pugnet cum Alcorano.

Gẽtiles diffe rti.

Ad Gentiles uenio, quos frustra actuosè insequar; iam enim interitu suo uanitatem suam mundo prodiderunt: nullibi Iuppiter, nusquam Mauors, & tãta illa Numinum turba auditur, colitur, celebratur; contabuerunt diuturnitate temporum. Supersunt quidem apud barbaros idololatriæ genera uaria: at uiuunt per extremã ignorantiam: nulla una idololatriæ religio cum mundo nata uspiam durat, sed alij alijs succedere erroribus. Deindè gentes Deos colunt, qui, cum prius non essent, post alios homines ex Patre, & Matre geniti uixere: ergo eorum religio perpetua haud fuit: nos utique nouos etiam colimus Sanctos: at minimè Deos, sed Dei æterni, ad cuius cultum substantia tota religionis nostræ dirigitur, gratos famulos, & amicos; Christum quoque colimus natum ex Matre in tempore, sed ante sæcula genitum, æternum, ac Patri cõsubstantialem: quod cum ad doctrinam fidei pertineat, examinandum haud sit, sed credendum. Hùc porrò confugere nequeunt Gentiles

399

Digitized by Google

tiles, qui, cum Deos colant homines, qui ignorare proindè queant, & fallere; uel arbores, uel muta animalia, qui nihil loquantur, omni doctrina carent citra examẽ credenda. Sed quid Leoni mortuo insultemus? *Gentilitas enim* (inquit Chrysost. lib. cont. Gent.) *per vniuersi terrarum orbem latissimè cum patuisset, mortaliumque omnium animos occupasset, postea ita, vt videmus, post tantum robur, atque incrementum, ipsius Christi virtute dissipata est.*

400 Ergo, ut fatear ingenuè, solis Iudæis hoc in puncto mussitare licet; qui dicent, à se coli religionem cũ ipsomet mundo exortam, ac omnium antiquissimam, ideoque veram. Tota eò lis deuoluitur, vtri, an nos, an ipsi fidei Prophetarum veri successores existamus: & largimur interea vltrò eis successionem carnalem: patet porrò vtrosque, cum pugnemus vicissim, successores illius fidei haud esse, sed alios, vel alios. At non ipsi: qui Messiam à Deo promissum, ac Dei Filium occiserunt, vt infra clarè commonstrabo; at non ipsi, quorum religio nullam habet formam credendi certam, vt ostendi supra: at non ipsi, quorum religio nulla est religio: quæ scilicet caret partibus præcipuis religionis, sacrificio, sacerdote, templo, quorum nihil extra Hierosolymam ex lege permittitur: at non ipsi, cum quibus videmus, modum se gerendi vniuersum à Deo mutatum, ac proinde ipsos abiecisse; nam Regibus, Iudicibus, Prophetis, miraculis, quibus nec in ipsis quidem captiuitatibus eos deltituerat, iam sæculis sexdecim ipsos destituit; omnemque formam cernimus inuersam: aliquando ergo populus iam non populus. Non denique ipsi; nam Christus manifestis operibus, & signis, & prædictionibus se à Deo missum coram ipsis demonstrauit, vt infra differemus. Nos ergo legitimi successores existimus: nostraque proindè sola religio perpetua, inuicta, vera est.

401 Ex his iam omnibus æquum quemque verum æstimatorem, ac æternæ salu[illegible]emorem conuenerim, & rogauerim, vtrum in ani[illegible]lucere queat, aliquam fortè earum sectarum, qu[illegible] extabuere, & quæ iam supersint nuspiam, fore veram fuisse, nullibique iam extare veram religionem? vel au persuadere sibi

Digitized by Google

valeat, nondum à Deo glorioso datam mundo veram religionem, atque salutis viam, sed dandam post aliquando, vbi placebit? Quod si nemo verus religionis vllius cultor inducere id in animum potest, quascunque ad id causas assumat, quæcumque iura inspiciat, id ipsū necesse est, fateatur de præteritis quoque temporibus. Vndè cum nullam aliam præter nostram inueniat in mundo perpetuam, ad nos, spero, veniet, si factionibus depositis saluti suæ consulere volet.

QVAESTIO XXIV.

Vtrum independenter etiam à præditis omnibus, manifestè probetur Christianæ, & Catholicæ religionis veritas ex modo propagationis ipsius?

COmmonstrauimus à principio operis, dari in mundo veram aliquam religionem, dari Deū, dari prouidentiam: doctrinam veræ religionis esse diuinam, & certò, ac facilè discernibilem, & inuenibilem; atque ex his intulimus, & concluſimus, solum esse veram Christianam religionē, & inter Christianas Catholicam. Age verò nil supponamus huiusmodi; nondum constiterit esse Deum, vel si est, rerum nostrarum gerere curam: vel dari vllam veram religionem in mundo: ecce adhuc Christiana religio sese verā demonstrat manifestissimè; atque ex hoc consequenter habentur cuncta illa, nimirum & dari in mundo veram religionem, & dari Deum, & dari prouidentiam, & doctrinam religionis esse diuinam, à Deoque traditam. 402

Nunc dicēdis dicta cuncta probantur.

Quemadmodum enim, quando Princeps aliquis legatū mittit ad alium, iam aliundè erat apud istum cognitio illius, & constabat eum regnare in mundo Principem, & mox eius legatus & dignè excipitur, & colitur, & auditur;

Digitized by Google

ditur; licet tamen nil constaret eiusmodi, & esset in mundo nunc Rex aliquis potentissimus, cuius nulla sit pœnes nos cognitio, & ille tam ingenti apparatu legatum ad Regem nostrum dirigeret, v. g. cum magna classe multo instructa milite, regijs muneribus, & ita demùm, vt nemo eorum Regum, quos nouimus, tale quidpiam moliri valeat, iam ex hoc ipso constaret, & dari in mundo talem Regem, illumque esse potentissimum, & legatus magno cultu exciperetur, & audiretur: illeque sua primùm legatione nobis innotesceret. Sic erat anteà apud nos, & in terris constans, & celebris Dei, eiusque prouidentiæ fama, cognitioque, & consequenter tenebamur quemlibet ab ipso missum, qua par erat reuerentia, colere, & audire; iam verò, licet nulla prior fuisset cognitio, ea demùm præditum potestate misericors Pater misit ad nos Filium suum Vnigenitum Iesum Christum, qua manifestissimè mundo ostenderet, se non ab alio, quam à Deo, esse missum, nec alia, aut minori, quam diuina virtute esse præditum; & consequenter dari Deum, dari prouidentiam, & doctrinam suam esse diuinam. & veram. Id verò fecit ita mundo manifestum, vt proculdubiò sit facilè volenti veritatẽ inuenire, & plusquam euidenter constet, quæ sit in mũdo vera religio. Ex quo cernitur præcedẽtium quæstionum, & mox dicendorum, hoc est, rationis naturalis, & Christianismi concordia, & consonantia mirabilis, & quantum sese iuuent vicissim, atque confirment: & licet dicenda ex dictis simplicitèr non dependeant, disponunt tamen, quæ diximus, ad sequentium facilioré, expeditioremque intellectum.

403 Cum porrò Christiana religio innumeris abundet medijs, quibus suam veritatem supra omnem opinionem, supra omnem probabilitatem ostendat, illud tamen est inter omnia percelebre, & perualidum, quo Sancti Patres, quo Theologi pœnè omnes fidentissimè vsi sunt, & sumitur ex qualitate doctrinæ Christi, & ex modo, quo per vniuersum orbem propagata est: cernitur enim manifestè, talem doctrinam tali modo, talibusque medijs per orbem propagari nulla alia virtute potuisse, quam diuina.

Diuina uirtus necessaria ad propagandam Christi doctrinam.

Digitized by Google

Explicatio, & probatio.

QValitas doctrinæ, vt cum S. Thoma distinguunt Theologi, continet summè difficilia ad credendum, vt Deum trinum, & vnum; Deum hominem factum, & crucifixum, peccatum originale, seu peccatum sine propria voluntate contractum, & huiusmodi permulta; summè alta ad sperandum, quæ scilicet nec oculus vidit, nec auris audiuit, & ijs omnibus, quæ mundus sectatur, & amat, plusquam toto cœlo dissimilia, & oppositæ, ac nullatenus carnalia, sed spiritualia; ac denique summè ardua ad operandum; vt satis mundo innotescit, ac liquet ex Decalogo, & reliquis præceptis, & consilijs seruatoris Christi, atque Discipulorum. Modus propagationis fuit, quod illa facta sit per Apostolos, ac Discipulos Christi, scilicet per homines, qnantum ad humana omnia spectat, ineptissimos, summè ignobiles, & ignorantes, & pauperes, amicitijs, & omnibus, quæ in mundo habentur in pretio, vndique destitutos. Propagatio autem facta fuit per vniuersum fermè mũdum, acceptaque tam difficilis doctrina à numero propè infinito hominum, nec ab indoctis solùm, ac simplici populo, sed etiam à doctissimis, nec apud barbaros solùm, sed Athænis etiam, ac Romæ, quæ tunc temporis orbi dominabatur plus fortè sapientia, quam armis. 404

Ex hoc facto omnibus manifesto, & noto sumitur propagationem istam nisi Deo Autore, & supra naturæ vires omnes operante fieri non potuisse. Primo, quia nil tale, aut simile factum est vnquam naturaliter, & de se apparet hanc non fuisse ex ijs rebus, quæ secundum naturæ communem ordinem, & modum contingunt. Deindè quia effectus prædictus est proculdubio maximus: causæ autem humanæ, & naturales ad illum adhibitæ ita exiguæ, ac debiles, vix vt aliæ excogitari, vel concipi queãt eum in effectum magis debiles: quæ duo videntur indubitata: at per causas summè debiles, ac minimas maximos effectus operari solus potest Deus omnipotens, qui eas eleuare valet, aliaque, & non natura- 405

Effectus maximus requirit causas maximas.

Digitized by Google

turali, neque humana, sed maiori virtute donare. Similiter ex fine arguitur; nam finis præstantissimus nisi per præstantissima media non obtinetur communiter, & vniuersaliter: ad prædictum autem finem propagationis tam difficilis doctrinæ media adhibita, in quantum ad humanam, & naturalem sufficientiam, erant ineptissima, & improportionatissima: ergo nisi Deus altiori, & diuina virtute adfuisset, prorsus fuisset impossibile talē finem obtinere.

406 Dicas namque alioquin, ignorantissimos, & illiteratissimos Aduocatos, ac pœnè barbaros valere plurimum apud sapientes etiam Iudices, hosque in sententiā suam, etiam difficillimam, ac inauditam passim trahere: & similes etiam oratores, & concionatores sine vlla scientia, sine dicendi peritia, sine modo, doctiorū etiam populos mouere, accendere, flectere, conuertere: at nil videmus in mundo huiusmodi, sed cōtraria potius omnia. Ergo hi effectus ex causis eiusmodi naturaliter non proueniunt. Et idcircò litterarum, linguarum, ac Rethorices peritia iudicio omniū hominum vtilis censetur eos in fines: omnes similiter magno labore, & sudore eam nituntur comparare: quicunque litem habet difficilem, optimos, & eloquentissimos aduocatos quærit: quicumque negotia ardua vult expedire, quærit similiter homines sagaces, & industrios, atque amicis valentes: ex his autem, qui prædictis omnibus carent, nil sperat genus humanum. Ergo iudicium generis humani est, per homines ita inhabiles magnum adeò negotium geri non posse. At videmus per homines quantum ad prædicta omnia summè inhabiles gestum fuisse difficile adeò negotium, non vno in loco, nec vno in regno, vel apud barbaros, sed apud omnes, & vbique terrarum. Adfuit ergo altior, & diuina alia virtus. Rursus: si Christus Dominus loco duodecim Apostolorum, duodecim pueros misisset in mundum, illumque fermè totum in tam difficilem, & inauditam sententiam, ac religionem traxisset, nemo, credo, dubitaret, eam conuersionem, & mutationem, non humanitùs, sed diuinitùs, non naturaliter, sed supra naturæ vim omnem fuisse peractam. At idem est in substantia, quod per Apostolos fuisset peracta: quemadmodum idem est, quod miles strenuus in

duel-

Digitized by Google

duello vel à puero, vel ab infirmo, & inhabili homine superetur: idem similiter, quod in schola eximius Magister vel a puero, vel ab ignorantissimo homine vincatur; quid enim ad persuadendum interest, quod puer sis, vel senex ignorantissimus, ac vndique contemptibilis?

Denuò: si Christus Dominus oues aliquas, & agnos 407
immisisset in siluas plenas lupis, & hæ oues, & hi agni vicissent lupos, nemo dubitaret, hoc non fuisse factum naturaliter: at quicunque conditionem, & pauperiem, & naturalem insufficientiam, & impotentiam Apostolorum considerabit, planè comperiet, verissimè à Christo dictum Matth. 10. *Ecce ego mitto vos, sicut oues in medio luporum*: & Lucæ 10. *Ecce ego mitto vos, sicut agnos inter lupos*; scilicet, ut ibidem iubet, sine sacculo, neque pera, neque calceamentis, & sicut homines omnium miserrimos: cum ergo ab his ouibus, & agnis superati sint lupi, & vbique magna ex parte destructa idola, & innumeri in ipsorum opinionem adducti; patet manifestè, hoc non naturaliter, sed diuina, ac sublimi virtute fuisse peractum. Quicunque enim es, qui his haud moueris, & adeò magna, atque præclara tecum reuoluis, versasque in cerebro, quantumuis potentissimus sis, & vel etiam Princeps, aut Rex, & ingenio, & acumine potens, adnitere per administros adeò ineptos tale quidpiam exequi in mundo: adnitere, vt vel vnum regnum, vnaue prouincia tuis addatur, tibique pareat: nō credo, tentabis, quia nemo, vt est in paræmia, mouetur ad impossibile. At Christus Dominus non vnam prouinciam, vel regnum in sui cultum, & adorationem attraxit, sed innumera: ignorat autem nemo non faciliùs, sed difficiliùs multò nouam religionem, quam nouum Regem admittit; acriùs ubique pro religione, quam pro Rege: multò pro aris ardentiùs, quam focis etiam ipsis pugnari, vt ex historijs omnibus liquet: & toties vltrò contra Regem pro religione pugnatur; contra religionem autem pro Rege nullibi, saltem palam, & vltrò. Patet ergo manifestissimè, tam, & magis fuisse impossibile, quod Christus Dominus naturaliter per Apostolos tot gentes in sui cultum, & doctrinam conuerteret, quā esset impossibile, vt Rex noster missis duodecim, vel cētum piscatoribus sine pera, sine sacculo, & quales in-

sum-

Digitized by Google

summa Apostoli quoad humana erant, Regnum Galliæ in sui obedientiam adduceret. Illud ergo nisi diuina, ac potentissima virtute fieri non potuit.

408 Ex his liquidò cernitur, propagationem istam doctrinæ Christi ea proculdubio ratione, ac modo effectam esse, quo nobis narratur in Euangelio, & scriptura, vt Marci 16. *Euntes in mundum vniuersum prædicate Euangelium omni Creaturæ, &c. signa autem eos, qui crediderint, hæc sequentur: in nomine meo Dæmonia eijcient, linguis loquentur nouis, &c. Illi autem profecti prædicauerunt vbique, Domino cooperante, & sermonem confirmante sequentibus signis.* Atque hoc in summa idem in Euangelio, & in Actis Apostolorum, atque in epistolis Pauli multoties repetitur. Id autem verum esse liquet, quia aliter, aut alio modo fieri ea propagatio non potuit.

409 Vt porrò discursus factus magis, ac magis cõmuniatur, supereſt, quod summorum virorum ponderationes aliquas adiungamus. Augustinus l. 22. de Ciuit. Dei c. 5. sic edisserit. *Sed hoc* (ideſt resurrectio mortuorum) *incredibile fuerit aliquando: ecce iam credidit mundus, sublatum terrenum corpus Christi in cælum, resurrectionem carnis, & ascensionem in supernas sedes, paucissimis remanentibus, atque stupentibus, vel doctis, vel indoctis, iam crediderunt & docti, & indocti. Si rem credibilem crediderũt, videant, quam sint stolidi, qui non credunt. Si autem res incredibilis credita est, etiam hoc vtique incredibile est, sic creditum esse, quod incredibile est.* Et paucis interpositis. *Et ipse modus, quo credidit mundus, si consideretur, incredibilior inuenitur. Ineruditos liberalibus disciplinis, & omninõ, quantum ad istorum* (scilicet Gentilium) *doctrinas attinet, impolitos, non peritos grammatica, non armatos dialectica, non rethorica inflatos piscatores Christus cum retibus fidei ad mare huius sæculi paucissimos misit, atque ita ex omni genere tam multos pisces, & tantò mirabiliores, quantò rariores etiam ipsos Philosophos cepit.* *Augustini confirmatio.*

410 Quo loci, vbi de piscatione sermo incidit, mirabilem mihi consonantiam facit illa euangelica historia Lucæ 5. quod scilicet ibi materialiter gestum legimus, typus est piscaturæ hominum, firmãs, quod probamus: *vt cessauit autem loqui, dixit ad Simonem: duc in altum, & laxate retia vestra in capturam. Et respondens Simon dixit illi;*

Digitized by Google

illi: Præceptor, per totam noctem laborantes nihil cepimus: in verbo autem tuo laxabo rete; & cum hoc fecissent, concluserunt piscium multitudinem copiosam: rumpebatur autem rete eorum, & annuerunt socijs, qui erant in alia naui, vt venirent, & adiuuarent eos; & venerunt, & impleuerũt ambas naiculas, &c. Mox refert omnes stupefactos, & *ait ad Simonem Iesus; noli timere; ex hoc iam eris homines capiens.* Ex quo sic; difficilius est, atque incredibilius, pauperes piscatores tot hominum millia ad tam nouã, ac inauditam doctrinam traxisse, quam eam piscium multitudinem cepisse: vbi paulò ante, tantoque labore nil capere valuerunt; at hoc in nomine Christi, & virtute eius laxando retia effecerunt, si fecerunt, nec aliter, nec naturaliter facere potuerunt, ergo cum primum illud, vt totus mundus est testis, iam fecerint, omni proculdubio in nomine Christi, atque in virtute diuina laxarunt retia, nec aliter eam conuersionem efficere potuerunt. Rursus: quia totus mundus videt prædictionẽ Christi fuisse ipso euentu verificatam; prædictionemq; fuisse de re satis incredibili, nec humano modo sperabili: ergo euentus probat, & illam prædictionem non humanam fuisse, sed diuinam, & capturam illam adeò miraculosam piscium veram esse, & vice versa ex captura miraculosa piscium, & ex prædictione similiter diuina elicitur denuò manifestius, capturam, seu conuersionem hominum fuisse miraculosam, & diuinam. Demùm; si vt Apostoli tota nocte in piscando laborarunt suæ industriæ relicti, sic sine alia virtute missi per mundum fuissent, quid illos dicturos speramus? Nõne quod refertur? *Præceptor, per totam noctem laborantes nihil cepimus*: Romæ, Athenis, & vbique prædicauimus: sed nemo nos audit: ridemur. In nomine ergo Christi, atq; in virtute Altissimi retia laxando, *ex omni genere tam multos pisces, & tantò mirabiliores, quantò rariores etiam ipsos Philosophos ceperunt*, Dionysium Areopagitam, Clementem Romanum, &c.

Sublimis Augustin. alia ponderatio.

Ceperunt autem; quia tot stupendis signis, quæ dicebant, confirmabant, vt in actis ipsorum perhibetur. *Quæ si, vt leguntur* (vrget Augustinus vbi supra) *gesta esse concedunt, ecce tot incredibilia tribus illis incredibilibus addimus, & vt credatur vnum incredibile de carnis re-* 411

surre-

Digitized by Google

surrectione, multorum incredibilium testimonia tanta congerimus. Si verò per Apostolos Christi, vt eis crederetur resurrectionem, atque ascensionem prædicantibus Christi, etiã ista miracula facta esse, non credunt; hoc nobis vnum grande miraculum, sufficit, quod eam terrarum orbis sine vllis miraculis credidit. Nil planè grandiùs, nil concludẽtiùs dici potuit, aut excogitari. In eamdem sententiam, & sensum loquuntur Patres alij, & idem Augustinus alijs in locis, Damascenus lib. 4. fide. orthod. c. 4. Iustinus Martyr apolog. 2. pro Christian. Chrysost. Lactantius; ac multi alij. Sed omittenda haud est ponderatio viuida Arnobij l. 1. contra gentes. *Sed non creditis gesta hæc; sed qui ea conspicati sunt fieri, & sub oculis suis viderunt agi, testes optimi, certissimique authores, & crediderunt hæc ipsi, & credenda posteris nobis haud exilibus probationibus tradiderunt. Quinam isti sint, fortasse quæritis? Gentes, populi, nationes, & incredulum illud genus humanum: quod nisi aperta res esset, & luce ipsa, vt dicitur, clarior, numquam rebus huiuscemodi credulitatis suæ commodaret assensum.*

Multiplex Chrysostomi confirmatio.

412 AT verò ex aureo illo Chrysostomi sermone, *quod Christus sit Deus*, quandoquidem omnia non possumus, partem tamen aliquam adiungamus; nec prolixus videar, vbi non de partibus quantitatis, aut de existentia materiæ, sed de puncto illo agitur, quod totius Christianismi, & vitæ humanæ fundamentum est. Sic ergo ille prædictionem quamdam Christi assumens, & illius in fundanda Ecclesia euentum, ac modum, rem istam facit, vt putat, adeò manifestam, vt nullus queat contradicere, nisi valdè insanus sit, & totus stupidus, naturæque sensu priuatus. *Et vide* (inquit) *quid dicam? Duodecim erant Discipuli sequentes ipsum, & Ecclesiam referebant, quamuis nullus tunc eam mente conciperet; quandoquidem nec nomen Ecclesiæ erat, sed florebat synagoga. Quid igitur dicit? Orbe fermè toto in impietate detẽto prædixit: super petram hanc ædificabo Ecclesiam meam, & por-*

Digitized by Google

tæ inferi non prævalebunt adversus eam. Examina, quòd hoc sibi verbum vult, & videbis perspicuum eius veritatẽ: nam non solùm hoc mirum est, quod ædificauit eam per totũ mundum, sed quia inuictam fecit, & inuictam, licet tot bella insurgant. Hoc enim est, quod portæ inferi non prævalebunt aduersus eam: pericula ait, quæ mortem generant: pericula, quæ ad infernum deducunt. Vidisti prædictionis veritatem? vidisti euentus certitudinem, ac robur? vidisti verba in operibus relucentia, & virtutem absque armis omnia conficientem? Ne ideò, quia paucis dicitur, ædificabo Ecclesiam meam, transcurras obiter, sed considera, & cogita tecum, quid sit in tam breui tempore omnem sub sole terram, tantis Ecclesijs impleri, tantas gentes ad fidem transferri, populos persuaderi, vt patrias leges irritent, consuetudinem radicatam reuellant, altaria, & templa, & statuas, &c. & excitent altaria vbique gentium in regione Romanorum, Persarum, Scytharum, Maurorum, Indorum, &c.

Magna res foret, & excellentèr magna, diuinæq; vir- 413
tutis, etiam si nemo interturbaret, esset que pax summa, & multis simul adnitentibus, & reluctante nullo posse intra tam breue tempus totum orbem à consuetudine sua mala, qua præoccupatus fuit, liberari, & ad aliam induci. Verum hoc multò maius, quod non solùm in aliam inducitur, sed in multò difficiliorem; non enim solùm diuersa cõsuetudo erat, sed voluptate firmata. Duo violenta. Quæ enim acceperat à Patribus, auis, & proauis, & Philosophis, & Rethoribus, ea respuere docebatur; quod sane difficillimum erat: at difficilius, nouam accipere consuetudinem, quæ nuper irrepserat, eamque valdè laboriosam. Abduxit enim Christus à voluptate, & induxit ad ieiunium; abduxit ab amore opum, & induxit ad amorem paupertatis, abduxit ab ira, & induxit ad mansuetudinem, abduxit à via lata, & spatiosa, & induxit in angustam, & arctam, & præruptam; & induxit assuetos viæ latæ: neque enim alios homines extra consuetudinem huius mundi viuentes assumpsit, sed illos ipsos, qui in talibus vitijs compluerant, & luto molliores erant, iussit, vt arctam viam, asperamque illam, & duram ambularent.

Et persuasis eis? Quot autem persuasit? Non duobus, 414
vel decem, vel centum, sed omnibus fermè sub sole habitantibus. Et per quos persuasit? Per viros duodecim illiteratos,

Digitized by Google

tos, priuatos, ineloquentes, obscuros, pauperes, patria, robore corporis, præcellentia gloriæ, vehementia rethorices, eminẽtia scientiæ carentes, per piscatores, per pelliones, per barbaros, & alterius etiam linguæ, scilicet hebraicæ. *Neque hoc solùm mirabile, sed quod non hoc in pace fecerunt, sed infinitis bellis hinc indè excitatis: nam in vnaquaque gente, ac ciuitate, & quid dicam, ciuitate? in singulis domibus gerebatur bellum: radicata enim hæc doctrina & puerum, sæpè à Patre diuisit, & nuptam à socru, & fratrem à fratre &c. neque enim simul omnes crediderunt. Videbatur hæc doctrina contraria præceptis regijs, & patrijs moribus; desistendum à prophanis præceptis, ridendas solemnitates, & credendum in natum ex Maria, & crucifixum, & ductum ad tribunal Præsidis, consputum, & infinita alia passum, &c. Verumtamen & eam dicendo persuaserunt, sicque Ecclesiam ædificarunt. Quo pacto, & qua ratione? Virtute eius, qui iussit; ille enim præuius omnia faciebat: nisi enim diuina quædam virtus effecisset, nequaquam hæc vel principium, vel præludium accepissent; quo enim modo ille dixit, fiat cælum, & monstrauit opus, eodem modo, & idem Ecclesias illas fundauit; & verbum hoc, ædificabo Ecclesiam meam, hæc omnia operatum est. &c.* Hactenus ex Chrysostomo omissis propè infinitis alijs eius confirmationibus, & reflexionibus, vt quod plus fecerit Christus post mortem, quam dum viueret, vt ostenderet, se non humana, sed diuina virtute agere; quod Apostoli priùs, & à se ipsis tales essent, & adeò timidi, vt uel ad vnam ancillæ interrogationem Petrus defecerit, omnes fugerint, &c. Concludat ergo ipse: *nullus itaque his contradixerit, nisi quis valdè insanus, & totus stupidus sit, naturaque sensu priuatus.*

415 Iam iterùm Augustinus lib. de uera, & falsa religione c. 3. vel hos etiam stupidos permoueat. Si enim priusquam Christianam fidem mundus complecteretur Philosophorum Plato, vel alius etiam interrogatus fuisset, vtrum censeret id, quod satis ponderauimus, & explicuimus, fieri posse: *respondisset* (inquit) *non posse hoc ab hominibus fieri, nisi quos ipsa Dei virtus, atque sapientia commendasset, vt omnia contemnendo, quæ praui homines cupiunt, & omnia perpetiendo, quæ horrescunt, genus humanum ad tam salubrem fidem summo ardore, atque autho-*

Digitized by Google

uitate conuerterent. Cum ergo iam id totum peractum sit, adfuit proculdubio præsentissima Dei virtus, atque sapientia supplens instrumentorum suorum insufficientiam, improportionemque summam.

Pauli profunda probatio.

Totam porrò probationem istam confecerat omnium efficacissimè S. Paulus 1. ad Corinth. 1. *Quia in Dei sapientia non cognouit mundus per sapientiam Deum, placuit Deo per stultitiam prædicationis saluos facere credentes; quoniam & Iudæi signa petunt, & Græci sapientiã quærunt; nos autem prædicamus Christum crucifixum, Iudæis quidem scandalum, gentibus autem stultitiã, &c. Quia quod stultum est Dei, sapientiùs est hominibus, & quod infirmum est Dei, fortiùs est hominibus. Videte enim vocationem vestram, fratres; quia non multi sapientes secundum carnem, non multi potentes, non multi nobiles, sed quæ stulta sunt mundi, elegit Deus, vt confundat sapientes, & infirma mundi, elegit Deus, vt confundat fortia, & ignobilia mundi elegit Deus, & ea, quæ non sunt, vt ea, quæ sunt, destrueret*. At confundere, & superare sapientes per stulta mundi, & fortia per infirma per virtutem mundi, & naturalem fieri non potuit: ergo altiori, & non mundi, sed Dei virtute effectum fuit. Deindè re ipsa Apostoli quoad humana omnia, & quoad mundum nihil planè erant: contra vero sapiẽtes, & nobiles mundi magnum quid erant; ergo verum est, destructa fuisse ea, quæ erãt, per ea, quæ nil planè erant: hoc porrò euidens est, virtute ipsorum fieri non potuisse? ergo factum fuit diuina virtute, & præter, ac supra omnem mundi spem, & potentiam. Materia porrò, in qua fortia per infirma superata sunt, & deuicti sapientes per stulta mũdi, nequit viuidius, & verius proponi, quam proponatur à Paulo; erat enim credere in Christum crucifixum, qui Iudæis scandalum videbatur, & Gentibus stultitia; post autem per stulta mundi persuasi sunt, illum esse Filium Dei. Modus verò, vt ait Paulus, fuit per stultitiam prædicationis; ideſt, non per syllogismos, & efficaces rationes differendo, sed nudè proponendo, referendo, atque narrando, vt ex actis Apostolorum constat. Nihil est ergo, nec in substantia, nec in circumstantijs, quod palam nõ prodat, sola Dei, illaque summè mirabili virtute factum fuisse, vt mundus crederet in Christum crucifixum. 416

Cæte-

Digitized by Google

Cæteræ religiones haud fundatæ diuinitùs.

417 QVæ demùm omnia confirmantur à contrario, & simul oſtenditur ſolam religionem Gatholicam eſſe veram inter Chriſtianorum ſectas omnes. Etenim niſi in meridiana luce cæcutire placeat, innotuit iam ſatis mundo: quantum homines, vel Dœmones valeant in inſtituendis, propagandiſque religionibus, & indè palàm conijcere poteſt, à ſolo Deo inſtitui, propagarique modo dicto potuiſſe Chriſtianam religionem.

418 Vt enim à Gentilibus exordiar, ipſi in primis ratione agebant, nec quæ non probabantur, admittebant ſaltem ſapientes; quin ideò Moyſem contẽnebant, quia ſolùm narrabat, & probabat nihil. Deindè innitebantur ſapientium iudicio, & authoritati: & quæ ipſi admittebant, erant valdè humana, & noſtris his rebus ſimilia, corporalia, & ſenſibilia. Et ita apud Gentes nil inuenitur, quod diuinam virtutem redoleat, aut vllam ſimilitudinem habeat cum ſubſtantia, & modo propagationis doctrinæ Chriſti: & hoc quaſi oculis cernitur ipſis. *Gentes.*

419 Succedit Mahometes, qui magnam ſanè mundi partem ad ſe traxit. Sed qua virtute? Armis, & ingenti exercitu, multiſque victorijs. Hoc autem pacto homines ſubijcere, valdè humanum, & naturale eſt. Addebat etiam voluptatum eſcam; abduxit itaque homines à via arcta ad latam, ſpatioſam, & iucundam; non, vt Chriſtus, à voluptuoſa ad præruptam. Deindè Mahometes non infirma mundi elegit, ſed duces fortes, ipſeque fuit potentiſſimus Omnia ergo ſunt toto cœlo diſſimilia. *Mahometani.*

420 Iam relictis propè infinitis hæreſibus, quæ contabuerunt, & ipſo ſui interitu falſitatem ſuam manifeſtãt, accedo ad ſectas præſentium hæreticorum, & modo velint ponderationem S. Pauli ingenuè, & attentè conſiderare, videbunt vocationem ſuam non Chriſti, ſed hominum, & nimis humanam fuiſſe; nam ſcimus, & ſcitis vos *Sectarij.*

ipſi

Digitized by Google

Ipsi per multos sapientes secundum carnem, per multos nobiles, per multos potentes nouitates vestras institutas, & stabilitas. Habuistis enim, qui oua poneret, Erasmum, in mundi sapientia percelebrem; Lutherum, Caluinum, Zuinglium, & multos huiusmodi sapientes secũdum carnem; habuistis nobilium, & potentium multitudinem, in Germania Saxonem, Palatinum, & alios, in Anglia, qui primus religionem catholicam reiecit, Hẽricum 8. Regem, in Belgio Orangium, in Gallia Ioannam Nauarræ Reginam. Quæ autem causæ hos permouerint, est in mundo satis manifestum: Orangius nouũ Principatum affectabat, Henricus nouam vxorem conquirebat; Ioanna odio ferebatur in Romanum Pontificem propter amulum regnum. Deindè his, & omnibus proposita fuit exemptio à Romano Pontifice, & potestas omnis in suos, & præda redituum Ecclesiasticorum. Concessum etiam religiosis omnibus, vt claustra relinquerent, vxores ducerent; fideles omnes à cõfessione, à pœnitentia, à ieiunio, à decimis absoluebantur. Hoc ergo fuit, quod etiam Mahometus fecit, à via arcta in amplam, & iucundam abducere homines, idq; beneficio, & auxilio sapientium, nobilium, & potentiũ. Vestrarum ergo sectarum institutio, & propagatio, vtpotè Mahometanæ consimilis, discrepat à vocatione, & institutione Christianorum quãtum humana, & carnalia discrepant à cælestibus, nec quidquam est, in quo diuina virtus, & cooperatio reluceat.

At dicitis: nos veram illam doctrinam Christi, & religionem renouaui nus; quæ iam satis principio innotuit veram, & diuinam esse, nec denuò necessaria fuere miracula, aut signa noua diuinæ virtutis: & ad examen doctrinæ nos prouocatis. Sed verò in primis demõstratum est, solùm per examen doctrinarum esse impossibile; certè esse illegitimum, & immensum veram religionem discernere. Deindè Christus hoc idem allegare potuit, se doctrinam illam adducere, quæ in Prophetis erat: Prophetarum autem veritatem satis fuisse à Deo confirmatam; & nil amplius necesse esse, nisi, quod doctrina sua cum Prophetis conferretur. Et tamen non hoc fecit, sed modo dicto doctrinam suam propagauit, mundoque illius veritatem fecit manifestam: mo- 421

dus

Digitized by Google

dus autem hic, & ueſter ex diametro pugnant, ſicut & modus Mahometi. Qui ergo ſyncerè veritatem quærit, per pugnantia ſigna pugnantem etiam vocationem ipſam eſſe coniectabit, dicetque ueſtram proculdubio hominum,& humanam,carnalemque fuiſſe, & omnes veſtros fundatores ſapientia mundi, & armis egiſſe, principatus, & regna, & vindictas, & vxores, & in ſumma mundum quæritaſſe, & prædicaſſe; non Deum, neque veritatem: hoc enim non conſtat;illud autem conſtat. Rurſùs Chriſtus dicit, neminem futurum obligatum ad ſuam doctrinam, niſi operibus oſtendiſſet illam eſſe Dei: at vos nil attuliſtis, quo id oſtenderetur.

422 Quocirca mirari ſatis non poſſum Reformatores iſtos, & religionem,vt vocant,reformatam; niſi enim tot animæ ſanguine Chriſti redemptæ ad dolorem permouerent, ridendi planè forent: modus quippè iſte reformandi fuit omninò à contrario. Scilicet vt nunc religionis nomen variemus, & vulgari vſu accipiamus pro religioſorum familijs, & ordinibus ſingulis fermè ætatibus prodeunt religionum Reformatores, & reformationes factæ ſunt, vt apud Patres Franciſcanos, Auguſtinianos, & Carmelitas, & alios. At hoc numquam hactenùs viſum eſt apud nos, quod reformatio fiat in facilius,& iucundius, ſed vicẽ verſa, & huiuſmodi mutatio appellatur nõ reformatio, ſed relaxatio,niſi ipſis alia ſit lingua, & aliud onomaſticon. Si quis vellet ordinem aliquem reformare inducendo loco caſtitatis caſtitatem coniugalem, & tollendo ieiunia &c, iſte tamquam amens rideretur:& tamen ipſi, cum quæ oneris ſunt, ferè omnia ſubſtulerint, religionem reformatam ſuam, ſed proculdubio per antiphraſim vocant. Probè ſcio, reformationem quaſi ex terminis,ac ex eſſentia ſua non importare, vt fiat in facilius,vel difficilius,ſed vt in idem, & ſicut initio fuerat. Hoc licet procedẽdo metaphyſicè ita ſit; at numquam homines in difficiliora degenerant, nec relaxationes fiunt in ſtrictius,ſed in amplius,& iucundius, nec Chriſtus viam nobis inſtituit amplã, quæ arctari facilè poſſet,ſed arctam, & anguſtam, & quæ mutari, niſi in facilius, & amplius vix, aut ne vix quidem valeret. Reformata ergo horum religio, ſi placet, appelletur à nouã reſor-

Digitized by Google

reformando,sed relaxãdo sicut Parcæ à non parcendo.

Vlterius autem, vt & hoc addam ex multis, animus fundatorum recentium sectarum satis dignoscitur ex animo eorum, qui à nobis ad illos transfugiunt: nullus enim eorum,qui corde apud nos Deum quærunt, & sanctè viuunt, tale quidquam aut fecit, aut cogitauit sed plerumque, qui abeunt, ex illis sunt, quibus apud nos vxorari non licet. Quod aptè explicat faceta illa, siue historia, siue fabula; quippè haud semel fictione aliqua ipsissimam veritatem explicamus. Ferunt ergo Religiosum apostatam aufugisse ad Lutheranos, qui multis annis apud suos Theologiam docuerat: ad examen verò admissus rogatus fuit cuius generis esset religio? Ille semel, & iterum quæstionem puerilem dedignatus recusauit respondere; coactus tãdem respondit, religionem esse generis fœminini. Subridens, qui rogauerat,verissimè,inquit,respondisti;in religione namque non aliud vos aspicitis, neque quæritis præter genus: Vxorem quæris; dabitur. Hoc porrò idem vestris fundatoribus Luthero,Caluino,Zuinglio,Henrico, & omnibus exprobrari potuit, & exitus ipse satis palàm eorum animum commonstrauit.Patet ergo solam religionem Christianam,quæ apud Catholicos semper inuicta perdurauit,& Deo authore principio propagatam esse, conseruatamque deinceps. 423

Concludat itaque S. Thomas 1.contr.gent.cap.6. & qui euidentiam moralem veritatis negant, simul attendant Doctoris scholastici sententiam. *Hæc autem tam mirabilis mundi conuersio ad fidem christianam indicium certissimum est,*(non dicit probabile,aut probabilissimum) *præteritorum signorum, vt ea vlteriùs iterari necesse non sit, cum in suo effectu appareant euidentèr* (euidentèr inquit) *esset autem omnibus signis mirabilius, si ad credendum tam ardua, ad sperandum tam alta, & ad operandum tam difficilia mundus absque mirabilibus signis inductus fuisset à simplicibus,& ignobilibus hominibus.* 424

QVÆ-

Digitized by Google

QVAESTIO XXV.

Vtrum præcedens doctrina exceptionem aliquam habeat, an potiùs confirmationem in pertinacia Iudæorum.

225 VIdetur planè, quæcunque pro veritate Christiana ex modo propagationis doctrinæ Christi desumpta sunt, & ponderata, manifesta exceptione, ac instantia infringi, elidiq; in pertinacissima Iudæorum obstinatione, atque duritie: conspicimus quippè Iudæos per sexdecim fermè sæcula exules, vbique contemptos, irrisos, oppressos mala omnia perpeti causa religionis; malleq; in extrema miseria ducere vitam, quam legem relinquere suã: quod videtur naturali, & humana virtute tam fieri non posse, quam quæ dicta sunt pro Christiana religione. Si namque ab exemplo argumentari liceat, in nulla alia religione tale aliquid visum est, quòd oppugnata tot sæculis, tãq; potẽtèr cõcussa nõ extinguatur, sed quodãmodò inualescat, & crescat: vidimus cõtra integra fermè regna, vno corrupto Rege, vel Principe, collapsa: sic porrò Ecclesiæ prĩcipio ex persecutione ipsa vires christiana religio resũpsit, hoc in primis nõ tãdiù durauit; & deindè hinc nos diuinam, & altiorem virtutẽ colligimus: ergo vel quæ in Iudæis cernimus, purè humana nõ sunt, vel sunt similiter humana, & naturalia, quæ pro christiana religione Christiani omnes deprædicant, & deprædicauimus. *Oppositio.*

226 Præterea, si vt d. Augustinus quæst. præc. differebat, ab aliquo Philosophorum, antequam hæc fierent, quæ in Iudæis mundus conspicit, quæsitum fuisset, fierine illa naturaliter possent, respondisset, credo, humana vi fieri nõ posse, quòd tot homines, tot sæculis oppressi

Digitized by Google

adeò, inuicti tamen, infractique durent, & nil non legi suæ posthabeant. Si rursus argumentum Pauli tenet, & valet, quamquam Iudæi satis abundent pecuniæ, de reliquo tamen nec nobiles, neque potentes, neque sapiẽtes habent, & sunt reipsa stulta mundi; infirma, & ignobilia, & quasi non sint. Quod ergo hæc siue lex, siue religio, improportionatis adeò fundamentis adnixa, tandiù tamen viuat, pure humanum non est, vel humana sunt, quæ pro Christianismo adducuntur. Domum super arenam ædificatam firmam consistere; ex ipsa etiã Christi Seruatoris sentẽtia naturale haud est. Quid porrò quoad humana magis super arenam ædificatum, quam sit ædificata synagoga, omni humana commendatione planè destituta. Cum ergo duret nihilominùs, ac firma maneat, adnititur proculdubiò diuinæ, & inuisibili virtuti Dei. Cum ergo duo pugnantia, vt Christianismus, & Iudaismus pugnant, Deus haud foueat, concludent, nil diuinum adesse Christianismo. Et addẽt, etiam secundum instituta christiana satis diuinæ prouidentiæ, Deique genio esse consonum, quod suos hac in vita laboribus, & miserijs cunctis probet, & exerceat, & sint odio omnibus hominibus, dicturosque nos aliquando, *hi sunt quos habuimus in derisum, & in similitudinem improperij: nos insensati vitam illorum æstimabamus insaniam, & finem illorum sine honore; ecce quomodo computati sunt inter filios Dei, & inter Sanctos sors illorum est:* quæ videntur de Christianis, quæ magno in honore in mundo habemur, verificari non posse, sed de ipsis.

Iudæi propter Christum crucifixum percussi, obcæcati.

HÆc quamquam apud alios aut obiecta, aut disiecta non inueniam, haud tamen placuit dissimulare: fallax namque, & deceptorium illud genus defensionis est, atque à christiana synceritate alienum, si quæ iuuant producendo, ea dissimules, & occultes, quæ obsistunt. In hac igitur obstinatissima Iudæorum pertinacia est proculdubio, cerniturque aliquid supra, vel præter 427

Iudæi nostræ veritatis speculum.

Digitized by Google

ter humanum, aliquid ſpecialis diuinæ prouidentiæ, vt quæ nuper obiecimus, commonſtrant; non vtique quod vel chriſtianam veritatem infringat, vel ipſorum profeſſionem commendet, ſed quod denuò demonſtret Chriſti diuinitatem, ipſiuſque doctrinæ veritatem; vt ſcilicet Auguſt. in pſal. 56. de ſcripturis Iudæorum dicit, poſſumus hìc quoque reſumere, in ipſorum vita apparere veritatem noſtram; *ſicut facies cæci apparet de ſpeculo, quam reliqui vident, & ipſe non videt.* Quemadmodum quippè, ſi quis damnatorum cerneret obſtinationem, inueniret ſpeciale aliquid, quale apud nos nihil eſt, quo ipſi manifeſtiſſima fieret & diuina iuſtitia, & illorum etiam ante acta vita improba, etſi Deus peccatorum, & obſtinationis minimè ſit Author; ſic proportione ſua hæc cæca adeò, etſi non prorſus deſperata Iudæorum pertinacia quaſi viſibile, & perpetuum in mundo argumentum eſt veritatis Chriſtianæ, cerniturque diuina virtus, atque iuſtitia.

428 Hoc verò, vt demonſtrarem, etſi tot in Sanctis Patribus ſuppetant, nilque addi poſſe ijs præcipuè videatur, quæ Chryſoſtomus per quinque orationes efficaciſſimè vrget, & proſequitur, in ſcopum tamen noſtrũ viſa ſunt commodiora, quæ Rabbi Samuel ſexcentos ante annos ſcripſit ad Rabbi Iſaac; extat autem epiſtola inter opera Pauli Burgenſis; neque ex illa omnia affero, ſed partem minimam, ipſiuſque ferè verbis.

429 Ille ergo cap. 1. epiſtolæ deſiderat eruditi, & certificari à Rabbi Iſaac: *quarè nos Iudæi generaliter percuſſi ſumus captiuitate iſta, in qua ſumus, quæ poteſt propriè vocari ira Dei perpetua, quoniam non habet finem; nam modò ſunt mille anni completi, & vltrà, ex quo per Titum fuimus captiuati.* Inducit deindè peccata ſumma Patrum ſuorum, quòd ſcilicet idolatrauerint, quod Prophetas occiderint, atque abiecerint legem Dei: ob quæ tam magna fuiſſe ipſos percuſſos captiuitate Babilonica, quæ ſecundum ſanctam ſcripturam fuit ira Dei *validiſſima*; & tamẽ non niſi per annos ſeptuaginta durauit, & placatus eſt Deus, & ipſi ad libertatem ſuam, & terram reducti, &c. *& tamen nunc*, vt ille loquitur, & cernimus omnes, *ira iſta non habet finem, nec in Prophetis promittitur finis, & ſunt iam mille anni, ex quo diſperſit nos Deus* *Probatio.*

Digitized by Google

per quatuor partes mundi. Hinc cap. 2. sumit, & infert, Patres suos commisisse proculdubio summum aliquod scelus; cum inter ipsos etiam conueniat, fuisse aliquam huiusmodi causam, *& tamen nullus scit illam assignare:* & cap. 6. probat eam non fuisse vllum ex ijs peccatis, quæ antè aduentum Christi perpetrauerant; quia omnia fuerunt punita, ac remissa, & placatus Deus, ipsique ciuitate, & templo, ac sacrificijs donati.

Concludit, aut cõiectat, peccatum hoc fuisse proculdubio venditionem, & occisionem Iesu Christi, qui cum sit Deus, eius occisio tantò duriùs, quam occisio Prophetarum, tamque sine fine punitur. Probat etiam ex circumstantijs, hoc fuisse peccatum, hanc causam: tunc scilicet cæpit pœna, venitque Titus, atq; ex eo tẽpore sine templo, sine sacrificijs, sine Prophetis, sine Populo, sine Rege, vel ordine per mundum vagantur. Congruunt etiam prophetiæ innumeræ, in quibus hæc cuncta, quæ facta conspicimus, disertis verbis prædicta sunt: expressissimè verò Dan. 9. *occidetur Christus, & non erit eius populus, qui eum negaturus est,* & quod à Duce venturo dissipabitur, & deficiet hostia, & sacrificium vsque ad finem. Et psal. 56. *misit de cælo, & liberauit me; misit in opprobrium conculcantes me;* & alia huiusmodi sine fine, quæ non ex libris nostris, sed ex suis sumpta manifestam efficiunt Christi diuinitatem, & veritatem, & gloriam, cui honor in sæcula sæculorum. 430

Cõprobatio ex Christi prædictione.

Expressissimè verò, vt iam aliquid Rabbino illi adiungamus, cuncta prædixit, & clarè, & asseueranter proposuit, antequam fierent, ipse etiam Assertor noster Iesus Christus, vt Matth. 24. Lucæ 13. 19. 20. & 21. Totum porrò clarè, & coram ipsis Senioribus populi, ac Principibus Sacerdotum edicit, & veteris etiam testamenti prædictionibus confirmat Matth. 21. in parabola vineæ, quam licet satis vulgò scitam, iuuat hic totam retexere quia nil altiùs, exactiusue adduci potest: nec, qui oculis planè ipsis euentum vidisset, potuisset distinctius, & accuratiùs illum describere. *Aliam parabolam,* inquit, *audite: homo erat paterfamilias, qui plantauit vineam, & sepem circumdedit ei, &c. & locauit eam agricolis, & peregrè profectus est. Cum autem tempus fructuum appropinquasset, misit seruos ad agricolas, vt acciperent* 431

fru-

Digitized by Google

fructus eius: & agricolæ, apprehensis seruis eius, alium cæciderunt, alium occiderunt, alium verò lapidauerunt; alludit ad Prophetas occisos, & lapidatos. *Iterum misit alios seruos plures prioribus; & fecerunt illis similiter. Nouissimè autem misit ad eos filium suum, dicens; verebuntur filium meum. Agricolæ autem videntes filium dixerunt intra se; hic est hæres, venite, occidamus eum, & habebimus hæreditatem eius: & apprehensum eum eiecerunt extra vineam, & occiderunt. Cum ergo venerit Dominus vineæ, quid faciet agricolis illis? Aiunt illi, malos malè perdet, & vineam suam locabit alijs agricolis, qui reddent ei fructum temporibus suis.* Iam sequitur anima tota parabolæ. *Dicit illis Iesus; numquam legistis in scripturis; lapidem, quem reprobauerunt ædificantes, hic factus est in caput anguli: à Domino factum est istud, & est mirabile in oculis nostris. Ideò dico vobis, auferetur à vobis regnum, & dabitur genti facienti fructus eius; & qui ceciderit super lapidem istum, confringetur; super quem verò ceciderit, conteret eum. Et cum audissent Principes Sacerdotum, & Pharisæi parabolas eius, cognouerunt, quod de ipsis diceret.* Ecce successū Iudæorum totum anteà, tamque distinctè prædictum, & in re quidem à solo Deo operabili, scilicèt, quod ab illis ablaturus ipse esset regnum, ipsosque contriturus, &c. & omnia verificata: & causam etiam, quia scilicet filium eius occiderunt: in quibus, vt antea dicebam, & Christus etiam ipse docet, ob oculos patentissima nobis repræsentatur, & Christiana veritas, & cæcitas Iudæorum: scilicet *à Domino factum est istud, & est mirabile in oculis nostris.*

432. Quocircà differat nunc nonnihil B. Chrysostomus orat. 2. *Inimicus* (inquit Iudæus) *meus est, qui talia loquitur: ego illum adegi in crucem, & quomodo recipiam illius testimonium? Atqui hoc ipsum prodigiosum est, ò Iudæe, quod cum tu crucifixeris eum, ille posteaquam à te crucifixus est, tunc ciuitatem tuam euertit, tuam gentem dissipauit, tuum populum per vniuersum orbē dispersit, scilicet re ipsa declarans, se resurrexisse, ac viuere, atque nunc agere in cælis. Quoniam enim ex benefactis noluisti potentiā illius cognoscere, per afflictionem, ac supplicia demonstrauit robur suum ineuitabile pariter, & inexpugnabile.* Ac rursus hæc omnia talia sunt, quæ nisi à Deo præsciri non possent, *Chrysostomi confirmatio.*

Digitized by Google

sent, vt ex ipsa rei qualitate, & ex ijs, quæ inter obijciẽdum sunt initio proposita, satis liquet; & ita nisi spiritu Dei prædici, tamque distinctè, & asseuerantèr proponi non potuerunt. Et certè si hæc Christi prædictio exceptionem habet, & non admittitur, reijci nullo negotio poterunt, quæcunque ex veteri testamento ipsis etiam Iudæis probantur, & celebrantur.

Diuino porrò consilio hæc omnia, & prædicta, & 433
disposita esse illud præterea demonstrat, quod Iudæi nil non tentauerint, ac fecerint pro recuperanda ciuitate, & templo, vt sub Adriano, & Constantino. Iulianus verò hostis Christiano nomini infestissimus, tũ vt ad sacrificia eos sẽsim induceret, tũ vt Christi clarissimã, & in euẽtu ipso toti mundo manifestam prædictionem, & veritatem falsificaret, pecunias impendit, præfectis dedit negotium, & artifices vndequaque accersiri iussit: sed euentus demonstrauit, vt ait Chrysostom. quod Dei *decretum omnibus est potentiùs, validaque opera sermonum Dei.* Nimirum simul, *atque tentassent hunc impium conatum, cæpissentque nudare fundamenta, multamque terram exhausissent, protinùs ignis exiliens è fundamentis exussit multos. Hæc vbi resciuit Imperator, quamquam tantæ vesania deditus erat illi negotio, veritus tamen, ne vltra progressus, in suum ipsius caput ignem accerseret, destitit. Et nunc si redeas Hierosolymam, conspicies nuda fundamenta: quod si causam quæras, haud aliam, quam hanc audies. Huius rei nos omnes testes sumus; nostra enim ætate hæc non ita pridem acciderunt. Iam considera victoriam insignem; non enim hoc accidit sub pijs Cæsaribus, ne quid dicere possent, quod Christiani superuenientes opus perfici vetuerunt, sed tùm, cum res nostræ afflictæ, cum omnes de vita periclitarentur. Etiamne adhuc dubitas, Iudæe cum perspicias, & ex Christi prædictione, & ex Prophetarum vaticinijs, & ipsarum rerum demonstratione testimonium aduersus te confirmatum. Verum nihil mirum est; istiusmodi quippè fuit tua natio effrons, & peruicax, semperque rebus euidentibus repugnare solita.* Hæc Chrysostom. & similia extant in Iustino contra Tryph. & in Eusebio, & alijs. Iam etiam nunc per tot sæcula ciuitas illa non sub Christianis est, ne quid dicant Christianorum opera, & odio ipsis ciuitatem, ac templi restaurationem negari; sub Turcæ sunt

ho-

Digitized by Google

hostiumque Christi imperio: & fortè hoc inter alia Dei iudicio, vt euidentissimum mundo faciat, ipsius sententia, & decreto genti isti & regnum, & ciuitatem, & templum, & sacrificia, & cuncta demum adempta, nec ipsos etiam, quando apud inimicos Christi res est, prævalere; aut quidquam posse aduersus Christi sententiam, scilicet ipsi sese iudicarunt dicentes, *vineam suam locabit alijs agricolis: sanguis eius super nos, & super filios nostros*, vt Prophetarum alia nunc vaticinia omittamus; non enim Christi diuinitatem, ac veritatem ex Prophetis nunc statuere est animus, sed ex ijs solùm, quæ pro hac gente ex tot ipsius miserijs, & afflictionibus obiecta erant, veritatem nostram denuò, & ni fallor, apertissimè deducere.

Iudæi non tanta patiuntur propter religionem, sed in pœnam.

434 CErnitur præterea manifestè in ipsa gentis huius professione, non causa religionis, sed pœna, & sententia Dei ipsos illa pati, quæ obiecta sunt; nam ipsi nullam neque Moysis, neque aliam legem seruant, sed Moyse relicto tenent Thalmudicas fabulas, nec aliud in mundo faciunt, quam vt pecuniam quærant per omnem modum mercaturæ, ac vsurarum: atque ad hoc si opus est, quamlibet religionem colunt, siue nostram, siue lutheranam, siue aliam: apud nos certè, vbi liberã viuendi licentiam non habent, vt in Hispania, cæteris; Hispaniæ subiectis regnis, imaginem ipsam Christi reuerentèr adorant, missas audiunt, peccata confitentur, & communicant, nec reliqui ab Hispania aufugiunt, ne ista faciant, sed ne incidant in Inquisitores, & bona omnia perdant; non autem ista, sed contraria omnia fecerunt Christiani, & ne idola adorarent, mortem etiam ipsam subibant. Ineptum porrò, & insipientia plenum est dicere, hæc ipsos facere in contemptum Christi; quia hoc in ipsorũ sententia est idololatrare externè: at idololatrare externè nulla de causa licet; vel quarè tẽpore

Iudæorum, & Christianorũ diuersitas.

Digitized by Google

pore Moysis,& Prophetarum non permittebatur exterior cultus idolorum in contemptum? & quid planè est adorare in contemptum, quam contradicentia inuoluere, & quod contemnendum erat, adorare, seu vt dicam formaliùs, contemnere adorando? quemadmodũ siquis laboraret in quiete, seu quiesceret laborando. Et deindè patet, hoc ipsos haud dicere ex animo: nam vbi impunè degunt, nil faciunt eiusmodi, nec adeunt templa nostra. Atque rursùs, cum frequenter carceres Inquisitionis compleantur, omnes abiurant continuò Iudaismum,& si quis pertinax esse pergat, miraculi loco habetur,& vix vnus vno in sæculo inuenitur. Deindè ex tota Moysis lege vix quidquam exercere licet extra Hierosolymam;non sacrificia, non holocaustomata, non pascha,nec festum,non purgationes,& quæ principalissima erant. Quæ ergo religio visa est vnquam, aut esse potest sine his omnibus, & sine templo,& sacrificio vllo, aut hostia,aut sacerdote; nec enim sacerdotes esse possunt, vbi,& quando sacrificare est impossibile per tot sæcula. Isti nihilominùs aliqua horum exercent, & colunt, *semper ea facientes*,vt ait Chrysost.*quæ illius placitis aduersantur. Etenim cum illos volebat ieiunare, tunc incrassabantur: rursus vbi non vult eos ieiunare, mordicus tenent ieiunium: cum vellet eos victimas offerre, ad simulacra properabant; cum non vult eos celebrare diem festum, studio diem festum agunt.* Nec inconsultò Deus ea omnia Hierosolymis, ac templo alligauit, vt scilicet intelligerent, ablato loco cuncta cum illo auferri: sed rebellis natio, & cæca semper Spiritui sancto restitit. Quod si hæc omnia tempore Sanctorum Patrum Iustini, Augustini, Chrysostomi, visa sunt ipsis euidentia, quid nos dicamus, qui illa videmus continuata, & confirmata per sexdecim integra sæcula?

Iudæi cõtra Moysem.

An verò ista hominum horum miseria, & calamitas sit finem aliquando habitura,à multis disputatur: in quo certum est,vt probant, finem nullum fore, quamdiu in Christum non credent: quia in Prophetis nuspiã promittitur, contra quam Deus cum ista gente semper solitus erat facere: nam in alijs captiuitatibus, & exilijs,& captiuitatem,& tempus, quo duratura erat, illis prædixit, præmonuitque clarè, vt cernitur Gen. c. 15. v. 13. 435

Digitized by Google

v. 13. de captiuit. Ægypti, Hierem. 29. de Babilonica, & Daniel. 9. & aliàs. De ista autem seruitute, & dispersione, quam patiuntur, dispersio ipsa prædicitur multotiès; finis nullibi certò saltem tempore futurus promittitur. Quod si, vt apparet, istam velint prædictam Leuitici 26. nam ea cuncta ibi narrantur, quæ nunc perferunt, quod dispergentur inter gentes, & terra hostilis ipsos consumet, &c. ibi verò finis promittatur, licet nullo determinato, nec assignato tempore; quia ad finem capitis additur, *non penitùs abieci eos, & recordabor fœderis mei pristini, &c.* hæc inquam, si de hac seruitute, & dispersione intelligenda sunt, vt videntur planè intelligenda, ex hoc ipso conuincuntur; nam ibi irridentur sabbata, quæ in terra hostili facient, & cõdemnatur ipsorum vita, & professio, *tabescent* (ait) *in iniquitatibus suis in terra inimicorum suorum, & propter peccata Patrũ suorum, & sua affligentur.* Finis autem promittitur, quãdo *erubescet incircumcisa mens eorum; tunc orabunt pro impietatibus suis, eo quòd abiecerint iudicia mea, & leges meas despexerint.* Impietates porrò ipsorum non sunt, quod idola adorent, aut Prophetas occidãt, vt ipsorum Maiores effecerunt; atque in hoc sunt maioribus suis circumspectiores, & meliores: sunt ergo quod Christũ, & Sanctum Domini à Maioribus crucifixum quotidie denuò affectu suo crucifigant; & iudicia eius manifestata in semetipsis, ac nouissimè in Filio dicta, & tradita, abijciant, nec admittant, sed conculcent, & proterant. Quare puniuntur non propter peccata Patrum suorum quomodocunque, sed ab ipsis impiè renouata, & continuata.

436 Finem porrò aliquando demùm futurum demonstrat, opinor, apertè Paulus ad Rom. 11. vbi post alia diuinè perorata. *Nolo enim* (inquit) *vos ignorare, fratres mysterium hoc, vt non sitis vobis ipsis sapientes; quia cæcitas ex parte contingit in Israel, donec plenitudo Gentium intraret; & sic omnis Israel saluus fieret: sicut scriptum est: veniet ex Sion, qui eripiat, & auertat impietatem à Iacob: & hoc illis à me testamentum; cum abstulero peccata eorum. Secundum euangelium quidem inimici propter vos: secundum electionem autem charissimi propter Patres, &c. Sicut enim aliquando & vos* (idest Gentiles) *non credidistis Deo:* *Iudæi sapiẽt aliquando.*

Digitized by Google

nunc autem misericordiam consecuti estis propter incredulitatem eorum; ita & isti nunc non crediderunt in vestram misericordiam, vt & ipsi misericordiam consequantur.

Alius Iudaicæ cæcitatis fructus.

Addunt Sancti Patres aliam etiam causam, & finē 437
huius dispersionis Iudaicæ, quam inter alios sic ponderat Augustinus, qui tum alias, tum serm. 1. ex 49. nouis. *Iussit* (inquit) *Imperator Romanus Iam Christianus* (ideſt Magnus Constantinus) *vt ad ipsam Ierusalem non accederent Iudæi Et sparsi per orbem terrarum facti sunt quasi custodes librorum nostrorum; quomodo serui, quando eunt in Auditorium Domini ipsorum, portant post illos, codices, & foris sedent; sic seruus factus filius maior filio minori. Nam aliquandò mouent nos aliqua in scripturis, & de Iudæorum codicibus certi aliquid cognoscitur. Ideò ergo sparsi sunt, vt nobis libros seruent. Maior ergo seruit minori.* Et etiam, vt vbique Christianam veritatem ex ipsorum libris ostendamus, vti considerat Chrysostom. possunt enim nobis opponere euangelia esse conficta à Christianis; & tunc adsunt libri Iudæorum, qui nostri, & Christi hostes cum sint, exceptionem quoad hoc habeant nullam; atque ex illis veritatem Christi commonstremus.

An autem probè cum ista gente agatur, etiã post- 438
quam ad Christum conuersi sunt, vel illis pecuniam, ac bona omnia adimendo, vel per statuta quædam eos ab omni fermè honoris gradu remouendo; & in summa an liceat ipsos iam Christianos perpetuò velut infames habere, puncum est ad religionem, ac veram fidem non pertinens, nec necessarium: erunt qui iudicēt: multa vtrimque dicuntur; hinc enim palam est, salutem, & conuersionem illorum valdè hoc pacto impediri; videtur etiam à Paulo ad Rom. 2. & 10. omnem distinctionem Hebræi, & Græci, acceptionemque personarum prohiberi, doceriq; omnes sine distinctione esse æqualiter primos: Iudæis præterea in epist. ad Galat. & aliàs exprobari, quod Gentes ad fidem venientes despicerēt, nec tanti facerent, &c. occurrit ex aduerso innata quædam huius gentis inclinatio ad Iudaismum, quasi ipsorum ipsa etiã physica natura immutata sit, quod multi testantur, varijsque historijs ostendere curant: quare illorum conuersionem putant suspectam, aut periculo-

sam.

Digitized by Google

fam. Occurrit etiam, quòd hanc infamiam videantur promereri propter occisionem Christi, sitque hoc magna Christi, eiusque nominis gloria: quæ sanè magno videntur examine indigere: & iterum dico, erunt, qui iudicent. Hoc scio, Caietanum, virum sanè alioqui irresoluendo non timidum, haud ausum fuisse approbare statuta perpetua ordinum regularium illos ad religionem non admittentium. Sed ipse facilius ordines regularium defenderē, eos præsertim, quibus & propria, & proximorum simul salus finis est; ipsi enim quasi ex suppositione procedunt, postquam iam aliundè, ac independenter ab eorum legibus, Iudæi infames habētur, peiusque apud mundum est, guttam vnam sanguinis Hebraici habere, quam latronem, & incestuosum, ac pessimum hominem, imò quam hæreticum esse: hic enim si conuertatur, ad omnia admittitur: quare si Regulares illos iam ita infames admitterent, fierent contemptibiles, atque ad procurandam proximorum salutem valdè inhabiles, & inepti.

QVAEST. XXVI.

Vtrum antiquis, & à Christo, ab Apostolis, aliisque pridem factis miraculis veritas christiana concludatur?

439 VIdetur sanè hoc ex loco euinci non posse veritatem christianam, cumque nihil sit miraculis celebriùs pro quacunque stabilienda religione, nihil videtur esse illis ad arguendum, probandumue fallaciùs. Primò quidem; quia omnes vicissim allegant miracula, & Gentiles, & Turcæ, & Iudæi, & Christiani, & alij alios vicissim deridemus, & casui, vel superstitioni, vel magicis artibus aliena attribuimus. Deindè videtur impossibilis via certò discernēdi vera miracula à falsis; id enim fieri nequit sine

Difficultas discernendi vera miracula.

Digitized by Google

exquisita quadam Philosophiæ naturalis, Medicinæ, Astrologiæ, atque artis Magicæ cognitione, vt sciatur, an effectus à causis sublunaribus, vel cælestibus, vel ope Dœmonis, vel casu oriri potuerit; quis porrò hanc harum artium exquisitam cognitionem assequitur? rara certè auis in terris: qui his de rebus promptè loquantur, existunt innumeri: qui causas has omnes comprehensas habeat, vix vllus. Rursus hac via solùm doctissimorum aliquis dijudicare posset: reliquis nullum iudicium: vnde doctissimo, vt plurimum illi miracula deseruient; nihil cæteris. Dictum est præterea, ad quærendam, vel dignoscendam veram religionem, quæ scilicet doctis, & indoctis est communis, & necessaria, viã rectam non esse, quæ per examen rerum, & mysteriorũ instituitur: absolui præterea, & cõcludi illam haud posse: minus ergo multò apta esset, quæ Physicæ, Medicinæ, Astrologiæ, & Magicæ discussione institueretur. At ad dignoscenda, discernendaq; vera, & falsa miracula sunt hæ facultates necessarijssimæ, nec sine illarum discussione discerni ea possunt. Ergo hoc miraculorum medio nequit inter religiones discerni: cum nihil nisi accuratè discussa concludant: discussiõ verò sit tam difficilis, quam ab his causis aliena. Rursus ex notis, & obuijs ad alia argumentando, exploratum videtur, magnam esse v.g inter nos etiam Christianos hac in re superstitionem; nam, licet miracula, quidquid sectarij obloquantur, haud prorsùs cessauerint, tamen videtur, ea iam frequentissima nõ esse: & interea multa templa videmus miraculorum monumentis plenissima, & vix sanctitatis laude aliqua quisque viget, cui miracula supra numerum non adscribantur; in quo plurimum erroris, superstitionis, vel fraudis esse videtur à doctioribus non negandum, cui malo vt occurreret, iussit Tridentinum sess. 25. magnam hac in re diligentiam, examenque ab Episcopis adhiberi. Hinc primò suspicio irrepit contra reliqua vel nostra, vel aliena, antiqua, vel recentia miracula. Et deindè quis in tanta falsorum multitudine discernat? Indè Augustinus haud magni videtur feciſse hoc miraculorum suffragium, & lib. 10. de ciuit. Dei c. 16. scribit, vnius Dei religionem præhibendam cæteris, etsi nulla ei suppeterent miracula; &

Magna in miraculis superstitio.

lib.

Digitized by Google

lib. de vnit. Eccl. c. 19 & aliàs, ad veram agnoſcendam Eccleſiam recuſat hoc medium, atque omninò prohibet indè argumenta ducere, quòd illa, & illa mirabilia fiant; quod homines ad memoriam mortuorum orant, & exaudiantur; quod hæc, vel illa ſoror viſum vidit, &c. qualia nimirum multa à Catholicis, & Donatiſtis viciſſim producebantur, & nihil liquidò probari, nec indè controuerſia terminari poterat. Ac demum inter ea omnia, quæ miraculoſa habentur, ſola reſurrectio mortuorum videtur eſſe re ipſa miraculoſa: nam cuncta alia iam caſu, iam criſi, iam ingenti apprehenſionis vehementia contingere poſſunt; & Dœmon ſubitanea applicatione cauſarum naturalium præter omnium ſpem, & cognitionem pluuiam, ſalutem, viſum, auditum, victorias, & hoc genus cætera cauſare valet.

440 Hanc rei præſentis difficultatem lib. 3. Recogn. Clementis pridem, magnaque efficacia productis etiã exemplis propoſuit Petro Niceta diſcipulus. *Quid* (inquit) *peccauere Ægyptij, ſi non crediderunt Moyſi, cum & Magi ſimilia ſigna fecerint, etiamſi viderentur potiùs fieri, quam veritate fierent? Mam & ſi ego fuiſſem tunc, ex eo quod Magi ſimilia faciebant, nonne aut Moyſem Magum credidiſſem, aut Magos, quæ oſtendebant, diuinitùs facere putaſſem? quia non mihi veriſimile videretur, licet per phãtaſiam, eadem tamen effici poſſe à Magis, quæ ille, qui à Deo miſſus eſt, perpetrabat. Et nunc ergo quid peccant hi, qui Simoni credunt, cum videant, cum tanta facere mirabilia? Aut non eſt mirabile per aerem volare? igni admixtum, vnum corpus effici? facere ſtatuas ingredi? canes æreos latrare? & alia his ſimilia, quæ vtique diſcretionem neſcientibus, ſatis mira ſunt. Sed & de lapidibus viſus eſt panes facere. Quod ſi peccat, qui ſigna facientibus credit, quomodo peccaſſe non videbitur & is, qui Domino noſtro pro ſignis, & virtutibus credidit?* Quid porrò populus, imò cæteri ad Philoſophiam pro his explorandis, diſtinguẽdiſque remittantur? Quod ſi ad internam illuminationem Dei recurreris, eam, vti toties ponderauimus, ſinguli pro ſeſe allegabunt. Et rurſus, ſi per internam illuminationem negotium demùm abſoluitur, & cauſa dirimitur, ſuperuacanea reddũtur miracula, ſine quibus ſcilicet ea ipſa interna diſcretione immediatè, & directè,

Difficultas ex collatione verorum & apparentiũ ſignorũ.

Digitized by Google

ctè, ac breuiùs vera ipsa religio, ad quam dignoscendam miracula inducuntur, dignosci, distinguique potuisset.

Hoc in puncto sic implexo haud multum auxilij 441
apud plerosque scriptorum reperi, qui scilicet plerumq; ad Philosophiam, Magiamque explorandam longa, nec ad præsens valdè vtili discussione diffunduntur. Ab his ego vt abstraham, procul absum, vt districtiùs de natura, deque definitione miraculi tradenda, vel exponenda tractè: esset enim id tã à proposito cõsilio, quã à scopo etiam ipso miraculorum alienum. Nimirùm miraculorum suffragium, si quidquam ad religionem confirmandam confert, non solùm Philosophos iuuat, sed cuiuscunque etiam professionis, & doctrinæ homines; indoctos verò potissimum, quibus occultiorum aliorum notitia destitutis hoc maximè visibili, & patentiori medio succursum est. Certè Christiani negare haud possumus, miraculis potissimùm conuersam multitudinem populorum, quos illegitimè, vel temerè conuersos Christianorum dixerit nemo: at illi interea Philosophiæ & eorum, quæ de natura miraculi in scholis discutimus, ignari erant prorsus; ergo citra eorum notitiam confirmant legitimè, persuadentque miracula doctrinæ Christi veritatem: in quo sectarij etiam ipsi nobiscum conueniant, necesse est; fieret enim alioqui, otiosa ea miracula extitisse, quæ sancti ipsi libri edita commemorant. Generalior ergo alia miraculi notio, quæ indoctos etiã & vulgum ipsum haud lateat, & ad finem miraculorum, & ad argumentum nostrum sufficit; norunt quippè omnes, nomine miraculi intelligi opus aliquod, quod nec à Dœmone, nec à Magis, nec à casu, nec crisi, nec à causis cœlestibus, nec inferioribus fuæ legi, & virtuti relictis sperandum sit, neque agendum; quod proindè in Deum tanquam authorem specialem cuncti referunt, tamquam rem magnam, & præter communem ordinẽ raram mirantur. Placuit quibusdam Theologis disputare, an miracula in confirmationem doctrinæ falsæ edi queant, non Deo, sed eius administro, & instrumento homine, vel Angelo eam confirmationem intendente, & procurante? quæ quæstiones, vt simplicitatem meam fatear, vel etiam ignorantiam, me magis ad nauseam com-

Philosophia minimè necessaria ad præsens.

Miraculum nequit fieri in confirmationẽ erroris

Digitized by Google

commouent, quam ad examen intentiones, & fines hominum miracula in Dei virtute operantium ipse haud examino; passim enim ipsa etiam Dei gratia homines abutimur, & abuti possumus consecratione, & Sacramẽtis: at quis, precor, quibusuis cautionibus, & restrictionibus quærat, an absolutio sacramentalis dari queat ad ligandum peccata? an gratia aliqua Dei in confirmationem sceleris? &c. Operantium ergo, & operum fines iam pridem distincti sunt: miraculi finem esse confirmationem erroris tam est absurdum, quam Dei gratiæ finem esse peccata; idque facilè, ac multipliciter demonstratur, & abundè liquet ex superioribus: omnes proindè gentes tamquam notum, & indubitatum supposuerunt, miracula, quoties pro confirmanda aliqua doctrina peraguntur, esse cum vero connexissima, illisq; singuli ipso naturæ lumine nixi sunt confirmare religiones suas; & causas illarum veris, ac certis miraculis ritè dirimi, vbique gentium in confesso est: quod secus esset, si aliquando error ritè, & legitimè veris miraculis statui, confirmariue posset. Vndè non solum absurdissimum est, miracula edi in confirmationem erroris, sed & illa edi, quando & vbi ritè, & legitimè, ac prudenter pro errore allegari queant: sin minùs, quod contra ipsa prima principia Christianissimi puto, nequiret miraculis concludi legitimè christiana veritas; nam qui ritè, & prudenter respondet, numquam legitimè concluditur. Quod si de facto, & de possibili distinguant, haud puto his in nugis tempus terendum.

Imò nec quãdo errorem ritè confirmaret.

Miracula probant veritatem christianam.

442 His amotis, & notatis obicibus, asseramus, priscis illis à Christo seruatore, & discipulis pridem editis miraculis ritè concludi veritatem christianã. Quod porrò toties significo, stultum esset, hac in causa probationes physicas, vel metaphysicas expectare, aut desiderare, cum ipsa rei natura nisi moralium capax non sit. Assertum probandum est ab operum multitudine, & ma-

Digitized by Google

& magnitudine; à qualitate operum: à qualitate personarum operantium.

Prima regula dignoscendi vera miracula.

Et primò quidem sic. In concursu, & confusione miraculorum apparentium, & verorum, quando saltem fundatæ exceptiones desunt, illa vera cēsenda sunt, quæ numero, & magnitudine vincunt; illa apparentia, falsa, & phantastica, quæ vincuntur. At quæ pro christiana religione allegamus, vtroque modo vincunt reliqua omnia, nec adsunt exceptiones vllæ fundatæ: ergo &c. Maior propositio probanda primum venit. Eam porrò approbat pro Christianis Christus ipse citato sæpiùs loco Ioan. 15. vbi Iudæos immunes peccati, & prorsus excusatos voluit, nisi opera edidisset, quæ eatenùs peracta fuissent à nemine: si ergo Iudæi, quibus vera etiã miracula adfuerant, maiora afferenti credere obligantur, multò magis in verorum, & falsorum confusione pro maioribus est iudicandum. Idipsum Petrus Apostolus 3. Recog. Clementis significat: conferens enim Moysem, & Magos: *denique vsque ad aliquem locum* (inquit) *visi sunt habere certamen; & post hæc confessi de se cessere meliori*. Eodem etiam confugit demùm Augustinus nuper allegato loco: vbi post Gentilium mirabilia varijs exceptionibus deuicta: *hæc ergo* (subdit) *atque alia huiuscemodi nequaquam illis, quæ in populo Dei facta legimus, virtute, ac magnitudine conferenda sunt*. Sic quoties miraculis certatum est, vt à Moyse, & Magis: à Petro, & Simone Mago, & alijs, videmus, vel pro falsa religione nil factum, vel veram prævaluisse magnitudine signorum, vel numero, qui etiam in magnitudinem transit. 443

Iam eam pro omnibus etiam non Christianis ostendamus. Etenim confusio signorum, & mirabilium inducta est potissimum à Dœmone, ac perditis hominibus, qui arte, & fraude diuinitatem affectantes conati sunt errores statuere: contra Deus veritatem veris miraculis sanxit, atque promouit: ergo in hac quasi pugna vicit, prævaluitque Deus: ergo maiora fecit, quoties saltem obuiæ exceptiones in falsis non adsunt. Fruitra alioqui certamen inijsset non victurus: quemadmodum frustrà disputare incipit non conclusurus, vel causam saltem suam meliorem non præstiturus: sicut 444

ergo

Digitized by Google

ergo in disputando ingeniosior, & sapientior uincit, & prævalet; sic, vbi certatur operibus, vincit, & prævalet potentior: nisi scientia desit, vel fortuna: ergo à fortiori Deus omnipotens aduersus creaturas. Nec obest, quod Dæmon, licet impotentior, plures tamen habeat in mundo suos, quam Deus; nam, vt præteream alia, hæc est pugna magis hominum, & Dæmonis, quam Dei, & Dæmonis; quod enim homines probi sint, vel improbi, ex ipsorum pendet arbitrio: idcircò homines vincit Dæmon, idque ipsis volentibus: at miracula sæpè Deus efficit se solo, sæpè Angelorum, & Diuorum ministerio, quibus nihil cum Dæmone: imo ipsi etiam homines libentèr gratia signorum vtuntur, nec illius vsui resistunt; vt resistunt, repugnantque gratiæ ad probitatem, & sanctitatem concessæ: vnde si Dæmon prævaleret, non in homines, sed in Deum referretur dedecus. Hinc argumentum retorqueo; nisi obstaret per homines, nullum verè suum haberet Dæmon in mundo, essetque palam, & manifestè victus: at vsum miraculorum nihil homines impediunt eorum saltem, quæ non in ipsorum beneficium, sed in confirmationem doctrinæ principaliter fiunt, vel quia Deus eum in scopum hominibus haud vtitur, vel quia vtitur hominibus probis, ac tutæ fidei: vel quia, si quando & rarò virtus hæc prauo cuiquam concessa est, libentèr ea ille vtitur, vt dictum est. Ergo vincit, & prævalet manifestè Deus. Rursus: si apud nos certo constaret, eras in causa religionis operibus contendendum inter Magorum præstantissimum, vel scelestissimum, & inter virum aliquem à Deo eius nomine missum, nesciremus verò, vter Dei, vter Magus foret, omnes supponeremus, Magum superandum, ac inito, peractoque certamine, eum Magum haberemus, qui victus esset; eum Dei, qui constellata operum multitudine, vel magnitudine absolutè prævaluisset; iusta est ergo, & omnium sensui conformis lex à me constituta, nec eam qui sequitur, criminis vllius reus est. Ergo similiter in concursu, & confusione religionum, & mirabilium omnium, vbi saltem tutę exceptiones desunt, ritè eam religionem, eaque mirabilia præfero, quæ vincunt; ea posthabeo, & falsa dico, quæ vincuntur. Superiùs deindè integra quæstione commō-

Cōfirmatio.

Regula nostra omnibus sensibus cōformis.

Digitized by Google

ſtratum eſt, vel Deum in mundo non eſſe, nec rebus noſtris moderari, vel veram religionem tantis eſſe ſtabilitam fundamentis, quibus facilè, ac manifeſtè emineat inter omnes: quæ autem ibi adduximus, idem de eminentia, ac præſtantia miraculorum perſuadent; at eſt Deus in mundo, & rebus noſtris moderatur, vt contra prophanos demonſtrauimus: ergo miracula veram religionem confirmantia, ac proindè vera miracula magnitudine, multitudineq; ſua eminent inter reliqua. Sin minùs prudenter, & prudentius etiam eligendo falſi quiſque queat in materia religionis, & damnari: ſiquidem, vbi exceptiones deſunt, & cetera ſunt paria, prudens eſt maiora præhabere. Atque denuò vera religio non eſſet inuicta: & hoc genus alia abſurda conſequuntur. Mihi itaque aptè videtur vera religio comparari confirmatis in gratia hominibus, qui tentari quidem poſſunt, & oppugnari; aſt minimè expugnari; & vinci, quos ſcilicet Deus in tuto poſuit: ſic præſtigijs, & fraudibus concuſſa eſt ſæpè, concutieturque in poſterũ vera religio; at numquam nec expugnabitur, nec æquabitur quidem: nam ſi expugnetur, falſa veniret eligẽda; nulla verò, ſi æquetur.

Oppoſitio. At dices, vnum verum miraculum præſtare cuicumque apparentium, atque falſorum multitudini, & magnitudini; veritas ergo eſt inſpicienda, & minimè *Expeditur.* multitudo, & magnitudo. Reſpondeo, vbi iam aliundè veritas miraculi conſtitit, illud vtiq; præferendum omnibus indibrijs, & artibus: at multoties veritas ipſa conſtare aliundè nequit, niſi ex ipſa rerum magnitudine, & præualentia: vt inter priſca mirabilia, quæ hinc, & indè ab aduerſis partibus allegantur, vix aliundè conſtare certò poteſt ea differentia. Imò, cum ad has cauſas Philoſophia minimè ſit neceſſaria, vt inter arguendum ſatis probatum eſt, cenſeo, vera miracula, vt diſcerni ab omnibus certò queant, hoc eſſe ſigno communita, & inſignita, vt vincant. 445

Sapienter nimirùm S. Thomas 3. part. quæſt. 29. art. 1. diſtinguit, alia miracula *eſſe de quibus eſt fides*, & *ſint credenda, ſicut miraculum partus Virginei, & Reſurrectionis Domini, & etiam Sacramenti Altaris, & ideò Dominus voluit, iſta occultiora eſſe, vt fides eorum magis* 446

aue-

Digitized by Google

meritoria esset; quædam verò miracula sunt ad fidei comprobationem; & ista debent esse manifesta. Sapienter quidem; nam, vt cætera principia, & loca probandi debēt esse manifesta, vt quidquam concludant; sic in materia religionis, cum miracula sint probationum principia, explorata, ac manifesta sint, necesse est. Cum rursus illa nisi in quantum vera, euincant nihil, oportet ipsam quoque veritatis differentiam esse manifestam: inest ergo veris miraculis signum aliquod veritatis manifestum. At nihil est ipsa eorum magnitudine, & multitudine manifestius, nihil doctis, & indoctis magis obuium; nihil ipsi miraculorum omnipotenti Authori conformiùs, vt exposuimus. Hoc ergo grande miraculum, quod nec Dæmon, nec homines affectare queant, veris miraculis, ac veram religionem comprobantibus inest, quod ludibria omnia, præstigias omnes euincant. Quod est præterea ipsi quoque rerum naturæ consentaneum; nam fictionibus, mendacijs, ac fraudibus frequentia ipsa obest; nam faciliùs capiuntur, & deprehenduntur in ipsa multitudine: veritas autem, & uera uerorum multitudine confirmantur, ac sese uicissim stabiliunt, & comprobant, sicut falsa sese destruunt alternatim.

447 Age modò; omnibus mundi religionibus admittamus ea lege mirabilia sua, ut nobis uicissim admittātur nostra; non enim de facto, non de mirabilibus est quæstio, sed de iure, de ueritate; utra, quod ignoramus, uera censenda sint, sit fide dignus historicus Liuius; & Valerius Maximus, sit Tacitus; sint alij Gentilium mirabilia memorantes; atqui necesse est, ipsi nobis admittant similiter Moysem, admittant Euangelistas: ridiculum enim esset, si suos ueros, si nostros suspectos ultrò dicerent: nec exceptiones allegare possunt, quibus suos non magis infringant. Ergo mirabilia proferant. Tarquinius (aiunt) nouacula cotem secuit: una Claudia zona alligata magnam illam nauim in suæ pudicitiæ testimonium attraxit: Virgo similiter Vestalis Tuccia aquam cribro portauit: Vespasianus Imperator cæcum unum, claudum alterum contactu sanauit. At pauca hæc, uel si quæ habent similia, nec numero, nec magnitudine conferri illis queunt, quæ uel ab uno Moyse fa-

Conferuntur religio christiana cum cæteris.

Digitized by Google

cta historiæ nostræ commemorant, ut patet. Plures deindè volunt, illa Claudiæ, aut Tucciæ vera miracula extitisse, non à Dijs gentium, sed à Deo nostro Angelorum ministerio effecta ad asserendam, & confirmandam earum pudicitiam, non autem ad religionem cõprobãdam; non enim religio, sed pudicitia in controuersia erat. Mirabilia rursus gentium multis exceptionibus eliduntur, vt videri potest apud August. eo lib. 10. de ciuit. c. 26. Nos denique superiùs manifestam exceptionem exhibuimus: nam earum Dij verbis, & factis fallere possunt: vnde mirabilia Deorum quantacumque vltrò etiam admissa nihil omninò probant, vel concludunt, vt commonstrauimus.

Mirabilia Gentiũ etiã admissa nil probant.

Hebræi reuicti.

Mox succedunt Hebræi: nec est, cur ea mirabilia proferant ante Christi seruatoris aduentum peracta: quæ scilicet nos quoque probamus, & vtris faueant, lis est. Ergo collatio instituenda est, ex quo diuisio, & cõtrouersia esse cæpit: ex eo porrò temporis tam illi frigent, quam essent anteà insignes; contra Christus ipsis testibus, & coram magna multitudine surdos, cæcos, leprosos saluti restituit, mortuos suscitauit, aquam in vinum conuertit, quinque panibus quinque hominũ millia saturauit. Nec hæc facta negare possunt: tum quia alioqui eodem alij iure, & licentia negauerint Moysis præclara facinora: tum quia verisimile non est, Ioannem, Lucam, & cæteros historicos nostros, quidquid occultiora alia fingere dicerentur, publica tamen illa, in quibus ab omnibus conuinci palam possent, et finxisse: tum quia tam notæ, ac publicæ fraudes nocuissent potiùs scopo suo confirmandi veritatem christianam: tum quia ea tam extitere manifesta, vt ipsi multum à Christo timuerint, eo quod multa signa facere, & totus mundus post eum abiret, vt nostri historici perhibent, & factum ipsum confirmat; nec enim alioqui in tantam inuidiam concitati fuissent, tamque acerbam mortem tanto furore vrsissent. Quod denique liquet; quia nouimus omnes, quam sit tenax, ac pertinax legis suæ, & traditionum suarum gens ista; ex qua tamen maxima multitudo ad Christum conuersa fuit: quod nisi illis mirabilibus, quæ historiæ nostræ prodit, effici nunimè potuisset; præsertim cum Iudæi tam sæ

448

mira-

Digitized by Google

mirabilibus assueti in miraculis causam totam ponerent, & signa ad omnia quæreret gens alioqui rudis, & barbara, & cum qua alijs vijs concludi nihil posset. Vera sunt ergo, quæ historicæ nostræ memoriæ produnt; nec in humanis rebus, ac pro humana fide facilè est fortiora fundamenta producere; nec Iudæi pro Moysis, ac Prophetarum gestis meliora protulerint: at hæc admittenda sunt, & temerè negarentur: ergo & illa quæ de Christo significauimus. Iam Iudæi, ex quo diuisi sunt, nihil habent saltem publicum, & celebre, quod cum illis comparari quoquomodo valeat. Qua ergo ratione ipsi pridem gentes vincebant, & idololatriam falsam mirabilibus, & signis conuincebant, eadem nos Christiani, siue ius, siue factum respicias, Iudæorũ pertinaciam, ac vanitatem demonstramus.

449 Demùm extra Christianos solùm superstant expugnandi Mahometani; quos certè ex ipsa etiam Alcorani confessione facilè est proterere. Scilicet fatetur ibi Mahometus, se quidem in gladio, Christum in virtutibus fuisse missum: ipse ergo in mirabilibus vltrò cedit Christo. Admittit rursùs Christum Prophetam, ac proindè illius miracula fuisse vera; nos non ita probamus sua: ergo in dubio præferenda essent nostra ipsis, & nobis probata. Quidquid deindè aliqua ab illis confingantur; at pauca illa, & obscura sunt: & patet in mundo, eum regna non mirabilibus, sed exercitibus subiugasse, & conseruare successores eadem regnorum, & religionis lege, scilicet vi, & armis, & ignorantia.

Item Mahometani.

Qualitas miraculorum religionis Christianæ eorum veritatem suadet.

450 QValitas nunc operum est considerandа, ex qua scilicet lib. 3. Recogn. Clementis Petrus discrimen eruit inter vera, & falsa miracula. *Ille, qui à malo est signa, quæ facit, nulli prosunt; illa verò quæ facit bonus, hominibus prosunt. Nunc ergo, quæso, quæ vtilitas*

Digitized by Google

Dæmonum mirabilia, mortua, & inania.

litas est ostendere statuas ambulantes? latrare æreos, aut lapideos canes? salire montes? volare per aerem? & alia his similia; quæ dicitis, fecisse Simonem. Quæ autem à bono sunt, ad hominum salutem deferuntur, vt sunt illa, quæ fecit Dominus noster, qui fecit cæcos videre, surdos audire; debiles, claudos erexit: languores, & Dæmones effugauit; mortuos fecit resurgere, & alia his similia, quæ etiam per me fieri videtis. Ista ergo signa, quæ ad salutem hominibus prosunt, & aliquid boni hominibus conferunt, malignus facere non potest, nisi in fine mundi tantùm: tunc enim admiscere ei conceditur aliqua etiam de dextris signis, ideſt, vt vel Dæmones fuget, vel ægritudines sanet, &c.

Videtur id à multis negari.

Hæc ibi Petrus. Video passim multos contrariæ opinionis, cum à morbo, vel ægritudine facilè aliquãdo, vt credunt, sanandi omni cum Dæmone explicito, vel implicito pacto priùs renuntient; supponunt ergo sese ad salutem ope Dæmonis posse restitui; & adest philosophica etiam ratio; nam Dæmon, & corpora ægrotantium alterare, & sanaturas etiam causas, quæ nos homines lateant, momentò adducere valet, & applicare. Christus quoque ipse inter reliqua fidem habentibus promissa miracula illud commemorat, quod montem valeant in mare protrudere: quod tamen prodesset nemini. 450

Doctrina probatio.

At præter adductam Petri authoritatem ipse nostri Assertor Christus videtur denegare Dæmonibus hanc quasi miraculosam beneficia conferendi facultatem, vel vsum: cum namque ipsum in Beelzebub Principe Dæmoniorum Dæmonia ejicere, calumniarentur Iudæi, respondit Lucæ 11. *omne regnum in se diuisum desolabitur, & domus supra domum cadet: si autem & Satanas in se ipsum diuisus est, quomodo stabit regnum eius, quia dicitis, me in Beelzebub ejicere Dæmonia.* Vel ergo ait fecit satis Christus calũniã, vel secùs? Si non satis dixit: ergo nec ipsi Iudæi, quod mox Christus subdit, tutari à calumnia poterant filios suos, ideſt, suæ gentis, & populi filios Prophetas. Quod si responsum Christi sufficiens est, vt Christiani saltem fatebimur: fit, vel Dæmonibus nullam superesse Dæmones ejiciendi facultatem, vel saltem nullum illius esse vsum; quia scilicet regnum eorum non est contra se diuisum, nec mala 451

à qui-

Digitized by Google

à quibusdã illata ab alijs propulsantur; consensu potiùs obstinatissimo modis omnibus omnes nocere nobis, nosque perdere satagunt: licet enim materia Christo obiecta solum de erectione Dœmoniorum agat; at ratio ab ipso adducta de omni bonorum genere statuit; nec est planè, cur non sese eijcere queant, si in alijs prodesse possunt hominibus: tempestates potius, & fulmina, & pestes, & mala cuncta in eos referre motis est. Video equidem aliter explicatum Christum ab Augustino lib. 83. quæstionum quæst. 79. at an Augustinus in sensu litterali, qui solus nunc nostra interest, procedat, planè ignoro. Scimus præterea, aliquos Dœmoni vana rerum humanarùm spe addictos, a quo scilicet bona futura sperare nequeant: & tamen neminem nouimus, aut vlla probata historia intelleximus, diuitijs, vel regno donatum, sed semper delusos omnes.

Mala potiùs à Dæmone.

452 Quod si salutē ille posset concedere, quid non & auri immēsā copiam? quam, vt de aliarū causarū naturaliū subitanea applicatione differunt, facilè ex ærarijs, ex India adduceret; facilè facto agmine deuictis contrarijs suorum aliquem donare imperio. De Deo porrò alia est ratio, qui non spe bonorum præsentium, sed futurorum, quæ sola probitatem decent, suos allicit, & conseruat; licet non semel dignetur regna etiam, & victorias, temporaliaque alia conferre, vel conseruare miráculo. Cum ergo ad victorias, ad regna, ad diuitias, & hoc genus alia, vel nulla sit, vel ligata, ac impedita sit potestas ipsa naturalis Dæmonis causas naturales mouendi, vel transmutandi, vel applicandi; ipse certè non video, qua ratione, & fundamento exceptio admittenda sit in sanitate: at Dæmonis excluso adiutorio nihil Magi, nihil incantationes, & præstigiæ sancti prosunt. Constat ergo tradita à Petro verorum signorum, atque falsorum disparitas.

453 Nihilominùs, cū videā, cōtrariū cōmuniter ab omnibus supponi, minimè ausim dicere, nullā hoc in genere Dæmonū facultatē esse causas naturales asportādi, & applicandi etiā ad beneficia; id tamē sine metu pronuntiauerim, quod saltem ex adductis videtur euinci, rarum, aut vix illum esse vsum eius facultatis, nec morem Dæmoni esse beneficia conferre, quidquid aliquando,

vt

Digitized by Google

vt faciliùs deinceps noceat, minutijs quibuſdam ſolitus ſit ſuos ineſcare, mox nociturus, tranſituruſque ad ſua, ideſt, ad inferenda mala mentis, & corporis: quemadmodum in loquendo veritatem aliquam admiſcet, vt fallat tutiùs. Sicut ergo in concurſu, & collatione dictorum, quæ à Deo, cuncta ſunt vera: quæ à malo, falſa vt in plurimum, ita in concurſu verorum, ac falſorũ mirabilium, falſa vel ſemper, vel plerumque ſaltem, nihil proſunt, ſed ſunt noxia, vel prorſus vana, & inutilia; at vera vel ſemper, vel vt in plurimum proſunt. At huiuſmodi ſunt, quæ à Chriſto, quæ ab Apoſtolis, alijſq; magnis viris pridem edita memorantur ſine numero. Ea igitur prudens quiſque veriſſima æſtimabit, cum in ipſa præterea mirabilium qualitate natura, ac bonitas Authoris palam emineat: quo cum nihil pugnat, quod aliquando peccatores miraculo etiam punierit; maximè verò, vbi eorum mala ſaluti futura ijs erant, quos protegebat. Atque hinc mecum reputare ſoleo, Dæmoni haud tantam eſſe, quantam multi arbitramur, de cauſis naturalibus diſponendi licentiam.

Confirmatio Qualitatem operum, ac mirabilium Chriſtianæ 454
religionis commendat præterea maximè reſurrectio mortuorum: cum namque reſurrectio opus ſit ſupra naturæ, & Dæmonis vim omnem conſtitutum, nulla ætate, nuſpiam gentium in aliarum religionum comprobationem, vel vnus mortuus ſuſcitari potuit: de quo denuò quæſt. ſeq. At, vt nunc omittam innumera alia, Chriſtus ipſe non in angulo aliquo, ſed palam, & in mundi conſpectu, & coram magna teſtium, & hoſtium multitudine Lazarum, & filium Viduæ ſuſcitauit. Commendat necnon maximè, &, vt Sancti Patres paſſim ponderant, diuinam virtutem palam effert modus quoque ipſe operandi mirabilia, vel ſolùm imperando, vt Chriſtus ventis, ac mari, atque mortuis imperabat citra tot illa Magorum inuolucra incantationum, circulorum, figurarum, ac figmenta ſimilia; uel quin uix quidquam peragere ipſe uideretur, ſolo contactu fimbriæ ueſtimenti ſanabantur infirmi; uel quod ampliùs certè uidetur, ſolius umbræ apparenti contactu Petri, idque in plateis publicis, & in populorum frequentia. Quibus nil ſimile alijs religionibus adeſt; nihil ſimile à

Magis,

Digitized by Google

Magis, & incantatoribus, qui ubique adsunt, factum vidimus, vel intelleximus ex probatis libris.

455 Denique veritas miraculorum nostrorum ex qualitate personarum ea operantium euincitur clarè. Christus namque Dominus humani generis Assertor nullis primùm subest exceptionibus; fortitus quippè hostes inuidentissimos, & qui nullo non calumniæ genere eum aggressi fuissent, nihil vnquam probare potuerunt: imò à discipulo domestico, & rerum suarum scientissimo traditus, constitutusque in iudicio innocens audijt à Iudice, à Traditore iustus dictus, idque defendente nemine, ipsoque, quod Iudex vehementèr miraretur, nihil respondente, non calumniam, non odium, non exceptionem, vt in promptu erat, allegante. Nullum itaque iudicium est in mundo visum, in quo vel accusatores odio egerint, furoreque maiori; in quo accusatus omni defensionis genere fuerit destitutus magis: & tamen iudicij conclusio fuit eius innocentia, & iustitia. *Ex qualitate personarum operantium.*

456 Nec Iudæis quidē ea calumnia defuerat, quod Christus signa faceret ope Dæmonis, quam iam pridem opposuerant: nihilominus nihil probatum hoc circa; imò destitisse ab hac criminatione videntur; nec eam vel in concilio suo, vel in Pilati iudicio produxere, vel discussere. Quinumò signa, & opera Christi seruatoris adeò erant frequentia, adeò fraudis immunia, vt Iudæi haud ea in dubium verterent, sed faterentur, nec, credo, recusaturi fuerant eum inter Prophetas numerare; illud eis blasphemum visum, illud morte atroci mulctandum, quod se faceret filium Dei; de hoc enim actū in ipsorum Concilio, de hoc quæsita falsa, & ludrica testimonia; & quod ex eo consequens iudicabant, de tentato regno. Ecce ergo, quod alijs quidem mirabilium operatoribus opponere fortè liceat, nihil Assertori Christo moueri hoc circa potest: est enim lis pridē tentata, discussa, ac modo dicto definita, quando mirabilium eius, & vitæ totius aderant innumeri testes oculati, quando accusatorum, & hostium ingens copia suppeterat, quando fraus, si qua fuisset, euinci potuerat faciliùs: & tamen probatum nihil; nullus inuentus testis de fraude aliqua, nulla indicia, sed dictum pro innocentia; licet, Iudæorum odio datum, quod eum

Digitized by Google

crucifigerent, proteſtatione tamen facta Iudicis de ſua à ſanguine illius innocentia. Ergo iniquè de re iudicata, & in infenſiſſimo quidem iudicio diſcuſſa, & terminata cauſa moueat nunc prophanus aliquis, vel infidelis litem, & controuerſiam, quando præſertim ad probandum non ea vel teſtium, vel rerum præſentium copia ſuppetat. Duo porrò miſericordi Deo in conſiliis erant: alterum, quod Chriſtus morte nos ſua redimeret; alterum, quod in eum homines crederent: vtrumque obtentum, & data morte, & nulla probata culpa, ſed innocentiſſima iuſtitia; nec enim homines in eum credere potuiſſent, vel debuiſſent, qui de crimine etiam leuiſſimo conuictus fuiſſet, vel etiam ſuſpectus. Nihil verò permiſſum caſu, ſed cuncta in eum inter alia finè ordinata à Deo, ut futuris etiam temporibus anſa omnis præcideretur calumniarum, noſque, uti fecimus, ad diſcuſſam, & terminatam pridem cauſam, & rem iudicatam prouocaremus, cum nihil obijcere queant non tunc obiectum, ac in iudicio contradictorio reuictum.

Calumnia. Sed uerò dicas, hæc nos geſta ex ſuſpectis hiſtoricis producere, ex ipſis ſcilicet Chriſti Diſcipulis Euangeliſtis. Cæterùm nulla eſt exceptio: non enim ea nũc *Repellitur.* parte hiſtoriarum agimus, quæ gloriofior ſit Chriſto, uel geſtis miraculis, uel plauſu populorum, ut ſuſpecta idcircò eſſe poſſit, ſed ea potiùs, qua in mundi conſpectu, & iudicio Chriſtus Dei filius improperium hominum, & abiectio plebis uideri poſſet, in qua ad mortẽ *Euãgeliſtarũ veritas.* turpiſſimam condemnatur, inter iniquos reputatur, à gentibus illuditur, conſpuitur, flagellatur, à ſuis etiam deſeritur, & nullo illuſtri facinore, & miraculo, quod fingere facilè erat, cauſam ipſe ſuam tutatus memoratur. Ea uno uerbo ſcripſere, quæ ita eſſent abiecta, & cum Chriſti diuinitate ſapientium ſæculi iudicio ita pugnantia, ut Iudæis ſcandalum illud uiſum ſit, atque gentibus ſtultitia; quæ proindè omittenda erant ab hiſtoricis Diſcipulis, ſi ars, & fraus ineſſet ulla, ſi ueritas, & res tota, ut in animo erat, non fuiſſet aperienda, & euulganda. Ex ipſa ergo natura, & thenore hiſtoriæ ueritas illius palàm elucet. Deindè non Rhetores, nõ Philoſophi, non politici has hiſtorias conſcripſerunt, 457

ſed

Digitized by Google

sed imperiti Piscatores, uel similes, qui procul à suspicione absint magnum aliquid hoc circa fingendi, & componendi. Quod rursus ipsorum synceram scribendi legem apertè concludit, nihil sibi, nihil Magistris etiam suis pepercere; omnium Apostolorum vel fugã, vel improbam legem produnt; intempestiuas de Regno, & maioratu, & absurdas eo temporis quæstiones, Petri, Ioannis, & Iacobi importunos somnos, Petri negationem, & iuramenta falsa, ac similia permulta. Rursus Christum Dominum accusatum, in iudicio constitutũ, & crucifixum nemo negat: si quid nostri adiunxere, prodijssent eo temporis historiæ contrariæ; nec enim hoc de Christo punctum leuius aliquid erat, & neglectum, sed de quo omni tunc contentione, & studio disceptabatur inter vtramque maximè gentem, Christianam, & Iudæam.

458 Ex ipsa deindè Iudæorum gente pars magna, ac sceleris quidem & ipsa rea, conuersa deinceps admisit has historias, & in Christum credidit; quod earum veritatem, ac Christi seruatoris innocentiam commonstrat; & in quocumque certè iudicio, si quis iniustè cõdemnetur; post verò pars testium vltrò accusationis falsicatem prodat, & sese veritati tuendæ per mala quæq; exponat, tota accusatio falsa habetur: at Iudæi conuersi pro Christo, quem crucifixerant, pœnas, ac mortes plurimas subiere. Nulla præterea historia erit, quæ respui à quolibet nequeat, si nostræ non admittantur; nullæ enim pluribus, & sapientioribus, sanctioribusque viris probatæ, & cultæ fuere. Quorsum deindè vel historici nostri fingerent, vel scriptis, & factis christianã professionem promouerent, per quam Magistri, & Cõdiscipulorum quotidiano exemplo videbant, non alio iri, quam ad supplicia, ac mortes acerbissimas? Et quæ idoquidem omnia conferre immensum esset, morte sua pro veritate vltrò perpessa historici nostri historiarum veritatem, cæteri saltem præter Ioannem omnes confirmarunt, & Ioannes in dolio passus in exilium actus fuit. Vbi certè quisque mediocriter prudens dixerit, vel Christi discipulos prorsùs fuisse amentes, vel viros planè diuinos, ac Dei Ministros præclaros. At amentia esset credere, ab amentibus conuersam multi-

Confirmatio ex Iudæis.

Digitized by Google

tudinem populorum, & sapientium etiam quamplurimos. Concludet ergo, eos proculdubio viros extitisse diuinos, Deique Administros præclaros.

Chrysostomi optima reflexio.

459 Illud porrò in præsentia locum omnem tergiuersandi planè adimit, quod tum alij, tum latiùs Chrysostomus lib. contra Gentiles disserit. *Dominus noster Iesus* (inquit) *ad crucis supplicium iamiam accessurus, ac mortem illam viuificam moriturus, nocte ea postrema, quâ discipulos ad se suos semotis arbitris vocauit, apud eos cùm permulta verba alia fecit, eosdem plurimarum rerum commonefaciens, tùm inter alia, & tale quiddam ipsis dixit: amen dico vobis, qui credit in me, opera, quæ ego facio, & ille faciet, & his maiora faciet. Atqui multi alij olim Magistri extitere, qui & discipulos habuerunt, & miracula etiam ostentarunt: quemadmodum iactitantes gloriantur gentiles; verumtamen eorum nemo vnquam eiusmodi orationem vsurpare, ac ne animo quidem versare sustinuit; neque sanè possint ex gentilibus vlli, etiam si nihil se non præstaturos, quæ illorum est impudentia, profiteantur, commonstrare huiusmodi elogium, sermonemue apud se extare, &c*

460 Hæc scilicet vna robustissima Chrysostomi oratio multa nobis argumenta suppeditat. Quicumque enim fraude, vel humana etiam vi, & industria procedit, plus viuus potest, quàm mortuus; imò iam emortuus nihil valet; at Christus plus multò fecit post mortem, nam dum viueret, vix vllos conuertit, ac solùm notus in Iudæa videbatur: post mortem, vt & prædixit, traxit omnia ad se ipsum; ergo eius opera, & mirabilia non arte, non fraude, sed diuina virtute constabant. Rursùs si fraus vlla interfuisset, & magia, scientior ipse fuisset; nec potuisset, nec voluisset discipulos facere se ipso intelligentiores; non ergo nisi vanissimè eis maiora promisisset. Post mortem deindè nihil iuuare eos potuisset: ac ideò fraus deprehensa facilè esset, ac nocitura potius, quàm profutura: quod moris non est deceptoribus hisce; *oportet enim* (vt idem subnectit Chrysost.) *probabilia quædam, & versutiæ, atque artificij plena, & quæ deprehendi non facilè queant, commentari.* Scimus deinde Christi discipulos vix quidquâ superiritte Christo operatos; post verò nihil non aggressos, nihil non ope-

Digitized by Google

operatos: at si fraus vlla aderat, & ars, necesse erat, & Christo consci artis fierent, & aliqua, imò maiora exequerentur, dum ipse viueret, à quo quippè mortuo, si deceptor erat, eruditi nihil possent. Christus itaque moriturus rusticissimis adhuc discipulis, alijsque deindè etiam credituris opera, & mirabilia promisit, & prædixit maiora: *quod si quis fortè mecum contendat* (idem Chrysost.) *vbinam Christi oraculum hoc finem suum sortitum sit, accepto in manus libro eo, cui Acta Apostolorũ nomen est* (*continet autem is, non acta ipsa omnia, neque omnium, sed vnius tantùm, & alterius, & ea quidem numeratu facilia*) *videbit hinc ægrotos in lectulis decumbentes, &c.* & nullo planè lecto libro videbit, à discipulis, alijsque deindè credentibus operibus, & signis conuersum mundum, deletam tunc vbique regnantem idololatriam, dispersos in exilium Iudæos in opinione obstinatos, ac verificatum prorsùs illud, *ego si exaltatus fuero à terra, omnia traham ad me ipsum*. Quis de se mortuo promittere talia posset, nisi fatuus aliquis, vel Deus? Quis implere nisi Deus? At Christus impleuit. Ergo impleuit diuina virtute, eaque manifestissima. Denique, vt omittamus permulta, constat, præclaram illam, ac mirabilem vim, atque virtutem communicatam Apostolis fuisse post mortem Christi: anteà vix quidquam inuenias illis rudius, rustitius, timoratius; ad ancillæ vocem trepidat, negat, periurat Petrus: post verò scripturas sciunt, linguis loquuntur, cum sapientibus disputant; mundum totum, & pericula, & mortes inuadunt; quæ miranda, & miraculosa ipsa in primis, & dexteræ excelsi mutatio, maximè verò post Christi mortem effecta, euidentèr omnem artis, & fraudis suspicionem reuincit.

461. Hæc verò, cum singula tam existant rationi consentanea, quod in probationibus maximè moralibus licet, collecta, ac vicissim sese iuuantia rem planè videntur apertissimè conuincere. Nimirùm hæc est propria indoles, & natura necessitatis, impossibilitatis, certitudinis, ac euidentiæ moralis alio in opere exponenda, quod ex collectione quadam rerum consurgat: sic multitudo testium, multitudo historiarum, iudiciorũ, & hoc genus alia, cum singula quidpiam conferant, vni- *Euidentia moralis.*

Digitized by Google

vnita, coniunctaque euidentiam parere solent: quæ lex in physicis, ac metaphysicis fortè non licet. In omnibus ergo, & singulis vincunt christianæ religionis miracula, illisque illa vera concluditur. Hic porrò, vt iterùm quosdam caueam, physicas, vel metaphysicas probationes desiderare ignorantium esset; probentque ipsi, precor, ex principijs intrinsecis Ciceones, & Pompeios extitisse. Illud deindè, quod ex Augustino, & Thoma superiùs allatum est de antiquis miraculis in effectu suo, scilicet fidei Ecclesiæ, euidenter apparentibus, & remanentibus, probationem etiam conficit metaphysicam: sed verò non hanc morali infallibiliorem natura sua reputamus, sed diuersam, à multisque ægrè intellectam, & elusam: de quo alias Deo auspice

Obiectiones solutæ.

Ex his responsione ea vix egent, quæ principio quæstionis obiecta sunt; percurrantur tamen causa claritatis. Allegamus quidem omnes miracula; at nos allegamus, & probamus, & aliena refutamus, vt visum est. Modum deindè exhibuimus vera miracula discernendi sine Philosophia, Astrologia, ac tantis illis impostoribus. Addebant rem hanc magnis superstitionibus expositam. Fateor equidem, & dicam quæst. seq. at nulla indè est suspicio aduersus ea signa, quorum veritatem hac nos quæstione asserendam suscepimus. Augustinus porrò causam christianæ religionis haud semel miraculis tutatus est, nec prisca illa à Christo seruatore, ac discipulis peracta, quæ scilicet libris etiam canonicis celebrantur, vlla ratione recusat; sed cum ageret contra Donatistas, & scripturæ adessent contra eos manifestissimæ, consultius iudicauit à miraculis abstinere recentius peractis, & quæ, cum vtrimque allegarentur, probari tamen euidenter haud poterant: sapientis nimirùm disputatoris est, vbi certa, ac manifesta argumenta suppetunt, alia infirmiora non conquirere, neq; admittere. Constitit præterea præter mortuorum resurrectionem alia etiam miracula superesse; & quid, & quantum hoc in genere Dæmones valeant, declarauimus. Nec denique illa verorum, atque apparentium signorum collatio, quam Niceta Petri discipulus pridè vrserat, obstat; nam ex Petro ipso ad discipulum respondimus. 462

QVÆ-

Digitized by Google

QVAESTIO XXVII.

Vtrum similiter inter Christianorum differentias catholicam veritatem conuincant alia post prisca illa, secuta miracula?

463 IAm à Gentilibus, Iudæis, ac Mahometanis, quibuscum proxima quæstione actum est, ad sectarios, atque hæreticos omnes nostra conuertatur disputatio, eò quidem futura facilior, quò minùs illis negare ea licet, quæ ad stabilienda prisca miracula à nobis adducta sunt. Nimirùm tenentur hæretici etiam omnes, & quicumque professionem Christianam quoquo modo colunt, vetera illa tum Prophetarum, tum Christi, ac Discipulorum miracula suscipere, probare, defendere, illisque inter alia rem christianam tutari aduersus Gentiles, & cæteros non Christianos; qua porrò ratione, ac lege antiqua probabunt, eadem nostra quoque stabiliant, necesse est.

Veterum, atque recentiùs editorum miraculorum par ratio.

464 ECce quippè Gentilis homo adest, qui omnia nostra miracula derideat tàm prisca, quàm recentiora. Prisca (inquis) illa deridenda non sunt, cum in libris diuinis, & canonicis edita memorentur. At ridet ille magis te, probationemque tuam, ex libris scilicet desumptam non magis sibi probatis, & acceptis, quam accipiantur, vel probentur miracula. Quid verò? an ex natura ipsa rerum miracula priùs stabilienda non veniunt, quàm libri? Quinimò in libris ipsis eorum doctrina, veritas, ac sermo confirmatus legitur sequentibus

Digitized by Google

bus signis; *in nomine meo Dæmonia eiicient, &c.* Ostendimus præterea superius, Christianorum libros, cum demonstratiui haud sint, nec ex terminis, vt aiunt, ipsis constent, sed doctrinam potiùs contineant obscurissimam, non sciendam, sed credendam, aliundè esse commonstrandos veros, vt credi vel possint, vel debeant; id autem, quo veri esse probantur, & à Deo, & ab Apostolis probati sunt, maximè fuere miracula. Quorsùm deindè Christus per se, atque Discipulos tot illa miracula edidit nisi ad doctrinæ suæ, religionis suæ ostendendam veritatem? Quorsùm miraculis mundum conuertit?

Sectarij ad enthymema vnum prouocati.

Ergo agite Sectarij: ad hoc vos vnum enthymema prouoco: prisca illa à Christo, & Discipulis edita miracula probant satis doctrinæ Christi, Ecclesiæ Christi, religionis Christianæ veritatem aduersus Iudæos, & Gentiles, & quoscunque non Christianos: ergo alia, similia sequentibus perpetuò sæculis peracta apud nos miracula probant nostram veritatem aduersum vos, & omnes alios à nobis separatos Christianos. Quæ enim antecedens confirmant, eadem lege confirmant consequens; quæcunque contra Sectarij excogitarunt, vt destruant consequens, destruunt eadem opera antecedens, atque hoc in loco non tam ratione, vt aiunt, formæ, quam ratione materiæ valet regula, *ex opposito consequentis ad oppositum antecedentis.* 465

Eorũ prima exceptio.

Ordior à secunda parte: audiamus, quid Sectarij aduersum nostra miracula moliti sint? Primò quidem Caluinus in præfat. instit. Magdeburgenses, vel facta negant, quæ ab historicis memorantur, uel si ea ita contigerunt, Dæmonum aiunt fuisse præstigias. Hoc porrò probant; quia vera miracula confirmant Euangelium: hæc autem apud nos facta illud subuertunt, & idololatriam, & alia mendacia confirmant. At hoc euidenter destruit antecedens; nam Iudæi idem Christo opponebant de præstigijs; eamdem addebant confirmationem, quod scilicet non confirmaret, sed destrueret legem à Deo per seruum suum Moysem sibi exhibitam, & innumeris miraculis confirmatam: hinc verò deinceps eodem Gentes iure subuertent miracula Iudæorum: ea dicent facta in confirmationem nugarum 466

Instatur in priscis miraculis.

Digitized by Google

rum rerumque falsissimarum. Eadem demùm ratione primo, & secundo, & tertio Christi nati sæculo à veris illis Christianis patrata miracula incantationibus, ac præstigijs tribuebantur à Gentilibus. Ergo hoc sectariorum inuentum non magis destruit consequens de nostris miraculis, quam antecedens de priscis illis; ac proindè totam religionem christianam subuertit. Deindè non frustrà tot supra laboribus formam veræ religionis quærendæ explicuimus, probauimus, confirmauimus. At peccant contra illam hìc Sectarij à miraculis ad doctrinam appellando, & effugiendo; quia scilicèt norunt optimè, quod nos demonstrauimus, per examen doctrinæ nihil vnquam concludi: constititque non miracula per doctrinam, sed doctrinam primitùs per miracula esse probandam, vt Christus fecit, fecere Apostoli, fecerat pridem Moyses, fecerunt omnes, quotquot à Deo ad nouam persuadendam religionem, vel antiquam nouis doctrinis adaugendam, vel renouãdam missi sunt.

467 Aiunt secundo, ex miraculis non ritè concludi doctrinæ veritatem; cum & Antichristus signa, ac prodigia magna facturus legatur: & ad Hieremiæ quondam sepulchrum miracula facta fint ope Dœmonis, ad confirmandam nimirùm doctrinam falsam de diuinis honoribus Hieremiæ habitis. At quis non miretur Sectariorum vel impudentiam, vel ignorantiam? Vides enim, hoc fuco prisca identidem miracula, & quidquid religionis in mundo est, planè conuelli: nec miracula iam Christi, vel Moysis argumentum futura veritatis. Demonstrauimus præterea quæst. 4. & vel pueri demonstrare sciunt, Deum non magis factis, quam verbis nos posse decipere, tamque miraculis falsam doctrinam stabiliri non posse, atque nequit à Deo tradi ipsa falsa doctrina, de quo multa dant Theologi, & dedimus tract. de fide; nonnihil etiam superioribus quæstionibus significatum est: & ritè Aug. epist. 49. *nam sicut humana consuetudo verbis, ita diuina potentia etiam factis loquitur*. Vnde nihil refert, an verbis, an factis vel loquatur, vel fallat: nam vtrouis concesso, cadit religio Christiana. Iam dè Antichristo plerique omnes respondent, illius miracula non vera, sed ficta, apparentiaque futura.

Sectariorũ exceptio.

Instatur similiter.

Digitized by Google

ra. Quod si aliquod etiam de veris, dextrisque signis, vt apud Clementem scribitur, interea commiscebit, abutetur proculdubio virtute à Deo concessa. At illa, siue vera, siue falsa, magna, aut parua nihil illius doctrinam iure confirmauerint; sumus enim pridem expressis prædictionibus de eius erroribus instituti. Quod de diuinis honoribus Hieremiæ habitis, & ope Dæmonis obiectant, Sectariorum est insignè planè, & procax figmentum. Addunt, vt Gentilium quoque causam agant, Vespasiani miracula de vno cæco, claudo altero ad sanitatem restituto. Verùm ista disiecimus quæst. præc. & ea miracula non fuisse, probant Theologi. Nobis suffecerit nostro argumento insistere; nihil scilicet adduci, fingiue à Sectarijs, quod non paritèr Christi Seruatoris signa conuellat, nec consequens nostrum vnquam destrui, non destructo antecedenti.

Exceptio ex Augustino.

Proferunt denique illam à nobis sæpè indicatam Augustini doctrinam de miraculis, vbi cum Donatistis disceptat, à disputatione exclusis; imò eam addit sententiam, *quæcunque talia in Catholica* (id est Ecclesia) *fiunt, ideò sunt approbanda; quia in Catholica fiunt; non ideò ipsa manifestatur Ecclesia, quia hæc in ea fiunt.* Non ergo ex miraculis Ecclesia, vel christiana veritas demonstratur; sed veritas potiùs miraculorum ex Ecclesiæ veritate dignoscitur. At videt quisque, hinc paritèr concuti Christi seruatoris miracula, quæ falsa à Iudæis, cum extra, & contra synagogam fieri viderentur, eodem iure audirent, profecitlletque nihil Christus, vel probasset. Valet ergo argumentatio nostra de indiuisa antecedentis, consequentisque causa. 468

Augustini mens.

De Augustini mente actuosè quidem disceptant multi: at res est apertior, quā irretiri à Sectarijs queat; admittant ipsi reliquam Augustini eo loci delectam, confirmatamque doctrinam: & ego quoque, quod Augustinus fecit, vltro, citroque miraculis nostris renuntio: ibi ille iudicat, probatque, Christi Ecclesiam solū esse Catholicam; eam rursùs esse Catholicam, quæ diffusa est per mundum: hoc putat expressis, ac indubitatis scripturæ locis conuinci, quæ à Donatistis quoque admitterentur; cum porrò Augustinus miraculis etiam vti posset, quia tamen illa à Donatistis paritèr 469

alle-

Digitized by Google

allegabantur, noluit expeditissimam causam nouis admissis litibus inuoluere, præsertim cum natura sua expeditior sit, breuior, ac euidentior argumentatio à locis illis scripturæ, vbi ea admittuntur, quæ non à miraculis, quando præsertim ista ab vtraque parte vicissim allegantur, & neutra ab alijs admittuntur: tunc enim difficili hostiarum collatione, ac facti non tam facili verificatione impeditior, inefficacior, prolixiorque contingeret disputatio. Augustinus itaque medium miraculorum recusat, & incertiùs iudicat, primò comparatiuè, vbi scilicet pro causa decidenda adsunt, & admittuntur expressa illa sanctarum scripturarum testimonia; & sic nos quoque inferiùs hoc omisso medio Sectarios eadem ad verbum Augustini doctrina reuincemus; deindè illud recusat, vbi miracula vtrinque allegantur, & negantur: at in casu nostro alia est ratio, in quo sectarij adeò se omni mirabilium vmbra destitutos vident, vt, quod vix Gentiles auderent, insequantur potiùs miracula, illisque effutiant, falsas etiam doctrinas stabiliri: quo planè in casu Augustinus miraculis etiam disputare haud recusasset. Denique verissimum est, vbi iam aliundè de veritate Ecclesiæ constat, & de veritate miraculorum dubitatur, hæc ex illa dignoscēda: vt casus tunc erat; nam Augustinus euidentibus scripturis Ecclesiam nostram veram demōstrauit. Hinc illud sequitur, si quod Donatistis moris fuit, idem Sectarij affectarent, & miracula proferrent, nihil ipsos obtenturos, si Augustini valet authoritas; nam nobis tota eius probatio adest pro Ecclesiæ nostræ veritate, ex qua proindè, quæcunque sectarij allegarent, præstigias, & fabulas certissimò censeremus. At nihil Augustinus prohibet, nos, & ipsis illis scripturæ testimonijs, ac publicis simul miraculis veritatem nostram cōprobare: quemadmodum Christus, & Prophetarum testimonijs, & editis miraculis veritatem suam Iudæis, & mundo commonstrauit. Augustinus porrò, quidquid tutius, ac expeditius medium scripturarum habuerit, tamen simul iudicauit sufficiens, & concludens medium etiam miraculorum; nam eo inter alia contra gentes, Manichæosque vsus est.

Digitized by Google

Nostrorum miraculorum veritas denuò probata.

ITaque miracula ex Ecclesiæ veritate dijudicanda 470
concedimus, vbi iam aliundè Ecclesiæ veritas innotuerit, & hoc moris seruatur in Ecclesia Catholica: at vbi, & apud eos, apud quos ea aliundè constare nequit, miraculis potiùs Ecclesiæ veritas est demonstranda. Vel dicant, quæso, Sectarij, quo magis medio Gentili, vel Iudæo, vel Turcæ Christianam veritatem demonstraturi sint; nam examen doctrinarum, & alia inuolucra remouimus, reuicimusque supra: & certè scripturæ omittendæ sunt, quas scilicet Gentilis non admittit. Ergo miraculis satis Christiana veritas commonstratur. At eadem adsunt pro nostra, & Catholica veritate. Hæc ergo miraculis concluditur. Scilicet quæ contra nostra miracula moliuntur, eodem modo, vt apertè ostendimus, conuellunt omnia ea miracula, quibus Christiana veritas commonstranda est. Ea rursus omnia, quæ horum miraculorum veritatem ostendunt, ad ea reuocantur, quæ nos præc. quæst. disseruimus: hæc porrò eadem ratione veritatem signorum nostrorum aperiunt, & confirmant. Et cum sectarijs quidem agendo res est apertissima: vt namque ex ipsorum oppositionibus innotuit, ipsi hoc in genere sese vident nobis impares, siue magnitudinem, siue numerum, siue qualitatem operum consideratum eant; nec alioqui miraculis omnem fidem adimere, niterentur, nec hunc locum tam procacitèr repudiarent: placuit quidem Caluino aliquid audere hoc circa, atque fingere, vt pridem Albigensibus, teste Luca Tudensi, acciderat: at ad preces eius non mortuus aliquis suscitatus, sed viuus Bruleus sublatus.

Sectarij frigent hoc in genere.

Sed verò, vbi Sectarij nihil habent, quo ad con- 471
ferendum nos obligent, frustra esset, quod longum hìc cathalogum attexerem, omnia Christiana sæcula ordine suo educerem, virosque memorarem hoc in genere præclarissimos: sunt multa scripta volumina hoc vno argumento plena: vitæ ipsæ sanctorum, officia quotidie

Digitized by Google

die recitari ſolita, aliæque obuiæ hiſtoriæ tum Eccleſiaſticæ, tum reliquæ haud pauca commemorant: ea cuncta facta negare eſſet, vt inſiſto, omnia idemtidem antiqua miracula quatere: eſſet omnem fidem humanam tollere: eſſet vltrò, citròque ineptire. Illa porrò ſi præſtigias dicant, iam Chriſti miracula ludibrio Gentilium exponunt: deindè Martino, Benedicto, Thaumaturgo, Sebaſtiano, Babilæ, Geruaſio, & Protaſio, Bernardo, Dominico, Franciſco, Antonio Paduenſi, Xauerio, & hoc genus alijs ſanctiſſimis viris præſtigias, ac magicas artes attribuere extrema certè impudentia foret. Eorum vitæ ratio vniuerſa diſcutiatur, dicta facta, fines, ſeries euoluantur, exenterentur: nullam exceptionem inuenerint, quam fundare in iudicio queãt: at vltrò negare, citrò maledicere non hominum eſt, ſed Dæmonum: nihilque hoc pacto tutum eſt in hiſtorijs, nihil in rebus humanis.

Fides humana haud tollenda.

472 Certè glorioſus Deus noſter ſuppoſuit, miraculis demõſtrari poſſe veritatẽ ſuã, vt patet; ergo ſuppoſuit, fidẽ humanã hoc circa valere: nõ enim ita miracula adhibẽda iudicauit, vt ſingulis ſingula in cõſpectu ſuo cõcederet, vt facto ipſo, multiſq; rationibus eſt manifeſtũ; voluit ergo, quod miracula nũc facta valerẽt etiam poſtea, atque hìc facta probarent quoque alibi: voluit ergo, vt valerent hiſtoriæ, fideſque humana probaret, quando nullis dignis exceptionibus eliduntur, quando miraculorum Adminiſtros dignos memorant, quando facta publica, quando non ſimplici ſolùm plebi, ſed Doctis etiam quibuſq; probata. Ecce Auguſtinus quantus planè vir, ecce Chryſoſtomus, Gregorius, ac ſimiles miracula commemorant ætatum ſuarum, reliquiarũ S. Stephani, Geruaſij, & Protaſij, Babilæ, Benedicti: ſi planè his credendum haud eſt, hiſtorias omnes valere iubeto: quos enim vel in credendo iudicioſiores, vel in dicendo, & affirmando ueraciores inuenias? Auguſtini, Chryſoſtomi, Gregorij non probant, fidedigni non ſunt; ergo nec Tacitus, nec Liuius, nec Cæſar, & cogemur ineptire. Imò verò ipſi vos ſectarij dicite: pridem facta miracula ſuffeciſſe, atque ideò illa deinceps ceſſaſſe, veſtra vox eſt: nunc ergo illa probant; at non quia ſenſu aliquo percipiuntur; non item, quia ſacrorum

libro-

Digitized by Google

librorum authoritate commendantur, quæ ſcilicet nihil probat niſi credita; credentibus autem nulla deinceps ſunt neceſſaria miracula, vt Paulus dicit; ergo quia fide dignis hiſtorijs, ac traditionibus innoteſcũt. Quid plura? Recuſatis rurſus hiſtorijs, facilè ſenſus quoque recuſantur: vndè miraculorum medium modis omnibus inutile reddetur, ac Deus ridebitur, qui hoc maximè medio vſus eſt.

Nimirùm, vt nunc non Chriſtianos omittamus, 473
nos quoque ſcire poſſumus, ac legitimè dignoſcere (an etiam debeamus, dicetur infra) nec apud Iudæos, nec Turcas veritatem eſſe, ſed apud nos Chriſtianos; nec enim vltrò, & temerè Chriſtiani ſumus, vel eſſe iubemur: ſuppetunt ergo legitima media, quibus illud mihi perſuadeam: non porrò libri ſacri, in quantum ſacri ſunt, qui id non probant, vt toties explicuimus: ergò alia: hæc autem potiſſimùm ſunt miracula, prædictiones, & ſimilia; ac ipſa necnon ſacræ hiſtoriæ humano modo ponderatæ, vti quæſt. ſup. factum eſt: quorum fermè omnium ipſiſſima eſt ratio, & probatio, & ipſiſſimæ ſolutiones, & exceptiones. Quo porrò pacto, quo modo, & arte antiquis miracuiis, vel hiſtorijs mihi perſuaſero, veritatem non apud alios, ſed apud Chriſtianos eſſe, eodem modo, arte eadem, eam apud Catholicos eſſe, commonſtrabo: vndè nequit vllus de veritate chriſtiana legitimè perſuaſus non fieri Catholicus: vtrumque enim, vel nihil probant argumenta.

Paulus utique ueriſſimè dixit, ſigna non fidelibus, 474
& credentibus, ſed infidelibus eſſe neceſſaria, ut ſcilicet credere uelint, & conuerti. At locutio hæc, & aſſertio, ut ſcholæ uoce utar, formalis eſt, non materialis. Etenim credens ſupponitur legitimè credens, ac de ueritate ſuæ religionis perſuaſus; quo facto nullis ultra probationibus, ſignis iam nullis opus habet: at, ut credere uellet, & uellemus, omnibus erat neceſſaria perſuaſio uel ueritatis, uel credibilitatis, ut ab his nunc litibus recedamus: hæc autem perſuaſio comparatur hiſtorijs, miraculis, traditiouibus, ſimilibuſq; uijs. Vndè omnibus, ſicut gentibus, ſunt neceſſaria miracula, quibus inducamur, & perſuadeamur, ſiue illa pridem edita, ſiue noua. Quale deindè argumentum illud eſt;

mi-

Digitized by Google

miracula neceſſaria haud ſunt: ergo non fiunt? Eſto quidem, illud Philoſophis liceat de natura tractantibus: at Theologis, qui de ordine gratiæ dijudicant, quid inaniùs? Anne Chriſtus nec vnum quidem ſignum præſtitit præter ſola neceſſaria? nullum Apoſtoli? Nullam miſericors Deus gratiam indulget præter, & vltra neceſſariam? Quid vltrò deſipitis?

Sed agite: nullum ſignum conceſſum ſit præter neceſſaria. At hæc neceſſitas permanſit ſecundo, tertio, quarto, quinto, ac ſexto etiam Chriſtiano ſæculo; permanſit etiam his poſtremis noſtris ſæculis. Ergo ea conceſſa ſunt, cum vel natura ipſa non neget neceſſaria. Minor argumenti liquet; non enim primo ſæculo gentes, & nationes vniuerſæ euangelicam veritatem agnouere, ſed ſequentibus ſucceſſiuè ſæculis plurimæ conuerſæ ſunt, ut conſtat ex annalibus. Quæ tamen cum tam noſtra non ſint, ut prætereamus, noſtris fermè ætatibus euangelium prædicatum, propagatumque eſt per Indos, qua Oriens, qua Occidens per immenſas illàc gentes, ac mundos quaſi nouos expanditur. Quidquid porrò Apoſtolorum temporibus regiones illas Euangelij notitia peruaſiſſet, à quo, ne hiſtorijs diſputatio impediatur, conſultiùs abſtrahitur, in aperto eſt, nationes illas omninò inuentas ignorantiſſimas, ac barbariſſimas, atque veritatis notitia non minus, ſed magis multò deſtitutas, quam fuerint tempore Apoſtolorum gentes aliæ: licet hæ quoque Noemi, filiorum, & nepotum temporibus ſatis fuiſſent quondam conſciæ veritatis. Ad harum ergo tot, tantarumque Gentium perſuaſionem, ac conuerſionem haud minus fuere neceſſaria miracula, quam cum Apoſtoli, & Diſcipuli per mundum miſſi ſunt, Domino cooperante, & ſermonem confirmante ſequentibus ſignis. Quid enim, vel quorsùm ruſticiſſimis gentibus, ac remotiſſimis, niſi viſibilibus diuinæ virtutis operibus tam noua, tamque difficilis doctrina perſuaderetur? At dicitis: non chriſtiana veritas, ſed idololatria perſuaſa eſt, vel confirmata. Cæterum hæ nugæ protritæ ſunt, oſtéſumque, ineptè nimis ad examen doctrinarum hoc loco prouocari. Quemadmodum itaque magnis ſupra Doctoribus dictum eſt, priſca miracula in effectu ſuo per-

475 *Miraculorũ continuãdorũ neceſſitas*

Digitized by Google

permanſiſſe, & euidentèr apparere, in conuerſione ſcilicet populorum; ſic noſtrorum recentiora miracula in tot nationum conuerſione ſuperſunt, patentque tam clarè mundo, vt ſectarij omnino ſint inexcuſabiles.

Sectarij uno Xauerio cõuicti.

Pridem Bellarminus veſtris Lutheris, Caluiniſque oppoſuit Xauerium: parũ illud fuerat; vobis vniuerſis, ſectiſque veſtris illum vnum opponere haud timeo. Educite illuſtria facinora, conuerſas gentes, peragratas prædicationis cauſa terras, tranſmenſa maria, deuorata pericula per peſtes, per mortes, mortuos ſuſcitatos, dona linguarum. Libros ſcribitis, nouas Euangelij expoſitiones cuditis. At & ego, nullius planè ſpiritus homo, libros compono; alij euangelia exponunt, concionantur, ſed domi, & in Patria alij. Non hæc damno, ſi ritè fiant: ad illuſtria tamen, & Apoſtolica vos facinora prouocaui. Producite aliquod præclarum geſtum mundo manifeſtum, quodque ex ſimilitudine Apoſtolicum videatur, ac in rebus hinc indè dubijs pondus habeat, vt, vbi de arboribus eſt controuerſia, ex fructibus illæ innoteſcant. Arent planè, frigentque hoc in genere ſectæ veſtræ: alibi earum mundanos fructus, Monachorum uxores, filios, libertatem, & hoc genus alia ſignifico: nunc ſemel, iterùm, tertiò Xauerium vnum vobis cunctis oppono, tot, tantiſque Apoſtolicis laboribus, Apoſtolicis dotibus illuſtriſſimum, ſi Indis, ſi Luſitanis, ſi Primarijs Viris, ſi Regnis, nationibuſque integris ſit fides aliqua; virtute verò miraculorũ adeò clarum, vt eum pro Deo habere non ſemel voluerint: at illud inter alia verorum, ac falſorum mirabilium diſcrimen ex Auguſtino, quod falſis Dæmones ſibi, veris autem Dei Miniſtri, non ſibi, ſed Deo Authori gloriam procurarint. Nec verò in illis ſumus illuſtrium rerum anguſtijs, vt ſolo Xauerio floruerit Sancta Eccleſia his etiam ipſis ſeparationis veſtræ ætatibus: habet, habet illa ex omni ordine tam multos, tamq; præclaros, quã vos habetis nullos, qui ad Indos, vel Perſas, vel Turcas profecti Chriſtianum nomen promouerint. At hac in abundantia orthodoxorum unus ille Xauerius argumentum conuincens eſt aduerſum uos. 476

Multa miracula ſignificata.

Haud alienum foret à conſilij inſtituti grauitate, ſi multa hic præſentiſſima miracula retexerem, Sanctorũ 477

Pa-

Digitized by Google

Patrum maximos quosque imitatus: erant verò vel hoc vno in Regno, cæteris etiam prætermissis Catholicorũ nationibus, quibus hoc in genere inopiæ vestræ admirationi esse possemus, permulta, eaq; amplissima, sanguis Ianuarij Martyris ad capitis conspectum ebulliẽs, sanguis Ioannis Baptistæ inter illius legendum euangelium totiès quotiès liquefactus; sacer ille liquor scaturiens perpetuò ex siccis Nicolai ossibus; ad Dominicũ Sorrentinum liberati energumeni; ad Dominicum Sorianum saluti restituti innumeri; venerandum illud Cassinatum signorum, virtutumque mirabilium theatrum à Gregorio celebratum. Vident hæc non nostri solùm homines, sed quotquot ex uestris etiam adueniunt, si velint: facta non negant: sympathiam causantur: facilis dictu res: at creditu, probatuque mirabilior miraculo. Ritè quippè, vt puto, diximus superiùs, eos, qui non credunt credenda, credere non credenda, & incredibilia; nam hac tot sæculorum sympathia quid incredibilius? Quid hoc aliud, quam Naturæ quidem credere malle miracula, quam Deo? Sed de his alij.

Celebre Xauerij ætatis nostræ miraculum.

478 VNum hìc non subticebo, illudque præclarum, editum à Xauerio miraculum: Neapoli illud scribo, vbi non pridem gestum fuit; vbi testes multi supersunt; vbi coargui, illudique possim, si vera haud narrabo.

479 Anno Domini 1634. Comite de Monte Rey Prorege in ipso eius Palatio dies festus agebatur in honorẽ Conceptionis Deiparæ. Ex altaribus magnificè apparandis unius cura demandata Patri Marcello Mastrillo nostræ Societatis Iesu Religioso, ex Mastrillorum Illustri familia orto, notoque satis Neapoli, sed celebritatis planè finis mœstus: nam cum quidam in alto patietis peripetasmata refigeret, bilibris ei malleus per incuriam manu elabitur, atque in Marcelli caput cadens, eo illum ictu affligit, vt sensuum expers iacuerit mor-

Marcelli Mastrilli vulnus.

Digitized by Google

mortuo ſimillimus. Sublatus mox indè manibus, curruique impoſitus ad Collegium Neapolitanum aduehitur. Peritiſſimi quidem Medici, atque Chirurgi accerſuntur: vulnus examinant, conſultant, & communi ſuffragio lethale dicunt; id vulnus, in quo curatio parùm proficiat, cœlum hoc capiti tam noxium, vt leuiora quoque ſint curatu difficillima. Mox æger magna febri corripitur; os etiam neruorum relaxatione obſtruitur. Ad extremum alijs peractis Chriſtianorum officijs, vigeſimo ſecundo à vulnere die ſacro oleo inungitur; anima, vt moris eſt, à ſocijs Patribus Deo commendatur: ad craſtinum expectatur funus.

Sanatur miraculo.

Hæc inter cum hora eſſet quaſi quarta noctis, diei Ianuarij tertij, Marcellus ſuo ſe nomine vocari ſentit; ſtantem propè lectum videt Xauerium, veſte quidem peregrinantium ad inſtar vulgari ſatis, ſed vultu hilari, & venuſto, quique deceret cœlitem. Rogatur, an mori, an ad Indiam ire præſtaret? Quod mallet Deus, Marcellus reſpondit. Tunc verò Xauerius votum nuncupare incipit: verba præit, quæ Marcellus reſumeret: Patriæ, amicis, conſanguineis renuntiatum; renouata religioſa vota; additum aliud de ſuo ad Indiam profectu, promiſſumque, ſe ſi liceret, apud Barbaros mortē pro Chriſto ſubiturum. Adſtantes quidem ſocij Marcellum audiebant loquentem, iam de grauiſſimis rebus agere viſum, iam in extremis vitæ anguſtijs delyrare, iā quid eſſet, mirabantur magis, quam quidquam iudicarent. Voto nuncupato, Sanctiſſimi ligni Crucis frūſtulum, quod apud ſe habebat, Xauerij iuſſu Marcellus reuerenter oſculatur, ac vulneri applicat. Tunc Xauerius eum bono animo eſſe iubet; valetudinem iam eſſe integram; & his dictis euanuit. Extemplò Marcellus in lecto erigitur; ſe ſanum dicit: viſa, factaque memorat; veſtitur; è lecto exilit; cicatrix, pallor, imbecillitas abeunt; reſtituti capilli ad vulneris curationem eraſi: ex numeroſiſſimo Collegio accurrunt cuncti; tum Marcellus, tum cæteri humi ſtrati Deo gratias habent: ſtupent deuotione, lachrymiſque perfuſi; omnes Marcellus amplectitur; cibumque poſt ſumit, quo tandiù fermè caruerat. Mox à Superiore iuſſus omnia manu ſua minutatim ſcribit, ſubſcribitque, & ſequenti die, quan-

480

Digitized by Google

quando funus expectabatur, coram magna frequentia (nam multi ad famam concurrerant) sacrum facit, cæteraque prosequitur integræ valetudinis officia. Vix in tam patenti miraculo opus informatione fuerat: tamen ea iussu Eminentissimi Archiepiscopi exactissimè facta; ac Medici, Chirurgi, testes, Patres, omnes iurati miraculum testantur, repugnat nemo, & quasi in meridiana luce cuiuscumque indolis, vel affectionis homines conueniunt. Ad Indiam quantociùs profectus post innumera alia breui peracta facinora tandē anno 1638. oct. 18. in Iaponia Nangasaquij pro fide torquetur, cruciatur, occiditur.

481 Eram quidem eo temporis ego in Hispania; vt verò fatear ingenuè, satis licet hoc in genere incredulus, dubitare tamen de hoc miraculo numquam potui, ijs momentis conuictus planè, quæ prodere iuuat. Videbam primùm nostros homines de eo vbique persuasissimos: at certè in hoc genere increduli magis plerumque existimus, quam faciles: quod quidem pro me satis mihi euidens facit rerum nostrarum diuturna experientia; alij aduertere facilè possunt, uix apud nos, in nostrisque templis ullas miraculis celebres imagines extare. Quod ego nec approbauerim hîc, nec improbauerim: scio utrumque extremum uitiosum nimiæ, uel tardioris credulitatis; hanc ergo rem suo in loco relinquo alijs iudicandam. Mihi tot hominum, non nimis utique facilium cōstans persuasio argumentum ueritatis inuictum est. Iam demùm integro fermè triennio Neapoli dego: cum his hominibus tracto, quorum multi eo in Collegio tunc temporis erant: alius in cubiculo ipso aderat, uir quidem, ne de superstite nimium dicam, probitatis haud uulgaris: audio, circumspicio, attendo, reflecto; &, ut uera solent, omnia inuenio uniformia, uicissim cohærentia, concordiaque. Nihil est, quod Xauerius, Marcellusque nostri sint. Nam de eodem Xauerio permulta hoc in ipso Regno uulgata sūt quæ credantur ab alijs quidem; at ab alijs negantur passim, uel etiam spernuntur.

482 Sed nostros nunc testes omittamus. Italiam, Hispaniamque totam compello. Inualuit quaqua uersum ueritatis uis ingens: Marcellus iam ad Indiam profe- *Confirmatio*

Digitized by Google

ctus singulari lætitia, cultuque non solito ubique excipitur : vt infinita hoc circa supprimam, illud reliquorum argumentum præclarum, quod Rex noster inter tot illa alia pietatis officia, ea illum forma locutus sit tam inusitata, *V.R. me encomende a Dios*, ac rogatus de causa, sibi visum, respondit, non cum hominum aliquo, sed cum sancto agere. Nimirùm tantus Rex à Ministris suis ex Italia exactè omnium certior erat : facilis porrò à Rege ad cæteros Proceres, & populos, Regnaque coniectura : quanta omnium frequentia? quanta vbique deuotio? quæ lachrymæ? fœlix ille habebatur, cui ex paupere supellectili aliquid contingeret : ac vno demùm verbo, sic fermè cum Marcello actum vbique, atque cum cœlitum aliquo, qui nos reuisurus venisset.

Potissima veritatis probatio.

At his maius veritatis argumentum Marcellus ipse, adeò mutatus in alium, vt non tam sanatus à Xauerio, quam versus in Xauerium videretur. Ex ea hora mutata cuncta : nihil visum in eo, nihil auditum deinceps, quod Viri Apostolici non esset : flagrabat amore Dei, amore Xauerij; pro Iaponiæ conuersione ardebat; hic totus sermo, hæ curæ. Examinentur tot Regna, an in eo leuius aliquid viderint, audierint? Ad Orientalem Indiam soluit; demùm Macaum appellit; indè ad Philippinas tempestate iactatur : ibi dum moratur, ad Mindanai expugnationem ducitur : quippe pius Dux Corquera plus roboris in vno Marcello, quã in exercitu vniuerso se ducere ratus est; nec spes fefellit; nam toties frustra tentata expugnatio expedita fœliciter. Indè ad Iaponiam soluit : citò capitur : inauditis illis fossæ, & aquæ tormentis exponitur : prodit ex tormentis vegetior : beatum caput amputandum carnifici traditur : riget ille; frustra tentat; atque à Marcello tandem ipso iussus crudeli officio fungitur, ac Marcellus, vt promiserat, fœlix Christo victima cadit. Infinita mari, terraq; ab eo edita mirabilia historiæ produnt. Nihil pluribus opus; hæc Marcelli vita, hæc factorum series, hic curationis, mortisque consensus, totidem haud integro quatriennio peracta facinora populorum hac illàc sensus, regnorum vbique consensus, omnium concordia, thenorque, si quid hoc in genere fil-

483

Digitized by Google

firmum est, miraculi veritatem euidentissimam planè conficit. Hinc vt miret denuò orthodoxos illos tantoperè morali euidentiæ supra à nobis assertæ, repugnantes. Miraculi porrò instrumentum sanctissimi ligni Crucis frustulum ex Philippinis reportatū natus. Excel. Comes de Peñaranda noster nunc Prorex: quanta verò in reuerentia habitum, quanto cultum affectu?

484 Totam ad extremum quæstionem comprobemus ex Sacræ Congregationis Rituum more exactissimo; licet enim nihil hoc ex loco perfecturi simus apud Sectarios, qui omnia Romæ gesta hoc solo improbant, & vix, quæ eorum impudentia est, homines compotes mētis ibi degere cōcedēt, tamē hæc temeritas est ipsorū extrema; ac deindè apud orthodoxos saltē audiemur. *Miraculorū comprobatio*

485 Quidquid itaque miraculorum in Vniuersa Ecclesia approbatur, in hoc primùm integerrimo Tribunali discutitur: eò Theologi optimi euocantur: ibi Promotor Fiscalis adest, qui magno studio, exquisita cognitione hinc indè exceptiones tam in iure, quam in facto quærat; opponat: hoc casu, hoc crist, hoc Dæmonis ope fieri potuisse disputat; historiæ rerum similium citantur; errores in eo genere committi soliti producuntur; collatio instituitur; Medicorum, Philosophorum sensa produntur; testes eliduntur: circumstantiæ quæque expenduntur: nihil vno verbo omittitur, quod ab hominibus geri hoc in negotio valeat. Atque hæc, opinor, concederent, si miraculum aliquod probandū Romam venirent, ipsi etiam procacissimi Sectariorum. Sic primùm discussa causa denuò coram ipso Romano Pontifice instituitur: & si omnia manifestissima noscerunt, nihil factum. Qui Romæ adfuimus, satis sumus huius veritatis conscij; nouimus, quam sit difficilis prouincia, vel vnius miraculi approbationem post diuturnam discussionem elicere. *Sacræ Congregationis Rituum diligentia.*

486 Aliud est itaque, quod simplices, & indocti de multis mirabilibus per nimiam quamdam facilitatem, vel rerum ignorātiam sint persuasi, quæ interea ab alijs in nullo pretio habeantur; nec his nos, vel Ecclesia pro veritatis suæ confirmatione vtitur; curantque de corrigendo errore Episcopi. Aliud sunt authentica, publica, examinata, approbata miracula. Hæc omnia nul-

lus

lus non extremè temerarius negauerit. Errauerit certè semel, vel iterùm (de quo non disputo) Sacra Congregatio: at id calũniæ nulli oppoſueris humaniſſimo etiam Tribunali legitimo, quod numquam rectum iudicauerit: at vel vnum verum miraculum veritatem noſtram concludit. Haud dicas Romam in eo facilè. Experti ſunt innumeri, experiunturque quotidie, quãto labore, quanto examine, quamque diuturno conſtet negotium; ex magna miraculorũ multitudine vix vnũ, imò nullum probatur aliquando. Sectarij itaque conſiderent, nec ſatis putent Geneuæ oblatrare; poſſunt enim facilè rẽ hãc explorare; & orthodoxi ſaltẽ vel ex hoc vno loco fateamur veritatẽ noſtrã manifeſtiſſimã.

QVAEST. XXVIII.

Virum Religio, & Eccleſia noſtra ſit nomine, & rè Catholica, & ſic vera? ac omnes proindè alia Chriſtianorum ſecta haretica?

SI funiculus triplex difficilè rumpitur, parùm hoc 487
hoc in argumento ſolutiones timeam, quod ex triplici fidei ſymbolo, Apoſtolico, Niceno, atque Athanaſij coaleſcit. Ergo ſymbolum Apoſtolorum, ac Nicænum nos credere iubent Sanctam Eccleſiam Catholicam; Athanaſius eam, quam proponit, fidem ſimiliter Catholicam compellauit: vnde Catholica, & vera perindè ſunt. Nihil porrò in tota fide Chriſtiana humanis quibuſque exceptionibus minus eſt expoſitum ſymbolo Apoſtolorum, quod, cum breuiſſimam toties fidei ſummam contineat, omnium ore tritum eſt, omnium voce decantatum, à viris, fœminis, pueris, à doctis, à ruſticis in omni loco, & vbique Chriſtianorum memoriæ traditum, ea omnium notitia, eo omnium vſu, vix vt corrumpi, aut alterari, aut mutari ſine miraculo citra omnium notitiam, ac

famam

Digitized by Google

famam publicam potuerit: vnde solitas illas de corruptis bibliis exceptiones oblatrare in præsentia minimè possunt Sectarij. Cum itaque Christi fideles Antyochiæ primùm Christiani appellari cæpissent; mox verò prodeuntes Hæretici se quoque Christianos nominarent, alio cognomine, quo se ab hæreticis seiungerent, veris Christianis opus fuit; atque Catholicorũ indè cognomentum inductum est, rei ipsi, quæ significanda erat, aptissimum, vt Pacianus ep. 1. ad Simpronia. inquit: *Christianus mihi nomen est: Catholicus verò cognomen: illud me nuncupat, istud ostendit: hoc probor, indè significor*. Scilicet vt à Paganis, infidelibusque reliquis differremus, opus fuerat nomen Christianorum assumere: aliud rursus, quo ab Hæreticis sub idem fermè tempus natis differremus. Iam autem ex hoc cognomento non minus, aut aliter constat Lutheranos, & Caluinistas esse hæreticos, quam priscos illos; nam quæcumque Sancti Patres hoc circa contra illos ponderarunt, cuncta ex integro ipsos inuoluunt: quo in puncto, quia ingenui pudoris plenum est, ait Plinius, eos fateri, per quos profeceris, omnem fermè laboris, & laudis materiam nobis præripuit Eximius Doctor Suarez lib. 1. Apolog. a c. 12. vsque ad 17.

Assertio probata de nomine.

488 IGitur Lutherani, & Caluinistæ, &c. non sunt Catholici nec re, nec nomine: & deindè sunt quoquo modo Christiani: ergo sunt hæretici. Primò autem dicamus de nomine. Consequentia tenet ex prædictis tribus symbolis: tenet etiam ex authoritate Sanctorum Patrum Cyrilli Hieros. Hilarij, Cypriani, Optati Mil. Athanasij, Chrysostomi, Hieronymi, Iustini, quorum loca exhibet Doctor laudatus. Vnus mihi nun sufficit Augustinus, qui consequentiam vbique ratam habuit. Antecedens verò l. contr. epist. fundam. sic probat: *ipsum Catholicæ nomen, quod non sine causa inter tam multas hæreses sic ista Ecclesia sola obtinuit, vt, cum omnes Hæretici Catholici dici velint, quærenti tamen peregrino alicui, vbi ad Catholicam conueniatur, nullus hæreticorũ,* *Augustini probatio.*

vel

Digitized by Google

vel basilicam suam, vel domum audeat ostendere. Et rursus l. de vera, & falsa rel. c. 7. *tenenda est nobis Christiana religio, & eius Ecclesiæ communicatio, quæ Catholica est, & Catholica nominatur, non solùm à suis, sed etiam ab omnibus inimicis. Velint enim, nolintue, ipsi quoque hæretici, & schismatum alumni, quando non cum suis, sed cum extraneis loquuntur, catholicam nihil aliud, quam catholicam vocant; non enim possunt intelligi, nisi eam hoc nomine discernant, quo ab vniuerso orbe nuncupatur.* Hæc autem singula ad verbum hodie accidunt, quæ Augustinus tanta reflexione commemorat.

Quis enim nostrum vel vrbanitatis causa cum Lutherano agens, ipsum catholicum nominat? cum tamen ipsis contrarium crebro accidat? Quis rursus eorum à nobis rogatus, cuius sit religionis, audet se catholicum dicere? respondent enim, se esse religionis, vel simpliciter, vel religionis reformatæ: vt enim deficientes species, & naturas nomine solùm generico cõmuniter designamus, vt irrationalia appellamus animalia, & supposita non intellectiua simpliciter appellamus supposita, quia ex propria differentia nil magnum habent, à quo cognomentum accipiant; sic isti sese vltrò religionis simpliciter nominant, quia ex propria differentia nil, nisi Caluinum vel quid simile habent, nil demùm illustre, ex quo cognominentur, vel cognominari non erubescant. Alij rursùs, vt mihi multoties accidit, cum nobiscum agunt, se catholicos Anglos vocant; nos tamen dignantur interea Catholicos Romanos appellare: quasi verò quod est ridiculum, possint duæ Ecclesiæ Catholicæ subsistere contra symbolum, *& vnam sanctam Catholicam Ecclesiam.* Nos porrò, qui furto haud viuimus, cuicumque eorum interroganti, qui simus, eodem prorsùs modo nos esse catholicos dicimus, atque esse Hispanos, vel Gallos; sæculares, vel ecclesiasticos; & hac responsione nos continuò intelligunt, neq; aliud subinterrogant: si porrò ipsi idem responderent, quicumque eos aliundè nosset non habent, intelligerent, eos esse ex nobis; non autem id, quod sunt. Et quid rursus eo nomine Caluinistas potius, vel Lutheranos intelligeret. 489

Confirmatio Quæ omnia vlteriùs confirmet sapiens, & dissertus 490

Theo-

Digitized by Google

Theologus Valentia Germaniæ incola 2.2. disp.1. q.1. p.7. exemplum planè huius rei (inquit) hodie habemus in ijs etiam regionibus, in quibus aliquis sectis locus est, vt in Germania. Quamuis enim Ecclesiæ Catholicæ *variæ hæreses* (ait idem Augustinus lib. de vtilit. cred.c.7. *diuersa nomina imponant, cum ipse singulis vocabulis appellentur*, tamen apud ipsos etiam hæreticos, nomen potissimum Catholicæ ea Ecclesia obtinuit, quæ verè catholica est. Quod vel ipsi certè librorum catalogi, qui conficiuntur in nundinis Francfordiæ singulis annis bini ab ipsismet hæreticis, declarant; libros enim, qui à Catholicis Authoribus scribuntur, libros vocant *Catholicorum, qui Romanæ Ecclesiæ subijciuntur*: reliquos autem *Protestantium*: Catholicos autem appellare non audent: non enim intelligerentur, vt inquit Augustinus.

491 Accedit, quod ante Lutheranas, & Caluinianas obortas sectas, nostra Ecclesia Catholica dicebatur, & nos Catholici ab orbe vniuerso: præscripsimus itaque in hac possessione, & ita vbicumque sine artificio, & sine fuco, factioneque agitur, nos vltrò omnes vocant sicut priùs, scilicet catholicos: sicut Hispanos Hispanos: vel simpliciter Christianos, quod satis est, & coincidit; nam non Catholici haud sunt veri Christiani, nec simpliciter Christiani. Quod verò ipsi clam, vel in absentia, vel scripto alia nobis inurant nomina, vel Papistarum, vel Romanorum, nil primò officit, nam, & hoc ipsum nostræ veritatis signum est, vt supra diximus; & deindè fraus est ista nimis antiqua, obsoleta, & deprehensa, vt nuper Augustinus, qui tredecim ante sæcula obijt, prouidè obseruabat: & rursus: *ecce* (ait) *qui nos quasi macula noui nominis vocant Homousianos, nec se ipsos, cum ista sentiunt, intuentur insanos*. Vident quippè Sectarij, vel hoc solo Catholici nomine se prorsus conuinci, si aliqua fides toti Sanctorum Patrum antiquitati. An ergo tacerent? nil mouerent? At id mouent, quod pridem Ariani: nil noui afferunt: nobis porrò, quod magno solatio est, eadem causa cum Augustino, eadem cum veris illis Catholicis. Concludamus ergo, sicut priùs, vel eos non fuisse, vel nos pariter esse Catholicos: ac rursus, vel Marcionitas, Aria-

Digitized by Google

noſque non fuiſſe, vel paritèr Lutheranos, Caluiniſtaſq; eſſe hæreticos. Quoniam verò nouis obnaſcentibus rebus noua quoque nomina quærenda ſunt, & imponenda, vt intelligamur, hæ nouæ ſectæ noua ſimiliter nomina ſortiuntur, vt ijdem Sancti Patres obſeruatum reliquerunt; *ſed illi Dæmoniacis fraudibus irretiti* (inquit Lactantius l.4 cap.vlt.) *quas proſpicere, & cauere debuerant, diuinum nomen, & cultum per impudentiam perdiderunt; cum enim Marcionitæ, Ariani, ſeu quilibet alij nominantur, Chriſtiani eſſe deſierunt, qui Chriſti nomine amiſſo humana, & externa vocabula induerunt: ſola igitur Catholica Eccleſia eſt, &c.* ſic autem hodie Sectarij appellantur Caluiniſtæ, vel Lutherani, vel Proteſtantes, vel Anabaptiſtæ, nec niſi tot his nominibus eorum quiſquam intelligit differentias, opuſque eſt vocabulario planè ſatis magno. Iam ſi quando de Catholici nomine litem nobis ſeriò mouere iuuabit, vel omnes primum in eamdem ſectam conueniant, ſiquidem multæ catholicæ eſſe nequeunt; vel in eo ſaltem concordent, quamnam illarum placeat catholicam appellare: cum namque per eadem omnes tempora obortæ ſint, eademque omnes iura obtendant, nobis, & mundo eſt interea impoſſibile aliquam vnam præ alijs eo cognomento decorare. O niſi ſanguine Chriſti redemptæ eſſent, deridendas planè animas?

Aſſertio probata de re.

NVnc de re etiam ſignificata nonnihil dicamus, quandoquidem omnia dicere nec poſſumus, nec debemus, vbi vel ſolus Auguſtinus totum librum de vnitate Eccleſiæ ex hoc fermè vno loco expleuit. Olos vt latina ſcriptione vtamur, totum græcè ſignificat: vel integrum: chata autem, quod circa, vel ſecundum totum eſt; vnde Eccleſia Catholica perindè eſt, atque Eccleſia totalis, & vniuerſalis, & diffuſa per totum orbem: & Catholicus perindè, atque qui in hoc, & ex hoc toto eſt. Hinc Sancti Patres hæreſes, hæreticorumque ſectas perpetuò appellarunt Partes, non componentes, ſed abſciſſas, & extra Eccleſiam, & extra totum 492

Quid Eccleſia Catholica?

Digitized by Google

tum positas; & deindè, quia in aliqua parte orbis sunt, & non per totum: qui enim intra sunt, & totius nomine appellantur potiùs Catholici, vt hominis pedes, vel manus, vel caput, non partes purè appellamus, sed humanum caput, humanos pedes, vel hominis, & similiter manus, & membra; notum scilicet cunctis est, hoc totum, corpusque Ecclesiæ per analogiam ad humanum corpus in sacris litteris, præsertim verò à Sancto Paulo esse nobis semel, & iterum descriptum, declaratumque.

493 Hanc porrò totalitatem, & vniuersitatem, vel vniuersalitatem bipharíam accipiunt, exponuntque Sancti Patres, & Theologi, vel pro vniuersalitate, & totalitate doctrinæ Christi; vel pro vniuersalitate, & totalitate temporis; vel pro totalitate, vniuersalitateque loci: quòd scilicet Ecclesia Catholica totam doctrinam Christi, & non partem teneat: quod post Aduentum Christi semper fuerit: quod denique vbique sit, & per totum orbem diffusa: quo diffusionis nomine sese explicant communissimè Sancti Patres. De totalitate temporis diximus supra, indeque palmari argumẽto ostendimus veritatem nostram, vanitatemque hæreticam. *Multiplex Ecclesiæ vniuersalitas.*

494 De vniuersalitate, & totalitate doctrinæ bifariam disputari potest, vel singula examinando, nostraque omnia cum scriptura conferendo; & hanc viam affectant hæretici, qui vident longam eam, latebrosam, interminabilemque; nos verò millies demonstrauimus eam ineptam, nec ex ea aliud, quam vel scholas, vel hæreses consurgere. Vel disputari potest quærendo aliundè veram Ecclesiam, quæ procul omni dubio ex Christi promissionibus totam eius doctrinam tenet, illique nosmet, vt par est, subijciendo: ecquis enim ita cæcus, qui non consultiùs esse videat, atque saniùs, nos Ecclesiæ, quam Ecclesiam nobis subijcere? Habent autem sectarij, vt aliquid & hoc circa addam, vnde suspecti in hoc nunc denuò nobis sint; ipsi quippe nullam regulam vniuersalem, vniformem, & totalem habent, qua ad totam doctrinam obligentur, eamque teneant; nam si Caluini, vel alterius authoritate ducuntur, illi non in omnibus, sed vbi verus apparet, cre-

Digitized by Google

dendum est; si autem proprio scrutinio agant, non semel dormitat Homerus: non semel multa sunt talia, in scripturis, vt certus sensus humano modo innotescere indubitatè nequeat, &c. Potissimùm verò ex eo non tam suspecti sunt, quam conuincuntur; quia iam communissimè tenent, hanc minimã doctrinæ partem sufficere, vt scilicet credatur in Christum; videant verò, an hanc solam doctrinam Christus tradiderit?

Nunc ergo de totalitate, & vniuersalitate loci, 495
quia res est non metaphysica, nec abstrusa, & recondita, sed maximè patens, & obuia, & doctis, ac indoctis, simplicibus, ac omnibus palam perceptibilis, aliqua, quam breuissimè, & clarissimè adiungamus? vtar verò potissimùm discursu Augustini, qui in hoc maximè eminuit.

Quæstionis sensus.

Veram itaque religionem Christianam, atque 496
Ecclesiam per vniuersum orbem aliquo demùm modo propagatam, diffusamque esse, mox patebit, estque de se manifestissimum. At multa hoc circa quæri possunt, & distingui, an nimirùm necesse sit, Ecclesiam Catholicam semper, & simul esse per orbem totum sparsam, diffusamque, an solùm successiuè? an ita vniuersalem eam esse oporteat, vt superet religiones falsas, omnes, & Ecclesias malignantium, vel illarum saltem quamlibet? an vt minimùm excedere ea debeat hæreses omnes, vel saltem illarum quamlibet?

Remouenda quæ per accidens.

In his porrò omnibus separanda sunt, vt verbis 497
scholæ utar, ea, quæ sunt per accidens, & breui abeunt, & ea, quæ per se, & stabilia, & communia; nec illa prima in disputationem unquam ueniunt: sic u.g. uniuersalitati Hispanicæ Monarchiæ non derogat, quod paucos ante annos tota pœnè collabi uideretur, nilque subsistere, hinc Neapoli, & Sicilia, seu utraque Sicilia deficiente; illinc Portugallia, Catalauniaque rebellante, intra ipsumque Castellæ regnum tumultuantibus multis, Belgio fermè subacto toto, & uniuerso corpore undiq; dehiscente: at Deo auspice desæuijt hic turbo, omniaque breui in statum suum, atque ordinem redierunt. Sic nil uniuersalitati Ecclesiæ Christi derogat, siquando tempestate iactatur, siquando pœnè submergitur, siquando à Christo deserta uidetur, ut Marci 6. *Erat*

nauis

Digitized by Google

nauis in medio mari, Beda ediſſerit; ſi in partes, & ſchiſmata ad tempus tota ſcinditur: ſi Paſtore, & gubernaculo deſtituitur; & ut Auguſtinus ep. 48. ait, *obſcuratur, & tamquam obnubilatur multitudine ſcandalorum*; ſeu ut Matth. 8. proponitur, *ſi Chriſto aſcendente in nauiculam*, quæ typus erat Eccleſiæ, *motus magnus factus eſt in mari, ita ut nauicula operiretur fluctibus; ipſe verò dormiebat*; quibus planè temporibus multi modicæ fidei timuerunt. At, ut ſexdecim ſæculorum demonſtrauit experientia, quæ ſanè ſatis cõuincens argumentum ſuppeditat, Chriſtus demùm ſurgens imperat uentis, & mari; & efficitur tranquillitas magna, rebus ordo, ordini ſtatus, & cunctis decor ſuus, ac ſplendor reſtituitur.

Probatio aſſertionis.

498 Quibus ità animaduerſis, ſequentia argumenta ex uno Aug. l. de unit. Eccl. pro ueritate noſtræ Eccleſiæ efformo, quæ ipſi, & meritò uiſa fuere euidentiſſima. Eccleſia uera Chriſti, ideſt Eccleſia Catholica, ſaltem ſucceſſiuè diffuſa eſt, & ſparſa per uniuerſum orbem, & per gentes omnes. At Eccleſiæ, uel ſynagogæ Sectariorum non ſunt ità diffuſæ, & ſparſæ. Non ſunt ergo Eccleſia Chriſti, ſed ſynagogæ Sathanæ, & hæreticæ.

499 Miſſis, & ad hunc ſcopum improbatis locis omnibus allegoricis, & figuratis, & moralibus, & obſcuris, & qui in utramque partem ponderari queant, nec in litterales abierint, maiorem propoſitionem euidenter Auguſtinus demonſtrat ex Geneſi, ex Prophetis, ex Pſalmis, ex Euangelio, & Actis Apoſtolorum, ex Epiſtolis Canonicis, & ex Apocalypſi, ea lege præſcripta, quæ Sectarijs placere debet, ut amotis cæteris ſolùm ualeat, *hæc dicit Dominus.*

Vera Eccleſia diffuſa per orbem.

500 Dominus ergo Gen. 22. & cum iuramento dicit ad Abraham, *multiplicabo ſemen tuum, ſicut ſtellas cæli, & uelut arenam, quæ eſt in littore maris; & benedicentur in ſemine tuo omnes gentes terræ.* Eamdem poſtea promiſſionem Gen. 26. repetit ad Iſaac: eamdem ad Iacob. Gen. 28. Si quis autem contentioſus eſt, non mecum, inquit Auguſtinus, ſed cum Apoſtolo contendat; ipſe enim infallibilis interpres benedictionem iſtã exponit ad Galat. 3. *Abrahæ dictæ ſunt promiſſiones, & ſemini*

Digitized by Google

ſemini eius. Non dixit, & ſeminibus quaſi in multis, ſed tamquam in vno, & ſemini tuo, quod eſt Chriſtus; & paulò ante: *vt in gentibus benedictio Abrahæ fieret in Chriſto Ieſu, vt pollicitationem ſpiritus accipiamus per fidem.* Deindè verò per Prophetas idem dixit, promiſitque multotiès idem Dominus, vt Iſai. 11. 27. 41. & 42. & 49. *Ecce dedi te in lucem gẽtium, vt ſis ſalus mea vſque ad extremum terræ:* & rursùs: *eccè iſti de longe venient, & eccè illi de Aquilone, & mari, & iſti de terra Auſtrali: Laudate cœli, & exulta terra etc.* quia autem *in tempore placito* hæc adimplenda prædicit, Apoſtolus 2. ad Corinth. 6. connectit; *eccè nunc tempus acceptabile: eccè nunc dies ſalutis.* Eadem porrò ingeminat Iſaias 51. & 53. & 54. *& ſemen tuum gentes poſſidebit*: & rurſus: *lætare ſterilis, quæ non paris; erumpe, & exclama, quæ non parturis: quoniam multi filij deſertæ magis, quam eius, quæ habet virum:* id eſt, Eccleſiæ per ſterilos gentes fundatæ, quam Synagogæ. Eadem pſal. 2. & 18. 56. 57. & alias inculcantur, *dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & poſſeſſionem tuam terminos terræ: replebitur gloria eius omnis terra: à mari vſque ad mare etc.*

Eccè rursùs interpres infallibilis Paulus ad Rom. 501
10. *Sed dico: numquid non audierunt? & quidem in omnem terram exiuit ſonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum.* Iam enim in omnem terram exiuerat ſonus, famaque Euangelij; nam actuum 2. dicitur, ad quæ proculdubiò Paulus alluſit: *Erant autem in Hieruſalem habitantes Iudæi, viri religioſi ex omni natione, quæ ſub cœlo eſt: Parthi, & Medi, & Ælemitæ, & qui habitant Meſopotamiam, Iudæam, & Cappadociam, Pontum, & Aſiam, Phrygiam, & Pamphyliam, Ægyptum, & partes Libyæ, quæ eſt circa Cyrenem, & aduenæ Romani, Iudæi quoque, & Proſelyti, Cretes, & Arabes audiuimus eos loquẽtes noſtris linguis magnalia Dei: ſtupebant autem omnes, & mirabantur etc. & appoſitæ ſunt in illa die animæ circiter tria millia.* Et deinde Apoſtoli per Orbem vniuerſum ſparſi ſunt. Rite ergo Paulus: *ſed dico: numquid non audierunt? Et quidem in omnem terram exiuit ſonus eorum.* Poſt tot, & tanta ſiquis erit peruicacior, contendat cũ Euãgelio, pugnet cum Chriſto: nam ipſe legem, & Prophetas, & pſalmos Lucæ 24. exponit: *hæc ſunt verba, quæ*

locutus

Digitized by Google

locutus ſum ad vos, cum adhuc eſſem vobiſcum, quoniam neceſſe eſt impleri omnia, quæ ſcripta ſunt in Moyſe, & Prophetis, & pſalmis de me: tunc aperuit illis ſenſum, vt intelligerent ſcripturas; & dixit eis: quoniam ſic ſcriptum eſt, & ſic oportebat Chriſtum pati; & reſurgere à mortuis tertia die; & prædicari pœnitentiam in nomine eius, & remiſſionem peccatorum in omnes gentes: & aliàs etiam idem legitur in Euangelio. Voluit ſcilicet Deus glorioſus id ipſum ſemèl, & iterum, denuò, ac centiès prædicere, ruramenta addere, toties in nouo teſtaméto conceptis verbis exponere, vt omnes, & dormientes, & ſtupidi excitentur, commoueantur, intelligant, nec vllus ſuperſit locus tergiuerſandi. Vel ergo Chriſtus ipſe prædictus in lege, & Prophetis non fuit, vel non minus prædictum fuit eius regnum per vniuerſum orbem diffuſum, propagatumque. At regnum Chriſti Eccleſia eſt Chriſti: nec qui de Eccleſia eius non ſunt, de eius ſunt regno: & rurſùs in ſemine Abrahæ, id eſt, Chriſto illi benedicuntur, qui ſunt de eius corpore, quod eſt Eccleſia; etc. Ergo uera Chriſti Eccleſia, hoc eſt, catholica, ut nomẽ ipſum præſefert, diffuſa eſt, ſparſaque ſaltem ſucceſſiuè per gentes omnes, per orbem totum: quæ fuit maior aſſumpta in argumento, & niſi Auguſtinus, & ego delyramus, patentiſſimè demonſtrata.

Sectariorũ ſecta nõ ſic diffuſa.

502 Minor erat, non ſic propagatam, diffuſamque eſſe Eccleſiam, uel ſynagogam, uel profeſſionem Sectariorum: quæ etiam ex ijs eſt rebus, quas uidet quiſque in mundo. Vt ſcilicet nullam nunc ſectarum diſtinctionem inducam, ſed omnes illas ſub uno Proteſtantium nomine complectar, auſim dicere, imò ſine metu, & ueriſſimè dico, uel ſolum Ordinem S. Dominici, uel Sancti Franciſci, uel Societatem noſtram magis eſſe diffuſam, ſparſamque per orbem, & per gentes, quam totam ſectam Proteſtantium: non enim ex numero ſectatorum hoc pendet, ut patet: nullibi enim ipſi præter Septentrionem ſunt, ut Auguſtinus Donatiſtis opponebat eos nullibi præter Africam eſſe; aliò quippe ſi abeunt, nec ſedem figunt, & cauſa ſolùm mercaturæ abeunt, & redeunt. At uerò, cum Eccleſia Catholica, nullã habent comparationem; nam in ipſis ſolùm prophanatis regionibus computatis, Gallia, Belgio, Dania,

An-

Digitized by Google

Anglia,Suetia,& Polonia,ſatis manet incertum, utra pars ſit numeroſior, an Catholicorum,an Proteſtantiũ: quibus ſi Italiam addas,& Inſulas, & Hiſpaniam, & alium nouum mundum in America, & quæ in Oriente ad Oceanum à Luſitanis erectæ ſunt Eccleſiæ, & quæ etiam in Oriente ad Mediterraneum extant, tam clarè eos ſuperamus, quam cœlum ſuperat terram. Nos rurſus ſumus, ubique ſunt ipſi, una, uel alia excepta urbe; ſumus enim in Germania,in Anglia,& in Olandia: non autẽ è cõtra. Sed qnod ſine effugio eos opprimit,non una eſt apud ipſos profeſſio, ſed centũ, uel etiam plures, & nulla una fermè eſt, quæ uel unam urbem ex integro poſſideat: ut norunt omnes. Ergo ſectæ iſtæ non ſunt per orbem,& per gentes ſparſæ,& diffuſæ. Et rurſus,ſiqua Eccleſia eſt in mundo catholica,utique noſtra eſt: & ipſi conſequenter nil niſi ſynagogas Sathanæ efficiunt.

De vnitate ſucceſſionis Eccleſiæ.

Iam autem ad ſucceſſionem refugere nõ poſſunt, quaſi ipſi illam ipſam Eccleſiam conſtituant, quæ tempore Apoſtolorum,& deinceps propagata fuit,diffuſaque per Orbem, & gentes omnes. Nam in primis ipſi efficiunt ſectas innumerabiles, & pugnantes,& eadem allegant: cuinam ergo ius ſucceſsionis adſcribas? Deindè ſint ſectæ u. g. centum: certum eſt ſoli uni ius poſſe competere; nam Eccleſia Chriſti,& fides una eſt: ergo nonaginta nouem ſine iure ſunt: at ex nonaginta nouẽ, uel etiam ex ſolis quadraginta nouem falsò prætendẽtibus,& eodem tempore obortis, & eadem fermè allegantibus optima inducitur exceptio etiam contra centeſimum, uel quinquageſimum. Ipſa deindè multitudo litigantium reddit cauſam ipſorum ridiculam, & contemptibilem: eſſet namque Titius in poſſeſsione maioratus non uno die, uel anno, ſed ſæculis etiam multis: prodirent autem ſub idem tempus prætendentes centum, uel quinquaginta ſinguli contra poſſeſſorẽ, & reliquos omnes: nil hactenus tale uidit mundus: & ad riſum moueret, & contemptum, ſi contingeret. Atque denuò ipſi ius, & cauſam ſuam promouere non poſſunt,niſi per examen articulorum, & rerum: hanc porrò litigandi uiam oſtendimus illegitimam. Præterea, quia ipſi nulli legitima ordinatione ſuccedunt; 503

Sectarij non ſuccedunt.

No-

Digitized by Google

Nouatianus (inquit Cyprianus ep. 76. *in Ecclesia non est, nec Episcopus computari potest, qui Euangelica, & Apostolica traditione contempta, nemini succedens, à se ipso ortus est*; nec enim Sectarij Ecclesiam habent, si Episcopos non habent, ut patet ex Act. Apost. c. 20. & 1. ad Timot. 3. & 1. ad Cor. 12. &c. & alioqui tota Ecclesia à principio ineptijt: at Episcopos nullos habere possunt nisi quales dicit Cyprianus, nemini succedentes, à nullo ordinatos, & à se ipsis exortos, uel à putrefactione, & uno uerbo mures, idem uerò est de Sacerdotibus, & præsbyteris. Rursùs huiusmodi litigatores iam pridem multi prodierunt, Nouatiani, contra quos Cyprianus, Donatistæ, contra quos Augustinus, & similes: intentionem porrò ipsorum uanam fuisse demonstrauit exitus; nosque eadem defensionis iura producimus, eamdem præscriptionem, eamdem interruptam seriem, & successionem, Cornelij à Fabiano, ut ponit Cyprianus, & sic deinceps ad Petrum usque, & sic item deinceps ad Alexandrum usque septimum. Nostra ergo Ecclesia illa ipsa antiqua est; quemadmodum idem est flumen propè fontem, & procul; & æstate, & hyeme, cum exundat, uel pœnè arescit; idem homo, qui priùs puer, & postea uir, & demùm senex; eadem Respublica Veneta Regno Cypri amisso, uel possesso. Et consequenter hæc ipsa, quæ nunc est Ecclesia, saltem successiuè diffusa fuit, propagataque per uniuersum mundum, perque gentes omnes.

504 Tam nihil de catholicismo nanciscuntur hæ sectæ, ut earum potiùs constitutio, & modus, & indoles repugnet propagationi, diffusionique Apostolicæ, & Euangelicæ; nam apud eos nec sunt, qui mittant; nec qui mittantur, cum adeò sit proprium Euangelij, vt per missionem diuulgetur, propageturque, vt ipse etiam Christus se toties missum asserat, nec Apostolus aliud significet, quam missum: *quomodo ergo* (ait Paulus ad Rom. 10. *inuocabunt, in quem non crediderunt: aut quomodò credent ei, quem non audierunt? quomodo autem audient sine prædicante? quomodò verò prædicabunt nisi mittantur? sicut scriptum est, &c.* Hæc cum tam perspicua sint, ipsi interea aliud caput, vel superiorem, à quo mittantur, non habent, præter Dominos temporales,

Sectarũ institutio repugnat Catholicismo.

Digitized by Google

Regem Angliæ, Ducem Saxoniæ, Burgi Magiſtros Auguſtæ, &c. hi porrò Regni, vel Vrbis adminiſtrandi curam gerunt: nil verò de mittendis prædicatoribus cogitarunt, vel cogitant: quos enim, vel quò miſerunt? & quid mittant, cum probè norint, etiamſi aliquos, vel Gallos, vel Italos, v.g. ad ſuã opinionem pertraherẽt, eos Duci Saxoniæ ſubiectos non fore, neç vnã Eccleſiã effecturos, ſed ſingulos eadẽ de cauſa vrbi ſuæ, vel regno placita ſectaturos. Deindè nulli ſunt, qui mittãtur; cum ipſorum Miniſtri vxores habere iubeantur, & filios, & domos; quæ chariſſima pignora, quidquid vnus aliquis propter Deum relinqueret, at nec ſecundum communem legem id eſſe poteſt, nec regulare. Experientia verò, quæ mater eſt ſapientiæ, quidquid ponderamus, commonſtrauit. Iterùm audaciè, & ſine metu dico, totam hanc ſectatum molem quoad propagationem, & diffuſionem Euangelij ſpectat, nil habere, quo vel vni Sancto Franciſco Xauerio conferatur, qui Reges, & Regna, & Gentes ſine numero ad Chriſti fidem pertraxit. Nunc etiam miſſiones per vniuerſum mundum fiunt ab infinita multitudine. Peſſima porrò ad hoc muneris ſectarum conſtitutio ex eo etiam declaratur, & firmatur, quod apud nos Sacerdotes non regulares, licet vxores haud habeant, quia tamen redditus perſonales habent, rarò, & rariſſimi ad has ſe miſſiones diſponant; & religioſis viris tota hæc Prouincia incubuit, etſi interea facti ſimus *omnium peripſema vſque adhuc; ipſe verò nouit quare?* Quid ergo de ſectarum Miniſtris ſperandum eſt.

Etiam relicta ſucceſſione vincit Eccleſia Catholica.

HActenus innotuit ſatis, tot illas, & iuratas quidẽ Dei promiſſiones de omni terra, deque omnibus gentibus in ſemine Abrahæ, ideſt, Chriſto benedicendis adimpletas in Eccleſia noſtra ſaltem ſucceſſiuè: quidquid Sanctorum Patrum aliqui nondum eam ipſorum tempore expletam cenſuerint: & hoc ſatis eſt ad dignoſcen- 505

Digitized by Google

scendam sectariorum hæresim. At, quod tamen adeò certum nõ est, successione etiam omissa, nunc quoque eo in statu Ecclesiam constitutam puto, quod promissiones illas omnes verificet: eo animaduerso primum ex Augustino, quod illæ non de singulis generum, sed de generibus singulorum intelligantur. Verissimè enim a mari vsque ad mare diffusa est Mater Ecclesia, & à solis ortu vsque ad occasum laudabile est in ea nomen Domini; ab Oriente, & Occidente veniunt, qui recúbant cum Abraham. Et deindè celebriori, & notissima mundi diuisione in quatuor partes sumpta, sunt Ecclesiæ, & sunt Catholici in Asia, in Africa, America, & Europa. Sumptis etiam alijs subdiuisionibus nullius imperij in Curia, & Metropoli Viri euangelici desunt, qui benedictionem offerant, & aliquibus etiam impertiant, vt Constantinopoli, & . Nec hoc circa illud omittamus, quod Dominus non omisit: nam Sap. 18. ait, eum in finem permissum ab ipso, & Iosephũ Ægyptijs vendi, & Israeliticum populum captiuum duci, *per quos incipiebat incorruptum legis lumen sæculo dari*: est verò tota Africa, & Græcia captiuis Catholicis plena: quæ fusiùs haud prosequor, nec obuias historias, & nomina texo. Id etiam facilè constat nullam nunc nec Paganorum, vel Mahometanorum sectam esse adeò diffusam, & sparsamper gentes: quia omnes aliæ religiones sunt partium, & huius, vel illius gentis; nostra verò Domini, cuius totus mundus est populus.

506 Illud autem asseuerãtiùs affirmo, nullam vnquam vllam hæresim in hac diffusione adæquasse, nec adæquaturam esse Ecclesiam Catholicam. Et de præterito quidem solùm de Ariana potest esse concertatio? vrget verò tritum illud Hieronymi; *ingemuit orbis, & totum se Arianum videns miratus est*. Illud item Gregorij Theologi: *vbi tandem sunt, qui paupertatem nobis exprobant, opesque suas insolentes iactant? qui Ecclesiam multitudine definiunt, ac paruum gregem aspernantur?* At Hieronymus ad Ariminense Concilium alluit, in quo omnes fermè Episcopi decepti fuerunt, sed breui errore deprehenso plerique ad veritatem rediere; Nazianzenus de aliqua solum vrbe, vel regno agit; quod nil ad rẽ. Nam de reliquo Hilarius, Athanasius, Ambrosius, Basilius,

Hæreses impares Ecclesiæ.

Digitized by Google

Augustinus testes sunt, illam hæresim haud fuisse parem Ecclesiæ in diffusione: ad quod, vti notauimus, non capita numerantur, sed terræ, sed gētes, sed extēsio. Quòd verò Gregorius de paruo grege significat, vel de vnoquoque particulari grege, & Ecclesia intelligitur: & iam alias aliter pusillum gregem exposuimus, & huc illa pertinent, quæ de per se, & per accidens supra distinximus, & explicauimus.

Quod si nulla vnquam hæresis Ecclesiam Catholicam post tot sæcula adæquauit, ex hac experientia, vt 507
in rebus naturalibus mos est Philosophis, forte argumentum desumimus pro futuro: quidque Deus hac in parte Ecclesiæ prouisurus sit deinceps, ex his quæ fecit, satis nos certificat: tempora verò Antichristi omittimus, tum quia sunt toties prædicta, & excepta; tū quia Antichristus, qui Christum non suscipiet, haud faciet hæresim. Mihi etiam huius pientissimæ Domini erga Ecclesiam curæ persuasionem magnam ingerit inuentio, expugnatio, conuersioque noui orbis, & quod illæ sub idem tempus contigerint, quo magna pars Septentrionis ab Ecclesia discessura erat? vt enim nunc de Lusitanorum progressibus, qui in magnam adeò admirationem mouent, omittam dicere, nauigatio in Americam, illius inuentio, & expugnatio, quæque potissimum à Cortesio in Mexicano regno gesta sunt, nil à Græcorum de Hercule, de Theseoque fabulis videntur differre; & talia sunt, quæ nec speraſſet, nec credidisset, mundus, nisi vidisset, & qualia numquam viderat: in quibus satis clarè dignoscitur digitus Dei. Hùc pertinet, quòd nouos etiam regularium ordines tunc temporis suscitauerit, nouosque præclarissimos Viros porrexerit: vti semper consueuit, quotiès aduersus Ecclesiam magnæ ex Orco hæreses prodiere: quæ rerum experientia, obseruatio, combinatioque specialissimam Dei hoc circa prouidentiam demonstrat. Ecclesia rursùs mons ille magnus est, qui repleuit vniuersam terrā; *sed clausis oculis offenditis in montem*, ait Augustl. 2. cōtra litteras Petil. Est item ciuitas illa supra montem posita, quæ abscondi non potest. Quotidiè rursùs credimus sanctam Ecclesiam Catholicam: vt ergo non solum successione, sed actu semper sancta est, & semper

Apo-

Digitized by Google

Apoſtolica, ſic ſemper, & actu catholica eſt, ideſt, diffuſa per orbem. Vt denuò nulla præter veram Eccleſiam ſancta eſt, vel Apoſtolica, ſic nulla alia ſic diffuſa, nec abſolutè diffuſa, & inter omnes Eccleſias ex hoc vera ſemper diſcernitur. Vbi ſubticeo alia, ne ſim prolixior.

508 At in Hiſpano homine, & de vera religione, ac fide ſcribente, nunc verò ſpecialitèr de cognomine Catholici diſſerente, ingens planè piaculum foret, ſi Regis mei haud meminiſſem, qui veræ fidei vindex ſtrenuus ſtemma illud glorioſum Regis Catholici obtinet: *mihi*, dicat, *nomen Rex Chriſtianus eſt, cognomen Catholicus: hoc probor, indè ſignificor*, vt aiebat Facianus. Multa de his Catholici, & Chriſtianiſſimi titulis in Marte Gallico, multa in vindicijs Gallicis, vter vtri præſtet? ſed hæc nil ad nos: omnibus debitores ſumus, & Regi Chriſtianiſſimo fauſtiſſima omnia apprecor. At hoc obſeruare iuuat, & ex argumento etiam eſt noſtro, quod licet Caſtellæ, & Hiſpaniæ ante Ferdinandum Regibus multoties à Summis Pontificibus, & Concilijs cognomentum Catholici, vel etiam Chriſtianiſſimi attributum fuerit, numquam tamen vſque ad Ferdinandum in ſtylum, & morem ſtabilem tranſierit: ipſe enim primus per antonomaſiam Rex Catholicus dictus fuit, & dicitur; & deinceps poſteri ſtabili vſu eo vno titulo decorantur.

Regum noſtrorum cognomentum.

Illi omni iure Catholici.

509 Scilicet Ferdinandi tempore nouus ille mundus expugnatus fuit, erecta Hiſpana Monarchia, & diffuſa dominatio cum religione per Orbem, & gentes. Illud porrò mirabile à curioſis hominibus obſeruatum, quòd ſingulis diei, noctiſque horis ſub Hiſpana ditione ſacrū Domini conficitur; adeò per orbem cum Sole illa excurrit, nil vt ſimile reperias, nec in Turcarum quidem imperio: ex quo rursùs Eccleſiæ diffuſio agnoſcitur: nil enim & nullus eſt, vt ſententia Cypriani vtar ſub Rego Domino, qui non ſit ſub Eccleſia Matre. Summa verò pecuniæ, quæ pro propaganda fide miſſionarijs euangelicis à Rege quotannis numeratur, eſt pœnè incredibilis, quam minuta computatione recēſet noſter Claudius Clemens, & ex eo Oualle in hiſtoria Chilenſi. Sint quidem alij præclaris in Eccleſiam meritis Reges, ſiue Chriſtianiſſimi, ſiue Defenſores fidei: noſtri quoque

fuerint

fuerint etiam ante Ferdinandum Catholici: in his nonnihil fuerat priuilegij: at tunc Reges noſtri hoc ſingulari, ni fallor, eminent, quod ex rigore ipſo ſermonis, & ex ipſa loquendi iuſtitia ipſi ſint, & ſoli ſint Reges Catholici, hoc eſt, ditionis Chriſtianæ ſparſæ, diffuſæque per orbem, & gentes ab ortu ſolis vſque ad Occaſum, nec hoc proprijſsimo ſenſu quadrare hoc cognomen alteri poteſt. Quid ergo ſi Hiſpana miracula iam in prouerbium abierint? Deus enim, cui ſingularis eſt cura ſponſæ Eccleſiæ, Hiſpano imperio miraculis etiam ex conſequenti prouidebit, quandiu ſaltem non ſuſcitabit Principem alium, qui nolit alios ſibi eſſe ſubditos, quam Eccleſiæ filios; qui eos ſolum audiat, qui Eccleſiam audiunt; qui extra Eccleſiam nec in ſuis quidē eſſe patiatur. Abite iam, qui modica fide ſemper contremiſcitis. Et abeant, qui cum opus non poſsint, intentionē interea, finemque Regum noſtrorum carpunt: ac demū abeat hiſtoricus Toloſanus, qui Hiſpanam Theologiam eam comminiſcitur, quæ Regi ius tribuat in regna mūdi omnia: ſomnium eſt ad concitandam inuidiam effictum, non ſine conſilio.

QVAEST. XXIX.

Vtrum ex alijs etiam notis hæreſeos præſentes ſectæ deprehendantur, & conuincantur? & veritas catholica pateat?

HÆreſes demonſtraſſe viciſſe eſt, inquit Tertullianus: habent porro illæ, quibus palā demonſtrentur, & innoteſcant, notas, & ſigna manifeſta in ſacris libris. Primum itaque eo vtemur ſigno, quo ſummi viri iampridem vſi ſunt, Tertullianus libro de præſcript. cap. 36. Cyprianus lib. de Vnit. Eccl. & epiſt. 76. Auguſtinus in epiſt. 1. Ioan. c. 2. & in pſalmum 106. Illud porro traditur à Ioanne Apoſtolo ep. 1. c. 2. eſtque textus litteralis, & expreſſus. 510

Sic

Digitized by Google

Sic ergo ibi hæretici demonſtrantur, atque deſignantur: *& nunc Antichriſti multi facti ſunt: vnde ſcimus, quia nouiſſima hora eſt. Ex nobis prodierunt: ſed non erant ex nobis; nam ſi fuiſſent ex nobis permanſiſſent vtiq; nobiſcum.*

511 Vnde hoc argumẽtum conficiamus: In toto Chriſtianorum, ſiue corpore, ſiue aggregato illi ſunt Antichriſti, & Hæretici, qui ex aliqua Chriſtianorum vnione, ex aliquo Chriſtianorum corpore primitus exierũt, & prodierunt: non autem illi, qui ea in vnitate permanent; quod Dominus per Ioan. teſtatur. At in toto Chriſtianorum ſiue corpore, ſiue aggregato, non nos ex Lutheranis, vel Caluiniſtis, ſed ipſi ex nobis exierũt, & prodierunt, & nos permanſimus: nam Lutherus apud nos Monachus erat, Canonicus Caluinus, & ſic alij, vt eſt manifeſtum: ergo in toto Chriſtianorum ſiue corpore, ſiue aggregato Lutherani, & Caluiniſtæ ſunt Antichriſti, & Hæretici; nos, qui in perpetua vnitate permanſimus, veri Chriſtiani, atque Catholici. Argumentum confirmat phraſis ſcripturæ, quæ hæreſes ſemper demonſtrat, & deſignat per ſciſſuras, per diuiſiones, atque ſimilia, vt 1. ad Corinth. 1. & 11. Differat in eamdẽ ſententiam Optatus Meleuitanus lib. 1. *Dixiſti inter cætera, ſchiſmaticos à vite velut ſermenta eſſe conſciſos, &c. Sed video, te adhuc ignorare, ſchiſma apud Carthaginem à veſtris Principibus factum: quære harum originem rerum, & inuenies hanc te in vos dixiſſe ſententiam. Non enim Cæcilianus exiuit à Maiorino auo tuo, ſed Maiorinus à Cæciliano. Nec Cæcilianus receſſit à Cathedra Petri, vel Cypriani, ſed Maiorinus, cuius tu cathedram ſedes, quæ ante ipſũ Maiorinum originem non habebat. Et cum hæc ita geſta eſſe manifeſtiſſimè conſtet, & vos eſſe hæredes traditorum, & ſchiſmaticorum, euidenter appareat, &c.* Nec valet, ſiqui ex ſectarijs exeunt, vt ad nos veniant; hi enim non tam exeunt, quam redeunt in priſtinum; cum tota Sectariorum profeſſio ex nobis primitùs prodierit, diſceſſerit, abierit.

Primo, quia à nobis exierunt.

512 Rationem etiam quare Hæretici, & improbi potiùs ab Eccleſia diſcedant, exhibet Cyprianus, quam deindè Auguſtinus etiam mutuatur. *Nemo* (inquit) *exiſtimet bonos de Eccleſia poſſe diſcedere: triticum non rapit ventus, nec arborem ſolida radice fundatam procella ſubuertit;*

Digitized by Google

uertit: inanes paleæ tempestate iactantur: inualidæ arbores turbinis incursione euertuntur. Hos execratur, & percurrit Ioan. Apost. dicens; Ex nobis exierunt, sed non fuerunt ex nobis, &c. hinc hæreses factæ sunt frequenter, & fiunt dum peruersa mens non habet pacem, & similia habet epist. 55. ad Cornelium, & alias. Iam videte Sectarij quibus armis iam olim victi sunt Hæretici, quibus notis designatæ hæreses, etiam quando secundum vos Ecclesia nondum fuerat prophanata. At ijsdem vos ad verbum designamini, expugnamini.

Adest necnon inductio: Nam tenet factum argumentum in antiquis, & notis quibusque hæresibus, nam illi fuerunt perpetuò hæretici, qui exierunt Carpocrates, Cherintus, Hebion, Valentinus, Marcion, Arius, Pelagius: non qui permanserunt, Ioan. Apost. Dionysius Irenæus, Iustinus, Cyprianus, Hieronymus, Ambrosius, Augustinus: Quod si ea impudentia vestra sit, vt hos damnetis, & hæreticos dicatis, illos approbetis, & collatis, sitis planè Christiani cum fæce illa, nos quod vultis cum Ioann. & cæteris illis. Tenet ergo inductio in quacunque nota, & certa designata hæresi; ergo ex certis ad controuersa, & litigiosa argumẽtando valet nunc, vos, qui exijstis, & hæredes estis eorum, qui prodierũt, esse hæreticos: nos qui permansimus, Catholicos, ac veros Christianos. Certè nemo probitatis, & salutis studio ex nobis ad vos abit etiam nunc, sed inanes paleæ, vt vxores vel ferant secum, vel ducant: & quos Paulus Apost. 2. ad Timot. 3. designat. *Ex ijs sunt, qui penetrant domos, & deprædantur mulierculas oneratas peccatis*. Lutherus enim, atque discipuli deprædari primo cæperunt moniales: mox alij imitantur, & est in mundo manifestum, eos, qui ex nobis abeunt, hunc in finem, alioſque turpes abire: ergo tenet inductio, tenet Cypriani ratio. 513

Quæ demum omnia ex eo liquidiora fiunt, quod sectarij ab illa met Ecclesia prodierint, à qua perpetuò exierunt, & discesserunt hæretici, & cui nulla certa hæresis communicauit vnquam, & cui potiùs Sancti illi Viri omnes communicarunt, scilicet à Romana, quæ vt Canus lib. 6. c. 7. ritè notat, pugnauit perpetuò cum infinitis sectis, & hæresibus, & prævaluit, & obtinuit, & 514

vna

Digitized by Google

vna illa cæteris ſubuerſis cum ſæculis, ætatibuſque hominum inueterari, vinci non potuit: ergo illa eſt vera, & à Chriſto aduerſus portas inferi munita Eccleſia, & hæretici ſectarij, qui ab illa prodierunt.

515 Secunda nota, vel ſignum, quo præſentes ſectæ hæreſeos deprehenduntur, ſit quod Epiſcopis careant, nam pleriq; nullos habent vt Presbyteriani: cæteri habent quidem, ſed illegitimos à nemine ordinatos, & vt loquitur Cyprianus nemini ſuccedentes, & à ſe ipſis exortos, quam eorum illegitimitatem latiùs oſtendit Bellarminus: etenim liquet ad Philip. 1. 1. ad Timot. 3. Actuum 1. alijſque ex locis, à Chriſto Ieſu fundatam Eccleſiam, in qua eſſent, vigerentque Epiſcopi, & ſic Petrum, Iacobum, Ioannem, & alios fuiſſe Epiſcopos, & poſt illos Linum, Cletum, Clementem, Polycarpum, Ignatium, Cyprianum, Cyrillum, Chryſoſtomum, Auguſtinum, Ambroſium: nec ad hoc eſt neceſſe textus allegare, ſed liquet ex ipſis librorum titulis, eſtque de rebus in mundo manifeſtiſſimis, haud minus quam Ciceronem extitiſſe Conſulem, Pompeium Ducem, &c. ergo ſectariorum congregatio non eſt Eccleſia Chriſti, ſed antieccleſia, illique repugnans: vbi vnicuique Chriſtiano deligendi ſunt vel Lutherus, Caluinus, Beza, & aſſeclæ; vel Polycarpus, Ignatius, Iræneus, Cyprianus, Auguſtinus: at nemo ita inſaniet, qui deliberet, quos eligat, utros vtris præhabeat, hi pro fide nihil non paſſi ſunt: illorum illud facinus præclarius bella ciere, populos turbare, vxores ducere, filios procreare. Quod porrò Lutherus ſe Epiſcopum dixerit, nõ aliud eſt quã ſi me nunc ego nullo iure, nulla ratione temere dicerẽ Epiſcopum.

Quia legitimis Epiſcopis carent.

516 Hanc luce ipſa clariorem veritatem agnouit infœliciſſimus ille Regum Carolus Britanniæ Rex, & ſcripto eam Carolo etiam filio (ò vtinam Patre ſit fœlicior) conteſtatus fuit, eam inter alias exitij ſui causã prodens, quod de Epiſcopis, quos palã in ſancta ſcriptura videbat inducẽdis cogitaſſet, ad quod factio tota presbyterianorum commota, ea ſcelera in proprio Rege commiſit, ad quæ orbis terrarum ingemuit. Heu Principes, in quæ vos vincula ſub ſpecie libertatis cõijciunt? vno fermè ſæculo Carolum, & Mariam Regem,

Digitized by Google

& Reginam Anglicana hæresis in iudicio damnauit, capite mulctauit: adde, si placet, tertiam totius causã tragediæ, Bolenam illam cariſſimam, quam etiam pro Regina habuere, interemptam. Non hæc Natio fecit, nil priùs ſimile aggreſſa in Reges ſuos, ſed hæreſis. At alia non percurro, ſed taceo, *nec enim oportet* (vt Cyprianus epiſt. 55.) *quæ commiſerunt, atque hucuſque committunt, meo ſermone decurrere, cum non tam dolor apud nos debeat, quam pudor loqui.*

Quia omnes Sãctos Patres peſſumdant.

Tertia nota, & ſignum ſit, quod ipſi, illorumque primarij vltro ſeſe fateantur cõtrarios omnibus à principio Sanctis Patribus, ac proindè vniuerſæ à principio Eccleſiæ: ergo ipſi non eam Eccleſiam ſuſcitarunt, quã reliquerant Apoſtoli, quam acceperant, rexerant, inſtituerant Sancti illi, ipſorumque ſucceſſores, & diſcipuli Apoſtolorum, ſed aliam proculdubiò, falſamque illã, & commentitiam: nunc ergo ſectariorum magiſtros audiamus: quæ, & qualia in ſanctos illos eructẽt impudentiſſimè, quod cum omni elegantia, omni veritate confectum mueniam à Sanctiſſimo illo, eodemque ſapientiſſimo Edmundo Campiano, qui calamo primum, mox ſanguine fidem acriter propugnauit, tranſcribendum duxi: ſic ergo ille: Duplex Hierarchia Martyris Dionyſij, quas claſſes, quæ ſacra, quos ritus edocet? Pupugit ea res Lutherum, vt huius opera *ſimillima ſomnijs*, nec non *perniciosiſſima* iudicaret: imitatus parentẽ Cauſſæus, neſcio quis terræ filius ex Gallia, non eſt veritus hunc Dionyſium inclytæ gentis Apoſtolum vocitare *delyrum ſenem*. Centuriatores vehementer offendit Ignatius, offendit, & Caluinum, vt in eius epiſtolis *deformes næuos, putidas nænias*, hominum quiſquiliæ notarint. Cenſoribus illis *fanaticum quoddam* Irenæus edidit. Clemens auctor ſtromatum *zizania, fæceſque* protulit: reliqui Patres huius ætui ſanè Apoſtolici Viri *blaſphemias, & monſtra* poſteris reliquerunt. In Tertulliano rapiunt auide, quod à nobis edocti, nobiſcum communiter deteſtentur. Sed meminerint libellum de præſcriptionibus, qui noſtri temporis ſectarios tam inſigniter perculit, numquam fuiſſe reprehenſum. Hippolytus Portuenſis Epiſcopus, quam bellè, quam clarè Antichriſti neruum Lutherana tempora præmonſtrauit? 517

Tum

Digitized by Google

Tum propterea scriptorem *infantissimum*, *& laruam* nominant: Cyprianum, delicias, ac decus Africæ Gallicanus ille criticus, & Magdeburgici *stupidum*, *& destitutum Deo*, *& deprauatorem pœnitentiæ* nuncuparunt. Quid admisit? Scripsit enim de Virginibus, de lapsis, de vnitate Ecclesiæ tractationes eiusmodi, eas etiam epistolas Cornelio Romano Pontifici, vt nisi fides huic martyri detrahatur, Petrus Martyr, Vermilius, omnesque cum eo fœderati, peiores adulteris, & sacrilegis habeantur. At ne singulis insistam diutiùs, Patres huius sæculi damnantur omnes, quippè qui doctrinam de pœnitentia mirè deprauarint, quo pacto? nam austeritas canonum, quæ viguit ea tempestate, maiorem in modum displicet huic sectæ plausibili, quæ triclinijs aptior, quã templis, voluptuarias aures titillare, & pulpillos omni cubito solet assuere. Quid ætas proxima? quid peccauit? Chrysostomus, & ij Patres iustitiam fidei fæde videlicet obscurarunt. Nazianzenus, quem honoris causa, Theologum veteres appellarunt, Causæo Iudice, *fabulator quid affirmaret, nescit*. Ambrosius *à Cacodæmone fascinatus est*. Hieronymus *æque damnatus, atque Diabolus: iniuriosus Apostolo, blasphemus, sceleratus, impius. Vnus* Gregorio Massouio *pluris est Caluinus, quam centum Augustini*, parum est centum: Lutherus nihil facit aduersum se *mille Augustinos, mille Cyprianos, mille Ecclesias*. Longius rem deducere superuacaneum puto, nam in hos, qui bacchantur, quis miretur in Optatum, Athanasium, Hilarium, Cyrillos, Epiphanium, Basilium, Vincentium, Fulgentium, Leonem, Gregoriũque Romanum fuisse procaciissimos. Hactenus Campianus, qui horum quoque monstrorum loca notat, & citat. Caluino quidem lib. 3. instit. cap. 4. §. 38. videtur, *omnes ferè veteres, quorum libri extant, aut hac in parte lapsos esse, vbi de satisfactione agitur, aut nimis asperè, & durè locutos*. Et §. 5. *autè mille trecentos annos* (inquit) *usu receptum fuit, vt precationes pro defunctis fierent, Sed veteres omnes, fateor, in errorem arrepti sunt.*

518 Quid enim? Qui odere statà ieiunia (idem Campianus prosequitur) quo animo oportet esse in Basiliũ, Nazianzenum, Leonem, Chrysostomum, qui de Quadragesima, & indictis ieiuniorum ferijs tamquam de

Digitized by Google

rebus iam vſitatis conciones egregias publicarunt? Qui ſuas animas auro, libidine, crapula vendiderunt, poſſuntne non eſſe inimiciſſimi Baſilio, Chryſoſtomo, Hieronymo, Auguſtino, quorum excellentes libri de monachorum inſtituto, regula, virtutibus teruntur? Qui captiuam hominis voluntatem inuexere, qui chriſtiana funebria ſuſtulere, qui ſanctorum reliquias incendere, ſintne placabiles Auguſtino, qui de libero arbitrio libros tres, de cura pro mortuis vnum, de miraculis ad Baſilicas, & memorias Martyrum, prolixum caput nobiliſſimi operis, & conciones aliquot exarauit? Athanaſij ſymbolum in templis concinunt. Num fauent ei, qui Antonium Eremitam Ægyptium grauis Author accurato libello dilaudauerit? quique cum Alexandrina ſynodo iudicium Sedis Apoſtolicæ Diui Petri ſuppliciter appellarit? Prudentiùs in hymnis quoties precatur Martyres, quos decantat? Num hunc probabunt?

Age porrò? Quid hinc inferat nondum naturæ 519
ſenſu priuatus quiſque? Vel Sectarij, dicet, delyrant; vel tota illa veneranda Sanctorum Patrum antiquitas inſigniter ineptijt, inſtituta chriſtiana, Apoſtolorum documenta ignorauit prorſus: alterutrum quippe neceſſe eſt deuoretur. Satis planè turpe eſt, quod ad hãc nos collationem cogant Sectarij. Sed verò conferamus, vbi tria credo, conſideranda veniunt, tempus, mores, doctrina. De tempore fruſtra eſt, quod diſſeram; nam liquet, horum Sanctorum alios fuiſſe Apoſtolorum cõtemporaneos, & diſcipulos, alios immediatè ſucceſſiſſe; omnes multis ſæculis fuiſſe viciniores: at in quouis nõ prorſus inſaniente iudicio de rebus antiquiſſimis antiquiſſimi teſtes audiuntur, præferuntur. In moribus quid cæleſtes, ac ſpirituales viros, & martyres ſpurciſſimis ſcurris comparem? Solum ergo de doctrina litigare extrema licet inuerecundia poſſunt. Illi (dices) nihil græcati ſunt. At nimis puerile eſſet in eo victoriã collocare. Imò verò; an non ſatis græcari ſciuerũt Hieron. Nazianz. & alij? Sed ſupra truſus eſt hic grãmaticandi locus. Illi, inquis, ſanctis ſcripturis non agunt. Sed hoc inſolentiſſimum eſt mendacium: de quo ſatis vel vnus Auguſtinus ſectarios apertiſſimè cõuin-

Digitized by Google

uincat: abundè Cyprianus, Hieronymus, Chryſoſtomus: imò vix alium non omnem locum interdicunt. At inquis, propinanas etiam doctrinas, & Philoſophorum ſententias proferunt. Certè proferunt, vt nos nunc proferimus nugas veſtras, vt vtique oppugnemus, non vt approbemus; tunc ergo errores illi multis in pretio erant, quos proindè ſubuertere, quibus ad hominem vti, & ſi quid etiam verius dictum fuerat, in rem chriſtianam conuertere, Paulus Apoſtolus exemplo docuit; Sancti mox Patres imitati ſunt. At dicitis: nos euangelici ſumus, nos à Deo ſuſcitati ſumus; purum purum Verbum Dei propugnamus: ergo præferendi ſumus: ergo plus vnus valet Lutherus, quam mille Auguſtini, quam mille Cypriani, quam mille Eccleſiæ. Dicitis quidem, ſed delyratis, ac iuſto Dei iudicio, nondum audito vel ipſorum hæreticorum exemplo planè furitis. Dicitis quidem, ſed non probatis: Sancti quoque illi viri ſe euangelicos iudicarunt. Qua rurſus parte ſcripturarum his in cauſis agere licet; illi pridem figmenta veſtra protriuerant: nos illorum exemplo deinceps.

520 Atque hic ruſticus quiſque, & illiteratus facilè vlterius deprehendat etiam ſectariorum morem, & nequitiam: illi primum Iudicem, Papam, Concilium, Eccleſiam recuſarunt, mox ex conſequenti recuſant omne genus teſtium Theologos, Sanctos Patres vetuſtiſſimos quoſque, & primæuas etiam Chriſtianæ religionis ætates, ſolum ſcripturam audiendam dicant, & ſeſe interea Iudices, teſtes, partes, & omnia eſſe volunt: haud aliud eſt hoc planè, quam ſi factioſi quiquam in Republica, vel Regno iudicium omne reijcerent, Iudices omnes, & teſtes recuſarent, & dicerent eſſe in ea Republica, vel Regno ſcriptas leges, Regno ipſi acceptas: illis ſtandum: illas à Iudicibus torqueri, corrumpi, vtque facerent, errores aliquos vellent producere: ſit ne alicubi gentium tam barbara Reſpublica, tam rudis Natio, in qua audienda ſit, valitura ſit hæc agendi ratio? Quod ſi nullibi auditur, nullibi quando de humanis rebus agitur, non quiſq; execraretur; Quid tamdiu factioſos ſectarios pars mundi aliqua ſuſtinet?

521 Quarta ſectariorum hæreſis dignoſcitur, quia, Ec-

Digitized by Google

Quia sanctæ Ecclesiæ vnitatē negant.

Ecclesiæ sanctæ vnitatem negant, quam vnam scriptura, & symbola quoque fidei ingeminant, vt constat. Vbi enim nullus est ordo multorum, nulla est vnitas, sed confusio: at apud sectarios est multitudo sine vllo ordine: nulla ergo est vnitas: nimirum ipsi in Anglia constituunt Regem supremum caput Ecclesiæ Anglicanæ: tantumdem verò permittent credo Olandis, quos haud dicent Regi Anglorum subiectos, & idem de Gallis, de Germanis, atque alijs necesse erit concedere. Vt ergo Hispaniæ, Galliæque Regnum, non vnum Regnū est, sed duo: eadem ratione, eademque causa ex defectu unitatis, & ordinis sectarij ponere debent multas Ecclesias, haud coalescentes in vnam, sed diuisas, & separatas non minùs, quam Hispania, & Gallia separata sunt, nec vnum coalescunt in Regnum; de qua Ecclesiæ vnitate, quoniam apud alios multa sunt obuia, pluribus non disserō.

Quia non præcedunt legitimè.

Postremo demum ex defectu legitimæ successionis ab Apostolis Sectarij antiapostolici, ac proinde hæretici esse deprehenduntur, vt etiam initio quæstionis libaui. Verum hac in parte causam agat, claudaque Tertullianus de præscriptionibus c. 31. *Age iam, qui curiositatem melius exercere in negotio salutis tuæ voles, percurre Ecclesias Apostolicas*, easque percurrit, quæ iam hodie sub Turcæ sunt tyrannide, quarum tamen nos fidē tenemus antiquā, & quas cū nobiscū essent turcicus furor abiunxit. *Si autem Italiæ adiaces* (subdit) *habes Romam, vnde nobis quoque authoritas præsto est, statu fœlix Ecclesia, cui totam doctrinam Apostoli cum sanguine suo profuderunt. Vbi Petrus passioni dominicæ adæquatur. Vbi Paulus Ioannis exitu coronatur etc. Videamus, quid dixerit, quid docuerit etc. Si hæc ita se habent, vt veritas nobis adiudicetur, quicumque in ea regula incedimus, quam Ecclesiæ ab Apostolis, Apostoli à Christo, Christus à Deo tradidit, constat ratio propositi nostri definientis non esse admittendos hæreticos ad inundam de scripturis prouocationem, quos sine scripturis probamus ad scripturas non pertinere: ad quos merito dicendum est: Qui estis? quando, & vnde venistis? quid in meo agitis non mei? Quo denique Marcion, Quo, Luthere, iure, siluam meam cædis? Mea est possessio. Olim possideo, prior possideo.* 522

Iterum

Digitized by Google

523 Iterum præscribit ex successione. *Edant ergo origines Ecclesiarum suarum: euoluant ordines Episcoporum suorum, ita per successiones ab initio decurrentem, vt primus ille Episcopus aliquam ex Apostolis, vel ex Apostolicis viris, qui tamen cum Apostolis perseuerauerint, habuerit authorem, & antecessorem. Hoc enim modo Apostolicæ Ecclesiæ census suos deferunt: sicut Smyrnæorum Ecclesia habens Polycarpum à Ioanne collocatum refert; sicut Romanorum, Clementem à Petro ordinatum edit: Proinde vtique & cæteræ exhibent, quos ab Apostolis in Episcopatu constitutos, Apostolici seminis traduces habeant. Confingant tale aliquid hæretici.* Ordinatus scilicet fuit Clemens à Petro, cui tamen post Linum, & Cletum successerit ab eodem ordinatos; Nec author hoc ignorauit, cum lib. 3. carm. contra Marc. ad finem sic canat. *Hac cathedra Petrus, qua sederat ipse locatum. Maximæ Roma Linum primum considere iussit: Post quem Cletus & ipse gregem suscepit ouilis. Quem sequitur Clemens Apostolis bene notus.*

QVAEST. XXX.

Vtrum etiam per charitatem satis dignoscatur, apud quosnam sit, & degat veritas Christiana?

524 OVidam ex Sectarijs Ioannes Angelius, in Synop. Polit. lib. 3. & alij hunc in locum, tanquã omnium tutissimum, confugiunt, voluntque per charitatem has omnes de religione causas, & controuersias diriui satis, atque decerni, si veram fidem, & religionem Christi apud eos constituas esse, apud quos viguerit charitas; apud eos non esse, quorum nulla est charitas. Alij hunc iudicandi locum recusabunt, nam dicent, charitatem rem esse occultam; ipsi etiam habenti vix satis agnitam, cum ex Apostolo nemo sciat, an amore dignus existat, an odio.

Nihi-

Digitized by Google

Nihilominùs mihi placet omnem liberalitatem cum Sectarijs exercere: & videtur certè hic locus ad discernendum aptus, & admittendus. Primo, quia fides vera illa est, quæ per charitatem operatur ad Galatas v. & aliàs. Rursùs dissertissimè Ioānes Apostolus ep. 1. c. 4. *in hoc* (inquit) *cognoscimus spiritum veritatis, & spiritum erroris: Charissimi diligamus nos inuicem, quia charitas ex Deo est.* Rursùs cap. 2. *qui dicit, se in luce esse, & fratrem suum odit, in tenebris est vsque adhuc,* & cap. 3. *nos scimus, quoniam translati sumus de morte ad vitam, quoniam diligimus fratres,* atque similia inculcat tota epistola: ex charitate ergo vult dignosci inter lucem, & tenebras, hoc est inter veram, & falsas religiones, atque inter mortem, & vitam, nec frustrà, & otiosè hoc nobis signum tantopere ingeminat, sed vt indè veritatem agnoscamus.

Præterea argumentum etiam theologicum hìc 525
vrget, nam sine vera fide nulla est charitas, nam extra Ecclesiam nulla est salus, vt vera Theologia tenet, Sancti Patres docent, atque nos inferiùs comprobabimus: aliundè verò apud veræ religionis, ac fidei cultores, & intra Ecclesiam charitas deesse nequit; cum ex illa potissimū Ecclesia Sancta dicatur, quam Christiani sāctā credimus; cum deindè Ecclesia vna sit, vnitatēq; proindè habeatur vnio ex Sanctis Patribus, maximè verò ex Cipriano, & Augustino *de vnitate Ecclesiæ* non fides est, sed charitas, quæ vinculum pacis est, amor, nō cognitio secūdùm ipsos etiam philosophos ligat, & vnit. Et certè haud ritè à Deo glorioso Ecclesiæ suæ, dilectæ suæ prouisum, consultumque foret, si eam aliquando charitate prorsùs destitueret: quam in sententiam multa alia promptum erat adducere. Ergo charitas apud veræ fidei cultores, & intra Ecclesiam semper est: extra Ecclesiam verò nunquam, & nusquam est. Hoc ergo signum est veritatis omnium appositissimum, quod scilicet vni, & soli ueritati, & semper insit, adeò quidem, vt nil inueniri posse videatur, tam infallibile ueritatis argumentum.

Nec valet, quod dicebant, charitatem esse occul- 526
tam, incognitam, ac proindè ineptam, vt loco definitionis, aut signi deseruiat. Etenim regulam habemus à Christo

Digitized by Google

Christo seruatore præscriptam ad malas, vel bonas arbores ex bonis, vel malis fructibus agnoscendas; charitatis porrò fructus manifesti sunt, & nobis noti, nam Apostolus 1. ad Corinth. 13. *charitas* (inquit) *patiens est, benigna est; charitas non æmulatur, non agit perperam, non inflatur, non est ambitiosa, non quærit, quæ sua sunt: omnia suffert, omnia credit, omnia sperat, omnia sustinet:* qui fructus, quæ effecta sunt planè natura sua extrinseca, & manifesta, & licet ab aliquo, vel aliquando fingi queant: at diù, constanter, & in rebus omnibus, & à multis illa fingi videtur impossibile. Et certè illud esset mirandum valdè, quod in Ecclesia Dei præ synagogis Satanæ nulla apparerent charitatis vestigia, nulli fructus, nulla effecta. Ergo charitas signum aptum est, & notum ad veram fidem, & Ecclesiam agnoscendam.

527 Hoc porrò, quod tam fundatum videtur, in magnam nos confusionem potest conijcere; nam indè alij apud se veritatem esse temerè concludent, & quiescent: alij nullibi veram Ecclesiam, ac veram fidem supereſſe deducent, nam nullibi dicent, extare vlla charitatis vestigia; certè apud alios præ alijs nihil speciale discerni. Si nimirum Catholicorum, atque Sectariorum percurras vrbes Londinum, Absterodamum, Lutetiam Parisiorum, si Neapolim, si alias, inueneris homines ambitiosos, qui quærunt, quæ sua sunt, qui irritantur, qui nihil sufferre velint, sustinere nihil, & vbique eamdem pœnè videas, quoad officia charitatis attinet, agendi, viuendique rationem; nam litigant, emunt, vendunt, pecuniam comparant, palatia fabricant, dignitates quærunt, vt eos hìc omittamus, qui vbique improbantur, qui scilicet mœchantur, furātur, occidunt, blasphemant. Hinc timor ille Sanctorum Patrum de paucitate prædestinatorum, de quo alias: ad rem Augustinus in psalmum 48. non vnum, vel duos solùm bonos, sed aliquos vult esse: tamen in multitudine malorum latentes adeò, *vt inter eos prorsus non appareant*: ergo dicēt non magis apud nos, quam apud sectarios, nec apud alios præ alijs charitatem, dilectionem proximi, amorem Iesu Christi aut vigere, aut extare; imò ve ò extare nullibi, si omnes rursus Christianos, si eorum vrbes cum alijs nō Christianis in officijs charitatis contuleris.

Charitas nullibi videtur apparere.

Digitized by Google

An recusandum ex charitate iudicium?

Hinc itaque nobis orthodoxis locus hic videretur reijciendus, & dicendum, charitatem quidem apud nos esse, sed, vt Augustinus dicebat, in multitudine prauorum latentem, ac proindè ignotam, & ineptam, vt ex illa inter religiones decernatur. Licet enim quisquam nostrum hoc admisso iudicio vellet in defensionem nostram sanctas quasdam, magnasque animas producere, quæ semet in Domino abnegantes nihil, quam quæ Dei sunt, cogitant, vel quærũt aliud, quales nemo inter nos aliquos non vidit, miratus non est: ac vel vnam illam nostro fermè sæculo cælestem Virginem Theresiam sufficiens veritatis nostræ firmamentum diceret, atque similia quamplura educeret, quibus Ecclesia sancta eminet; hoc vtique nobis in veritate confirmandis aptum quidem argumentum est, at ab aduersario non admittitur, sed reijcitur; si quos Ecclesia in publicum cultum euexit, id auro emptum impudentissimè garriunt; si quos familiari Dei alloquio illustres, in via, vt aiunt, vnitiua, & amore Dei conspicuos celebramus, hæc mox cuncta somnia, ac delyramenta dicent fuisse. 528

Charitatis iudiciũ admissum.

Habemus tamen, sectarij, vnde hoc etiam in loco erroris vos vestri pudeat. Ecce hoc charitatis, & dilectionis Dei, & proximi iudicium non recusamus, sed perlibenter acceptamus: non ad latibula prouocamus, testimonia afferimus toti orbi notissima, omni exceptione maiora, & non absque Dei prouidentia coram vobis ipsis Olandis, atque Anglis testibus gesta pro Christo, pro fide præclara facinora: vel vnam illam tanto Martyrum madentem sanguine Iaponiam adeamus: vidistis vos ipsi, vidistis, quid ibi effecerint Prædicatores Catholici: quas mortes obierint, quos carceres, quæ tormenta, quas strages, quos ignes, quas cruces subierint: parum fuerat tam gloriosè certatum à Prædicatoribus: ipsi illi ex Iaponia discipuli testimoniũ perhibent ineluctabile: vidistis ex omni genere viros, nobiles, plebeios, senes, iuuenes, pueros, fœminas, integras familias inauditis exilijs; inauditis tormentis extinctas: vno decennio ferro, & flammis absumpti sũt. Quod vix antea Ecclesia viderat, ibi semel, iterum, tertio in publico iudicio actum est, ipsis actoribus, qui mori pro Christo expetebant, vtri ius mortis competeret, 529

ret, vter hospitio euangelicos Prædicatores susceperit, vnoquoque pro se iura hospitij allegante, adeò certè admirando exemplo, vt Iudex ipse coactus sit dicere, Christianos, vel deteriores, quam bestias, vel meliores, quam homines esse. Hæc ita gesta fuisse haud negaris, sed diarijs potiùs vestris proditis. De facto ergo nulla superest suspicio.

530 Causam quæramus: pertinaciam naturæ dicitis. Sed mihi credite, sectarij delyratis. An ad manum cuique hæc exceptio non est contra primæuos Ecclesiæ martyres, contra Apostolos: quibus certè non cæcus videt, vel has mortes veritati nostræ prodesse, vel nullas profuisse veritati christianæ. Pertinaciam naturæ causamini. At ex illis plurimi Hispani fuerant, Itali non pauci: nec hactenùs in Europa compertum, credo, est, Hispanos, & Italos esse natura vobis pertinaciores, duriores: satiùs, opinor, id de uobis frigido cœlo natis, gelu induratis nos credamus. Regnum, dicitis, conquirebant. At pridem Iudæi Christo seruatori tantundem opposuerant, opponiq; Apostolis, & cuilibet à quolibet potest. Sed licuerit hoc effutire rebus prosperiùs succedentibus: at quando rabies, & furor omnia occupauerat, quando in Iaponiâ appellere aliud, quam mori vix erat, quæ regni spes? Deindè quæ à Rege præmia? Mihi credite, haud tanto Regum amore, ac nostri odio furimus. Multis deindè, si Christum negare vellent, viuere licebat. At illi pro Christo mori lucrum christianè credo, arbitrati sunt. Sed quid in his nugis proterendis immoremur? nec enim illud ex Augustini sententia aliud est, *quam nescire quid dicere, & tamen non posse nisi maledicere*. Ecce quæstio de Christo, de Christiano nomine erat, & illa quidem in vestro conspectu? Quid vos interest Euangelici, Christi tanti amatores, scripturarum, & christianæ veritatis incorrupti cultores præsticiltis? Dicam apertè, vidistis: mercaturam exercuistis: & quod facinus atrocissimum est, gladio linguæ occidistis: Tyrannos irritauistis, acuistis, contra homines saltem nomine Christianos, contra Europeos vestros.

Sectariorũ calumnia.

531 Sed quæris: quorsum si Deus in viris suis tot illa in Iaponia peregit, eam permisit aboleri, conuelli Ec-

Digitized by Google

cleſiam? Et quæro, quorſum alias Apoſtolorum ſanguine erectas extingui paſſus eſt? Non eſt noſtrum hæc ſcire; *ipſe nouit quare*. Nihilominus ratione, vt par eſt, conſequenti, & ſubiecta cauſas aliquas examinabimus, dabimuſque infra. Nunc dixerim, peſſimis Iaponiæ meritis id forte factum: quid ſi nos fortè orthodoxi nimium in fratribus noſtris gloriati fuerimus? Certè magno inter alia Eccleſiæ ſuæ bono cuncta illa, vt acciderent, diſpoſuit, quibus contra hæreſes publicum, & inuictum argumentum miniſtraret.

Confirmatio Iam ſi placet, Iaponia dimiſſa, reliquas qua gentium, qua Mahometanorum, qua hæreticorum prouincias, & nationes percurrite: ipſam veſtram Angliam conſpicite. Occurrunt viri plerumque religioſi ex omni ordine, quibus mũdus dignus non erat, quales Apoſtolus 2. ad Corinth. 6. & 11. deſcribit: *ſicut Dei miniſtri in multa patientia, in tribulationibus, in neceſſitatibus, in anguſtijs, in plagis, in carceribus, in ſeditionibus, in laboribus, in vigilijs, in ieiunijs, in caſtitate per infamiam, & bonam famam, vt ſeductores, & veraces*: ac rurſus: *in itineribus ſæpè, periculis fluminum, periculis latronum, periculis in ciuitate, periculis in ſolitudine, periculis in mari, periculis in falſis fratribus, &c.* quæ & alia in ſanctis litteris toties iterata non aliud, quã pura hiſtoria eorũ virorũ eſſe planè videtur. Sed verò quærẽdi victus gratia in nationes abeunt, orbẽ totã, qua mari, qua terra peragrãt? Liceat hic Ieſuitæ Ieſuitas ſolum aliquot ſignificare, reliquorum Dux Xauerius erat ex Nauarræa nobilitate primarius, mox Gonſaluus Sylueria, Rodulphus Aquauiua, Carolus Spinola, Franciſcus Pacecus, Balthaſar de Torres ſequuti ſunt: qui viri, quæ nomina, vt victui cõquirendo vagarentur. Hi ergo, & paſſim alij ex omni ordine ſine numero Patrem, Matrem, domum ex Chriſti conſilio relinquunt, mox Patriam, & notos quoſque, & quidquid ipſis mundus erat. 532

Ex fructibus notæ arbores. Si ergo ex regula Chriſti bonæ arbores ex bonis fructibus agnoſcuntur, neceſſe eſt, has bonas arbores fateamur: Si ex Ioanne ſpiritum veritatis, & erroris ex dilectione dignoſcimus, & ex Chriſto maiorem caritatem nemo habet, quam qui animam ſuam pro amicis ſuis ponit, neceſſe eſt ſimiliter, fateamur hos magnam 533

ca-

Digitized by Google

charitatem habuisse, qui vt proximis, ijsq; ignotis prodesset, animas posuerunt, nec ad intentionem occultã, vel naturæ conditionem licet confugere; nam ex ipsis huius quæstionis, & argumenti legibus ad occultam charitatem agnoscendam deuenimus ad fructus notos, & ad officia caritatis. Hæc ergo cum nota sint, cum innegabilia sint, caritatem ex illis occultam concludere lex argumenti erit. Deindè committitur alioqui vitiosus circulus, nam intentio recta, & bona aliud non est, quam ipsa caritas interior. Hanc autem vt agnoscceremus, recurrimus ad officia externa, & nota: ergo si rursus hæc per caritatem internam nulli notam iudicanda veniunt, commisso circulo, redimus ad principium; & præterea ad latibula, & occulta itur, quod malè causa valentium esse solet.

Hinc licet vnicuique, vt orthodoxorum est sentẽ-
534 tia, nequeat prorsus esse certa, & manifesta sua caritas, sua sanctitas, vt passim exponunt; at in toto aggregato, & corpore Ecclesiæ caritatem vigere, & apud aliquos in generali eam in Ecclesia esse, iudico esse manifestissimum, de genere; vt aiunt, singulorum, non de singulis generum loquendo. Quid autem sit vnio Ecclesiæ dicam infra. Et porrò pro his cõmuniendis omnibus expressus, & concludens locus Ioan. 17. 19. & 21.

QVAESTIO XXXI.

Vtrum ergo ex his omnibus manifestissima sit Catholica veritas? Vbi exponitur, quo sensu Ecclesia sit visibilis, & Sectariorum obiecta reuincuntur?

335 QVæstio ista cum illa est connectenda, in quã superiùs ostendimus, oportere, quod vera religio esset de rebus in mundo manifestis, & tantis fundamentis insignis, & communita,

vt

Digitized by Google

vt posset sese veram in quouis non corruptissimo iudicio euincere, atque concludere, idque ibi authoritate, & ratione ita statutum est, vt à nullo vllius religionis sectatore, minimè verò omnium à Christiano negari posse videatur, si pacatè, & opinionum omissa affectione solo veritatis studio res considerabitur. At, cum nondum vllius in particulari religionis veritas ostensa fuisset, nullam ibi religionem determinauimus, sed ad quid vera religio teneretur, quid illi conueniret, quæcumque demum illa esset, in generali præscripsimus. Mox indè aggressi fuimus Christianæ, & Catholicæ veritatis probationem, quam multiplici via ita, credo, manifestam effecimus, vt fidem promissam facto ipso abundè soluisse videamur. Afferunt quidem, & vrgent Authores orthodoxi has ipsas, quas confecimus, veritatis nostræ probationes; inferunt porrò indè, fidem nostram esse euidenter credibilem. At, vt humiliter fatear, nullam in logica, & in rerum probandarum legibus inuenio ego, ex qua limitatio illa fiat ad euidentem magis credibilitatem, quam veritatem, nec si altera haud sequitur, sequi altera potest.

Adducta probationes veritatē nostram concludunt.

Vel enim probationes illæ dignam, & tolerabilē 536
solutionem habent, uel non habent? Si non habent? ergo ueritatem nostram concludunt: quidquid porrò probando concluditur, eamdem euidentiæ, quam concludendi uim, & gradum obtinet. Quod si digna, & toleranda solutio supereſt, nequit nec euidentia quidē credibilitatis concludi, quæ saltem, & quanta ab orthodoxis Authoribus prætenditur, quæ scilicet reliquas omnes mundi religiones reddat euidenter incredibiles, & nisi per ignorantiam, aut culpam non admissibiles. Voluntariè ergo, & citra leges probandi restrictio, ac limitatio illa inducitur ad solam euidentiam credibilitatis.

An illæ fuerint demonstrationes.

Dicere quidem possunt, ea, quæ pro veritate ca- 537
tholica ostendenda adduximus, demonstrationes haud esse, quas, & quales logicæ præcepta præscribunt. Quod quidem longè absum ego, vt diffitear. Verùm miserādi ualdè essemus, si ea dumtaxat manifesta, & euidentia in mundo haberentur, quæ ijs demonstrationibus constant; nemini iam essent manifesti sui Parentes, nemini

Fa-

Digitized by Google

Patria, iura, successiones, bella pridem facta nemini. Logica ergo ipsa, quam consultam uolunt, scientias, & scientiarum loca, materias, & rerum genera, probationes, & euidentias distinguit satis accuratè, si obseruatores haberet, nisi quod à multis omnia ubique confunduntur; & quidam in Metaphysica toti sunt in probationibus moralibus, quidam à contrario in moralibus toti Metaphysici, & aspernantur, quidquid salebrosum non est. Est itaque in mundo moralis etiam scientia, quæ quidem, ut ipsa fatetur, nequit quidquã stricta demonstrationis lege demonstrare, cum argumenta sua promat plerumque ex locis extrinsecis; at concludit nihilominùs, & euidentia quoque sua ac certitudine gaudet, quas morales ex ipsa scientiæ natura, & conditione appellant: non quod, ut quidam prauè exponunt, sint illæ fallibiles; nihil alioquin certum, ac infallibile suppeteret in humanis, & moralibus rebus; nihil circa mores indubitatum, concluſum, nullius innocentia, nullius delictum. Patet ergo, nihil obesse, quod quæ pro uera religione commonstranda adduximus, demonstrationes strictæ non sint, quominùs illa concluſa, probata, innegabilis, ac manifesta habeatur.

538 Dicent tursùs, res in mundo manifestas ignorari à paucis: & si proponantur, negari à paucioribus: idcircò nemo de Consulatu Ciceronis, nemo de Indijs litè, & quæstionem mouet: at ueritatem nostræ religionis maior quidem pars orbis ignorat: & licet proponatur cum omnibus suis fundamentis, negatur tamẽ à quamplurimis. Ergo illius ueritas non est ex rebus in mundo manifestis, nec omninò concludenter probatur. Hic ego, vt primùm orthodoxoscaueam, significo instantiã in euidentia credibilitatis, quam idem illi, vel ignorãt, vel negant. Integra deinde quæstione posit pauca expositurus sum, & adducturus causas, ob quas tam multi vel ignorant, vel negant manifestam adeò veritatem; aut quia non curant, sed negligunt; aut quia prauè nimis, ac factiosè agunt, & querunt. De Consulatu Ciceronis litigat nemo; quia nullius interest, fuerit ne, vel non fuerit ille cõsul: quod si interesset, vt causæ religionis interſunt, mille litigandi modi adinuenti pridẽ fuissent.

Obiectio.

Soluitur.

Digitized by Google

sent. Idem de Indijs dico. Vbi addo, esse morales euidentias alias alijs licet non infallibiliores, tamen vehementiores: sunt utique intellectualia infallibiliora ex genere suo; at nos uehementiùs afficiunt, mouentq; sensibilia: tota porrò euidentia Indiarum ad sensus fermè reuocatur; uidemus enim quotidie, & audimus homines inde redeuntes; videmus merces, videmus aurum etc. at euidentia religionis potissimum ad discursum, & rationem reducitur, licet iuuetur etiam sensibus: quæ obseruatio pro similibus etiam alijs deseruiet: Hinc est, quod licet secundum rectam rationem sola infallibilitas sit attendenda, nec æstimanda uehementia, sed ex meritis causæ ferenda sententia, plerique tamen in iudicando impetum magis, quam rationem sequantur.

Minor euidentia aliquando vehementior.

Obiectio alia.

Dicent demùm, nos ipsos ueritatem nostram ex sacris litteris ostendisse: at hæ nullam euidentiam ingenerant; nam solùm per fidem acceptæ, & creditæ probant: fides autem nullam euidentiam parturit. Verùm hoc circa occurrebant plura dicenda. In primis Theologia, quæ primariò, ac potissimùm ex creditis infert, & probat, gaudet nihilominùs sua euidentia, etsi acutè Aureolum inter & Caietanum disceptetur, sitne illa solùm euidentia consequentiarum, & illationum: an etiã consequentium, & illatorum, ne quidem pro Aureolo iudicante, solamque concedente euidentiam consequentiarum, connexionum, illationum. Nos rursùs citra sacras etiam litteras alijs medijs ueritatem catholicam euicimus; ex quo cessat oppositio. Ac denique sacras ipsas litteras resumpsimus, non ut necessariò saltem creditas, sed ut probatas; tenemur enim Christiani omnes ueritatem christianam aduersus non Christianos statuere, & probare, uti supra factum est: indè porrò constat, & probatur ueritas sacrarum litterarum, quoad eam saltem partem, quæ Christianis iam omnibus admittitur, & colitur: nos uerò hac sola parte usi sumus, ut ostenderemus, quos inter Christianos ueritas christiana degeret: quare nihil fidei, nihil ut creditum in progressu nostro de necessitate saltem assumptum, immixtumue est.

539

Soluitur.

Veritatis nostræ euidentia illustrata.

His ita amotis obicibus nonnihil nunc ex dictis illustremus euidentiam ueritatis catholicæ. Et primùm

540

qui-

Digitized by Google

quidem ab orthodoxis Authoribus requiramus, quos non censeant satis oppugnatos? Bellarminus, & alij manifestè reuinci putant præsentes hæreses: an ergo supersunt non omninò superati Mahometani, uel Iudæi, uel Gentes? Imò uerò ita hi apertè reuincuntur, ut iure dubites, ubinam tutiùs desipere liceat, cum unaquæque falsarum religionum, ubi de illa oppugnanda tractatur, omnium uideatur falsissima, uti Bellarmino de hæresibus uisum est, quia in his restinguendis totus fuit. Nullus deindè orthodoxorum audeat, credo, dicere, & assignare determinatam aliquam quasi fundatã meliùs, vel propugnatam sufficientiùs, vel eam assignent? omnes ergo abundantissimè destruuntur; & ideò omnes redduntur, fiuntque incredibiles. Nos item veritatem nostram ijs argumentis firmauimus, quibus nulla digna solutio adhibeatur; vt superioribus quæstionibus constitit: manet ergo veritas nostra manifesta, ac moraliter euidentèr concluſa.

541 Nihil rursùs in reb⁹ moralib⁹ oĩtẽdi vrgẽtius potest, si factiosæ de illis lites moueãtur: at nihilominùs illarum plurimæ manifestæ esse iudicãtur, & ritè cõcludi censẽtur. Præterea nullũ est veritatis signũ euidẽtiùs, certiùs, ac infallibiliùs, quam omnium inter se aptissima cohærentia: ideò si quisquam citra solitam illam argumentorum magnam molem res vnius scientiæ omnes clara omnium cohærentia exponat, sapientissimus in ea meritò à sapientibus habetur, quidquid vulgus neget: id ẽnim soli faciunt, qui res quodammodo vidẽt, nec aliud faciunt, quam veritatem ob oculos ponere, quòd planè est demonstrare, nec veritas, vt admittatur, alijs opus habet commendationibus, quam vt mõstretur, videatur, vel dignoscatur; nec enim illa est res per vim, & violentiam, & non nisi argumentis torquẽtibus, sed vltrò, & naturali intellectus propensione admittenda; quo in genere mirum in modum eminuit S. Thomas. At in probationibus veritatis catholicæ cernitur hæc omnium cohærentia mirabilis; omnia enim omnium generum fundamenta, quæ seorsim ab alijs religionibus allegantur, vnitè veritatem nostram ſtabiliunt; si quid deindè alicui deesset, ex aliorum concursu robur accipit, & constantiam: quamobrem omniũ

Digitized by Google

ſaltem illorum multitudo, & concurſus rem efficit planè manifeſtam.

Præterea vt qnæſtione illa 18. euictum eſt, aliqua 542
eſt in mundo religio, quæ veritatem ſuam ritè conuincat, eamque efficiat manifeſtam: nam veram religionem talem eſſe debere ibi commonſtrauimus: id porrò ſolum efficere debet probando ſe eſſe à Deo traditam, & nihil aliud. Vel ergo Sectarij, vel Mahometani, vel alij habent in hoc genere, quo à nobis adducta omnia vincant, & obruant, & tunc ipſorum veritas erit manifeſtiſſima. Quod ſi non habent, vt vtique non habent, noſtra ſupereſt manifeſta. Ibidem rurſus conſtituimus, exceſſum in fundamentis, quibus religio aliqua à Deo tradita probatur, eſſe ſignum veritatis concludens, & infallibile: at noſtra religio manifeſtè excedit, vt in ſuperioribus uiſum eſt. Conferamus deindè ſi placet: proferant pro ſuæ fidei firmitate martyres; proferant pro eiuſdem conſtantia pugnas cum falſis religionibus; proferant pro diuinæ uirtutis teſtimonio modum fundationis; prodant miracula, prædictiones, feruentiſſimæ charitatis teſtimonia, & ſi quæ uolent ſimilia. Ecce admitto omnia. Sed Mahometus tacet, & ſe non in uirtute, ut Chriſtum, ſed in gladio miſſum fatetur ultro. Sectarij miracula aiunt ceſſaſſe: ſi quid deindè hoc in genere tentarunt, euentu ipſo eluſi ſunt: ſanguinem pro religione fundere apud eos moris non eſt: Gentiũ mirabilia etiam admiſſa nihil ut uidimus probant: Iudæi, ex quo cum Chriſtianis pugnant, cunctis illis deſtituti ſunt. Age uerò admittamus, ſi quæ omnes illi habent, quod ſine pudore proferre in medium ualeãt; admittamus Zuinglium in bello occiſum, uel obſcura aliqua miracula. Pro uno nos martyre miriades, & ſic in cæteris quoque generibus producimus à teſtibus, & ſcriptoribus non minus fide dignis memoriæ pridem prodita, & hoc etiam temporis uiſa. Excedit ergo in ſingulis, & in omnibus religio noſtra non ſolum cum ſingulis alijs, ſed cum omnibus etiam ſimul comparata. Eſt ergo manifeſtè uera.

Iam ſic: tempore Chriſti ſeruatoris concludens 543
erat hoc genus arguendi: nam ut ſupra etiam annotauimus, ipſe ait Io. 15. Iudæos excuſatione deſtitutos eſſe,

ex

Digitized by Google

ex quo ipſe opera fecit, quæ nemo eatenus effeciſſet; nec ad inſtinctum, aut alio appellare licebat: ergo exceſſu operum, & miraculorum aptè ueritas deciditur. Similiter quoties miraculis certatum eſt, omnes hanc legem probandi,& concludendi admiſerunt, ut ea religio uera cenſeretur, quæ uinceret. At in miraculis, & in omni fundamentorum genere uincit manifeſtè, & excedit noſtra religio. Ergo uel Deus in mundo non eſt, uel illa eſt manifeſtè uera. Quam neceſſarijſſimam concluſionem plurima illorum confirmant; quæ ea in quæſtione copioſius diſcuſſa, ſtatutaque ſunt.

544 Hinc rectè depromitur, quo demum ſenſu, qua ratione Eccleſia uera Chriſti ſit uiſibilis, quod à multis non rectè expoſitum anſam præbuit ſectarijs argumenta confingendi. Eccleſia itaque uera duo importat, & multorum in unum conuocationem,& illius ueritatem; quod ſcilicet conuocatio, & unio illa re ipſa Dei ſit,ipſo Authore inſtituta, & conſeruata, in quo illius ueritas ſita eſt. Sunt ergo in mundo plurimæ huiuſmodi conuocationes, uel congregationes, uel uniones, ſatiſque illæ,cum hominum ſint, uiſibiles: quo pacto prædeſtinati etiam, ut ea quæſt. 18. dictum eſt, ſint planè uiſibiles. Nihil porrò hæc uiſibilitas iuuat ad præſens, cum ea falſis quoque Eccleſijs communis ſit; cum rurſùs Eccleſiam Deus uiſibilem effecerit; ut ab omnibus facilè agnoſcatur; ut ab omnibus audiatur: ut in illa tam docti, quam indocti ſaluentur, cum extra illã ſaluetur nemo, vt oſtendemus: eſt ergo ipſa etiam Eccleſiæ veritas aliquo ſenſu viſibilis: quam ſanè Eccleſiæ veræ viſibilitatẽ tum ea, quæ illa quæſt. 18. ab authoritate, & ratione produximus, tunc hæc nuper inductæ; tum alia ſacræ ſcripturæ teſtimonia ab orthodoxis hoc in loco allegata defendendam eſſe, conuincunt.

545 Veritas enimuerò Eccleſiæ, cum res illa corporea haud ſit,neutiquam cadere videtur ſub viſum, & ob oculos: cum verò viſibile à videndo dicatur, quid illud ſit viſibile, quod videri minimè poteſt? Nihilominus duplici ſenſu, & vtroque ſatis idoneo hæc viſibilitas exponitur, & defenditur. Primò facilè,ſi dicamus, viſibile in præſentia non aliud ſignificare, quam rem valdè manifeſtam, vel manifeſtè probatam: notauerat

Digitized by Google

quippe pridem Augustinus potentiæ visiuæ quamdam in cæteras transcendentiam : nam passim dicimus, vide quam suaue olea t hæc rosa, quam dulcis vox, &c. ipsaque scientiarum principia, multaque hoc genus visa appellantur. Sic ergo vera Ecclesia, cum eam veram esse apertè constet, visibilis iure merito nuncupatur. Vnde Augustinus tract. 1. in ep. Ioann. *numquid digito ostendimus Ecclesiam, fratres mei? nonne aperta res est?* Et tract. 2. *Quid amplius dicturus sum, quam cæcos, qui tam magnum montem non vident? qui contra lucernam in candelabro positam oculos claudunt?* Atque in hunc etiam sensum Valentia ea q. 18. ex reliquorum, & sua sententia rem hanc declarabat.

Alio modo res in se inuisibilis ex visibilibus effectis redditur, vocaturque visibilis : est verò ne quid oblatrent sectarij, ipsi quoque Paulo Apostolo hæc locutio vsitata : *Inuisibilia enim ipsius* (inquit ad Rom. 1.) *à creatura mundi per ea, quæ facta sunt, intellecta, conspiciuntur: sempiterna quoque eius virtus, & diuinitas* perindè autem est conspici, & videri, & sub oculos, vel sub conspectum cadere. Vt ergo inuisibilia Dei visibilia, & vt ita dicamus, conspicibilia in effectis visibilibus fiunt, sic veritas miraculorum pridem pro Ecclesia factorum cernitur in effectus: *hæc tam mirabilis mundi conuersio* (inquit S. Thomas) *ad fidem Christianam indicium certum est præteritorum signorum, vt ea vlteriùs iterari necesse non sit, cum in suo effectu appareant euidenter, &c.* Et quo magis Ecclesia durat, & aduersus tot hostes prævalet, eò apparet in illa euidentiùs sempiterna Dei virtus assistens. Apparet etiam illa euidenter in visibilibus effectis firmissimæ fidei, scilicet in tot illustrissimis martyribus. Apparet euidenter in effectibus spei, & charitatis, quas extra veram Ecclesiam inueniri repugnat : nam supra produximus fructus charitatis conspicuos, atque multiplices Ecclesiæ. Apparet in nouis miraculis ad abundantiam apud nos omni ætate iteratis. Apparet in excessu manifesto, & palpabili, quo cæteras religiones in veritatis signis omnibus non tam uincimus, quam obruimus : adeò Ecclesia est ciuitas supra montem posita, quæ abscondi nequeat : lucerna super candelabrum constituta : mons, qui uniuer- 546

sam

ſam terram repleuit, & clauſis etiam oculis offendimur. Atq; id ita eſſe oportere, euincunt, quæ ea quæſt. 18. & nunc in iſta, & alias etiam ponderata ſunt; quorſum enim alioqui, Eccleſiæ, ut iubemur, quidquam dicamus? eam audiamus? quomodo à Paſtoribus regamur? inſtruamus à Doctoribus, quos minimè nouimus, & ubinam gentium degant, omninò ignoramus?

547 Sed enim ſuppetit Sectarijs argumentum, quod Lutherus, quod Caluinus, quod diſcipuli fidenter opponunt, & illud quidem à ſcholis, quas tantopere abhorrent, mutuatum. *Quis* (inquit Lutherus) *Eccleſiam nobis monſtrabit, cum ſit occulta in ſpiritu, & ſolum credatur? ſicut dicitur, credo Eccleſiam ſanctam.* Brentius addit; *delendus igitur erit ille articulus ſymboli Apoſtolici, credo Eccleſiam ſanctã Catholicã: & ſic erit reponẽdus; video, & ſentio Eccleſiã ſanctã Catholicã.* Caluinus corrigit, & diſtinguit aliã Eccleſiã uiſibilẽ, quæ errare in fide poſſit, aliam inuiſibilẽ, occultã, & ſoli cognitã Deo.

Verùm in primis cum Paulo Apoſtolo litigent:

548 credo (dicimus) in unum Deum Patrem Omnipotentem, Creatorem cœli, & terræ. Delendus erit articulus, & reponendus: conſpicio Deum Creatorem cœli, & terræ. Cum Chriſto ſeruatore pugnent, dicente, *quia vidiſti me, Thoma, credidiſti.* Scio equidem Auguſtini, & Gregorij expoſitionem, aliud Thomam uidiſſe, & aliud credidiſſe; uidiſſe quidem hominem, & Deum credidiſſe. At licet Thomas ipſam in ſe diuinitatem oculis haud uidiſſet, tantis tamen, & toties ingeminatis uiſionibus, & miraculis, illam, atque ueram Chriſti reſurrectionem habuit manifeſtam, & conſpicuam, ac uiſibilem eo ſenſu, quo Eccleſiæ ueritatem uiſibilem expoſuimus. Quæ ergo hoc ſenſu ſunt uiſibilia, credi etiam poſſunt. Chriſtus deindè homo, & Deus, erat in una perſona diuina uiſibilis: unde eamdem diuinam perſonam Thomas uidit, & credidit. Deindè Chriſtus verus homo eſt etiam res credenda. Secum rursùs pugnent Sectarij, qui intus certiſſimè ueritatem diſcernunt; qui inter Verbum Dei, & hominum tam apertè, atque lucẽ, & tenebras diſtinguunt? Quod item Caluinus ſaltem haud negat, non ſemper fuit inuiſibilis, & occulta Eccleſia, & Eccleſiæ ueritas; notiſ-

Digitized by Google

tissima illa extitit Paulo Apostolo ad tertium cœlum raptо; notissima Apostolis, Lazaro suscitato, atque alijs: vt quæst. 18. ponderauimus: & tamen viguit semper symbolum Apostolicum, in quo sanctam Ecclesiã credimus. Præterea nemo Deo credere obligatur sine prævia persuasione de Deo existente: quid enim, vt ibidem exposuimus, Deo credere iubeantur homines, quid nisi credãt, damnari ab eo timeant, quẽ ignorant, an sit? Sciunt ergo, & notum supponunt credituri omnes, Deum esse: qui tamen omnes mox dicunt, *credo in vnum Deum*. Atque huiusmodi permulta adsunt, quibus hæc obiectio conteratur.

Video, à multis in Scholis fidẽ doceri malignantis valde naturæ, quæ, vt de negationibus est in proverbio, omnia destruat; nec cum visis, nec scitis, nec opinatis, aut quoquo modo aliundè notis cohærere valeat, & conciliari. Hæc ad scholæ normam olim latè discussa, haud veniunt hic resumenda. Vbi de mysterijs fidei sermo erit, scientia, vel opinio, vel visio antecedens; qualis Thomæ Apostoli esse videbatur, nolentis, nisi videret, credere, fidem vtique conficit, & destruit: scientia, vel ratio comitans, vel consequens nihil illi nocet, vt ex Diuo Thoma exposuimus satis ad scopum instituti operis, cuius nimirùm rationis, & intelligẽtiæ multiplici copia ipse in primis Augustinus, & Gregorius, atque Thomas Angelicus abundarunt. Vbi verò sermo est de præambulis fidei, vt de Dei existentia, de veritate Ecclesiæ, certa, & manifesta eorum persuasio, tam fidei nihil obest, vt sine illis tam ipsa illa præambula, quam cætera fidei credere prorsus sit impossibile, vt innotuit. Videmus ergo, ideſt, certò & manifestè Deum in effectis suis agnoscimus; & eumdem mox firmiùs fide credimus: sic & sanctam Ecclesiam credimus; quam tamen aliundè, quænam, & vbinam sit, apertissimè cognoscimus. Scio, hic fortè inducendam ab orthodoxis aliquibus distinctionem illam, vt Ecclesiam dicant visibilem doctis, creditam indoctis: vt de Deo distinguere consueuerunt. At hanc ipse distinctionem de Deo à dotis scito, ab indoctis credito reieci pridem: nunc eam de Ecclesia admittere fas non est, cum quæ pro Ecclesia visibili allegantur, inuoluant omnes & doctos, 549

Digitized by Google

ctos,& indoctos,vt ex dictis liquet,& distinctiùs infra dicetur.

550 Multa alia obijci à Sectarijs possunt aduersus visibilem hanc Ecclesiam. Primò ex Vuicleffo Ecclesiam solis prædestinatis constare: prædestinatos autem esse occultos, & nobis ignotos. Secundò cum Pelagianis Ecclesiam solùm coalescere ex perfectis: perfectos verò esse nobis incognitos,& occultos. Tertiò cum Donatistis ex iustis solùm Ecclesiam constitui, qui similiter quinam sint,nos latet. Atque similia ex uarijs hæresibus pridem extincta præsentes hæreses suscitarunt, & obtrudunt. Sed hæc omnia falsa esse,& impunè uiuere volentium effugia, constat abundè ex superioribus: in specie verò passim ab orthodoxis Doctoribus elidũtur, dissectaque sunt olim ab Augustino tot illis contra Donatistas operibus; & omnes Christi seruatoris parabolæ de Virginibus, de Sagena missa in mare,de conuiuio nuptiali, de area, quibus Ecclesiam suam expresserat,multaque alia has omnes hæreses reuincunt. Nunc porrò constat, à Christo nõnisi unam fundatam Ecclesiam,nullibi duarum mentionem, vel distinctionem fieri: eam, quam fundauit nos iussos audire, illi præpositos pastores, & Doctores, vtique agnoscibiles, & minimè occultos, qui nos regere valeant,& erudire: tales fuisse in primis Apostolos, talem eorum tempore Ecclesiam,quam non ad tempus,neq; diuersæ formæ, sed perpetuam,vt probauimus, atque uniformem Christus instituit: à qua qui eam non audirent, ejcerentur, & cætera,quæ inuisibili,& prædestinatis solis,uel iustis cõstitutæ Ecclesiæ,vt patet,conuenire,repugnat. Deinde cum Sectarij probe sciant, vt dicunt, sese esse prædestinatos, esse iustos, si scilicet id fide firmissima apprehẽdant, nihil hæc omnia visibilitati Ecclesiæ derogare videntur.

551 Illud demùm admittendum uidetur argumentum: scilicet charitatem etiam ex Sanctis Patribus, Cypriano præsertim, & Augustino esse unionem Ecclesiæ: ergo qui charitate carẽt,vti peccatores omnes carent,in Ecclesiæ vnitate non sunt: ergo absciſſi,& diuisi sunt,ac proinde extra Ecclesiam, & minimè de illius corpore. Huc pertinet,quod Ecclesiam Sanctam credamus:ergo

qui

Digitized by Google

qui Sancti non sunt, nec in charitate, de Ecclesia esse nō possunt. Plura differunt Catholici de unione Ecclesiæ, an illa fides sola sit, an charitas, &c. Haud incongruè duas uniones distinxeris, aliam imperfectā, quæ in sola fide consistat, & in extrema ad ueram Ecclesiam subiectione; aliam perfectam charitatis: Suntque hoc quoque modo exponendi similitudines, & exempla in ipsis etiam corporibus physicis. Verum id melius, & Sanctis Patribus conformiùs exponi uidetur, si duas charitatis uniones distinxeris: est enim alia, quasi Ecclesiæ charitas ex iustis illi conueniens, qua hos, vel illos illa sibi vnit, & amplectitur: alia charitas huius, vel illius, qua se vicissim tam Ecclesiæ, quàm alijs etiam iustis potissimum vniat. Est in philosophia non quidem probatio, quam ad præsens illa dare nequit, sed explicatio, & similitudo: nam multi, nec absurdè duas vniones excogitāt, quarum altera sese vniat materia formæ, altera, qua se uicissim formam connectat materiæ: alij cum Doctore nostro Suarez vnam solam ponimus, non quæ se ex parte formæ, & materiæ, sed solùm ex parte formæ teneat, qua sola, quin alia ex parte materiæ respondeat, vtraque vnitur, & compositum resultat.

Hunc in modum est, nec deficere vnquam potest 552
charitas in Ecclesia, qua illa omnes fideles, saltem non excommunicatos, & quos ipsa à se non eiecerit, sibi vniat, connectat, & amplectatur: vndè licet ego, vel ille à charitate excidamus, quandiu Ecclesia ipsa nos tolerat, nec eijcit iure, uel facto, in Ecclesia esse censemur, & sumus: ut si quis me amplectatur, licet ipse eum uicissim haud amplectar, inter amplexus sum. Atque ex hac similiter charitate, & iustitia Ecclesia sancta est, & dicitur, & creditur: quod etiam à sanctitate Christi, à sanctitate instituti, à sanctitate finis, ac multiplici alia ratione Doctores Catholici exponunt; tamen proprior uidetur, & solidior sanctitas à nobis attributa. Hinc etiam satis aptè exponitur, quomodo Ecclesia immaculata sit, nec maculam habeat, neque rugam, licet nullus in ea post Christum, & eius Sanctissimam Matrem fuerit peccato immunis: etenim peccata, & defectus nostri secundum Ecclesiam non sunt, sed potiùs contra directionem, institutionem, & ordinem eius:

qua-

Digitized by Google

quare in defectibus illa nobiſcum minimè participat, nec maculatur, aut violatur. Adeſt etiam ad hoc explicatio idonea, nam Deus nobiſcum, & cum natura concurrit ad defectus etiam naturæ, & noſtros; nec tamen ex peccatis, & defectibus naturæ, vel noſtris inficitur, aut violatur, aut defectuoſus arguitur concurſus Dei: quia nimirum, vt Philoſophi, atque Theologi exponunt, & docent, defectus illi, peccata illa haud ex concurſu Dei proueniunt; ſed à nobis potiùs contra eius directionem, & ordinem obtruduntur, & nos peccamus, non Deus: nos deficimus; non Deus. Sic non Eccleſia, ſed nos deficimus, quæ interea ſancta, & immaculata exiſtit, vt meritò lilium inter ſpinas prædicetur.

553 Nec hæc Eccleſiæ ſanctitas, atque puritas memoratis illis hæreſibus licet ad eam exponendam effictis explicari potuerat. Nam ſi ex ſolis prædeſtinatis Eccleſiam conſtituas, illi tam leuitèr, quàm grauitèr multoties delinquunt, & deliquit Petrus Apoſtolus, & Paulus ſimiliter. Si Eccleſiam ſolùm ex iuſtis, vel etiam ex perfectis componas, hi etiam delinquunt ſaltem leuitèr, nam vt ſcriptum eſt, ſepties in die cadit iuſtus, & qui dixerit, ſe peccatum non habere, mendax eſt ex Ioanne Apoſtolo, &c. Non ergo hæreſibus puritati Eccleſiæ occurritur, nec ſpecioſa illa, dilecta illa ſine ruga, ſine macula defenditur. Supereſt ergo, quod vel alia orthodoxorum, vel hæc noſtra explicatio admittatur, & Eccleſiæ bona omnia fidelium attribuantur, quæ nimirum ſancta doctrina, ſanctis inſtitutis, ſanctis conſilijs, ſanctis, & immaculatis Sacramẽtis virtutem iuuat, ac fouet, & defectus, & maculas omnes prohibet, arcet, & refugit: eſtque eadem quoad hoc, atq; Dei cauſa, & ratio.

554 Ergo concludamus, nihil obeſſe, quominùs Eccleſiam viſibilem, atque manifeſtam, & omnibus obuiã tueamur. Myſteria quidem fidei, atque Dei teſtimonia non ità viſibilia ſunt, ſed ſolùm credibilia: imò ideò ſunt illa nimis facta credibilia, quia apertè, & abundè conſtat, illa eſſe à Deo dicta. Et quemadmodum concluſiones, niſi certò, & ad certum principium reducantur, ſcibiles non ſunt, ſed ſolùm opinabiles, ſic niſi my-

Digitized by Google

ſteria fidei, in certum, & infallibile Dei teſtimonium reducerentur, & niſi certò, & citra opiniones reducerentur ad illud, haud eſſent nimis, nec euidenter, ſed ſolùm opinabilitèr credibilia.

QVAESTIO XXXII.

Vtrum nemo nihilominus credere poſſit niſi volens? vbi de piæ affectionis neceſſitate, ac voluntatis in intellectum imperio.

AD exponendum magis, quam ad contendendum, & altercandum quæſtionem hìc iſtam, vel ſubijcimus, vel addimus. Nos quippè ab operis fermè principio toti fuimus in certitudine, & euidentia morali veritatis noſtræ religionis adſtruenda: qua in re cum interpellati ſimus multoties, ſintque ſemper ex aduerſo innumeri Theologi, metuendum erat, ne ſi in hoc velut cardine operis erraremus, totum illud concideret. 555

Fundamenta aliquot negandi.

ERgo vt ex Auguſtino tract. 26. in Ioan. Theologi accipiunt, *multa poteſt facere homo nolens: credere autem non poteſt niſi volens*; paſſimque ipſe, & alij quoque Sancti Patres fidem docent eſſe poſitam in voluntate noſtra, licet præparanda, & præuenienda à Domino. Atque ſancta pariter Concilia Arauſicanum 2. can. 5. Toletanum 4. can. 55. Tridentinum ſeſſ. 6. cap. 6. voluntatem pro accipienda, conſeruandaque fide requirunt, & poſtulant. Sed nullis hìc opus eſt argumē- 356

tis,

Digitized by Google

tis, cum passim sacræ litteræ fidem collaudent, ac præmia polliceantur credentibus: quod autem libertatis est expers, nec laude dignum existit, neque præmio. Imò totius id mundi experientia est manifestissimum, cum eamdem eodem modo propositam, & prædicatã fidem alij accipiant, alij recusent, alij persequãtur, alij dicant rationabilẽ, alij stultam. Nec verò hoc in indoctis admisso, quòd quidam abeunt, sumus in cuto, cum doctissimi quoque, & causarum, ac fundamentorum fidei scientissimi à vera post fide defecerint. Quis enim doctior Origine? *cui ne quidquam ad scientiæ instrumenta deesset* (scribit Lirinensis) *etiam plenitudo exabundauit ætatis. Sed forsitan discipulis parum fælix. Quis vnquam fælicior? nempè innumeri ex sinu suo Doctores, innumeri Sacerdotes, Confessores, & Martyres extiterunt. Iam verò quanta apud omnes illius admiratio, quanta gloria, quanta gratia fuerit, quis exequi valeat? &c. Sed & Tertulliani quoque eadem est ratio: nam sicut ille apud Græcos, ita hìc apud Latinos nostrorum omnium facilè Princeps iudicandus est*, subdit idem Lirinensis. Et quod mirere magis, Tertullianus eas fidei probationes composuerat, quibus, vt iure testatur, futuræ omnes, & sua quoque cum eis ventura hæresis expugnaretur. Et interea, ne illis Lutheros, & Caluinos fæde annumerem, hi tanti, ac tales Viri à fide exciderunt. Ergo veritas fidei haud est euidens, & nota, & certa, cum veritati manifestæ omnes cedant, & repugnare, & dissentire valeat nemo. Assensus deindè veritatis manifestæ minimè est liber, sed necessarius: otiosa ergo esset, ac inutilis ad fidem acceptandam voluntas, cum intellectus ab ipsa euidenti veritate ad assensum cogatur, & necessitetur. Fides rursùs per doctrinam, & sapientiam esset, & non, vt tradit Paulus, per stultitiam prædicationis, quandoquidem euidentibus se argumentis probat, quo nil maius in scholis desideratur. Atque tandem dicent, me non ex animo euidentiam istam attestari, siquidem eo superbiæ delapsus haud sum, vt putem, me à vera fide (quod Deus auertat) neque casurum, neque cadere etiam posse: at non possem, si illius mihi est manifesta, & explorata veritas, nec huius præsentis iudicij obliuisci facilè vnquam potero: hic autem veritatis agnitæ

Origenis casus.

Digitized by Google

ſenſus, vel memoria me ſemper, & neceſſariò ad aſſentiendum traherent, & à diſſentiendo impedirent. Nulla ergo talis eſt certa, ac euidens veræ religionis veritas. His moti potiſſimùm credere multi videntur, fidē tam eſſe vnicuique voluntariam, & liberam, vt eſt mihi nunc liberum ſedere, vel ambulare, horsùm ire, vel iſtorsùm; eamque ideò dicunt liberam quoad ſpeciem, ideſt, illa ritè propoſita, eſſe vnicuicumque integrum, & liberum, vel aſſentire, vel non aſſentire, & etiam diſſentire; ac ſolùm, & vnicè à voluntatis imperio ad aſſenſum me determinari, determinandum pariter ad diſſenſum ſi placuiſſet.

Aſſertio affirmans.

ENimuerò, vt fatear ingenuè, nec minimam quidem iſta ingenerant in me dubitationem circa cōſtituta principia, & ad expoſitionem cogunt magis, quam ad ſolutionem. Haud verò erat difficile illa inſtare, ac infringere primum in celebri illa euidentia credibilitatis, quam ipſe haud nego, ſed euidentiam veritatis ex illa mox gigni, vel hanc in illa inuolui ſuperiùs commonſtraui; quis verò tam eſt inſanus, & excors (vt hoc de inſtantia delibem) vt putet, religionem catholicam adeò eſſe fundatam, quod ipſa ſola ſit euidentèr credibilis; Caluinianam adeò eſſe fundamentis deſtitutam, quod ſit euidentèr incredibilis; & ſimul cum his coniungat: *ego tamen intereà puto falſam Catholicam, & veram Caluinianam, & ita Catholicæ diſſentio, & Caluinianæ aſſentior?* Admodum ſapienter Emin. Palauicinus citato opere l. 3. cap. 6, obſeruauit, & docuit, non illud arbitrij eſſe voluntati in intellectum, vt duobus probabilibus propoſitis valeat illum cogere ad aſſenſum minùs probabilis reiecto probabiliori, vel æquè probabili; quod omiſſa nunc ratione à priori, probat ſatis ex eo, quod nemo in ſe hoc iudicium experitur: *ego equidem hoc credo, ſed video contrarium eſſe probabilius, vel æquè probabile*: & in præſentia: ego video religionem Catholicam fundatiſſimam, imò probabiliorem Caluiniana, imò iſtam improbabilem, & tamen hanc credo veram, 557

illam

Digitized by Google

illam falsam. Quin voluntati etiam ipsi, vt ex bonis similibus æquale, vel minùs eligat, meliori recusato, iã olim negauimus: quod si hoc ipsa in se non potest, minùs multò poterit in intellectu, cuius non tantum, atq; suimet exercet imperiũ. At nihilominus vti quis potest ad operãdũ (de cõsciẽtia nõ tracto) opinione vel æquè, vel etiã minùs probabili, vt idẽ Doctor notat, & ostẽdit, & pridem assertũ inuenio in August. l. 2. con. Academ. c. 11. ex sententia quidem eorum, sed haud reiecta ab Augustino quoad præsens: *id probabile, vel verisimile Academici vocãt, quod nos ad agendũ sine assensione potest inuitare: sine assensione autẽ dico, vt id quod agimus, nõ opinemur esse verũ, aut nos id scire arbitremur; agamus tamen.*

558 Iam superiùs in eo etiam institi, cuilibet nimirùm credituro, atque fidem accepturo illud proponi, & prædicari, vt credere Deo velit; sin minus fore, vt condemnetur; quia qui non crediderit, condemnabitur. Ille ergo iudicare debet, Deum locutum, cui scilicet credere iubetur: quid enim credat nihil loquenti? nec refert, quod locutus sit re ipsa, si id mihi haud constat: quæ magis, & magis facilè declarantur. Inferre saltem licebit: ergo quandoquidem Deo iubeor credere, ille locutus est ista, quæ credenda proponuntur: hoc si iudicare non possum, haud multum me vrgebũt, nec terrebunt: hoc verò si iudico, & præiudico, iam dissensus redditur impossibilis; nequeo videlicet simul iudicare, hæc à Deo esse dicta, & tamen falsa. Id porrò non iudico, & præiudico per opinionem, cum opinionem sequatur formido: formido autem de Deo loquente pugnet cum fide; ergo Dei locutio non erat opinabilis; ergo certior, quam opinabilis; ergo certa, & excludens formidinem. Deindè verò considerent, qui hæc, & similia obiectant, Ecclesiam, vt est quæst. prox. commonstratum, esse visibilem; visa est ergo aliquando ab aliquo, videri nunc quoque potest, poteritque aliquando ab alio. An ergo ille dissentire poterit veritati visæ? an Ecclesiam falsam iudicare? an illi dissentire? Omittò hìc alia. Hæc porrò ostendere videntur, aduersarios hoc in puncto haud nimiùm extitisse consideratos.

559 Multis itaque relictis similibus, tenendum est, veram *Sententia vera.*

Digitized by Google

ram religionem & liberè accipi, & liberè conseruari, & magno cum merito neminem in ea perseuerare, illam credere neminem nisi volentem: hæc tamen non ita esse intelligenda, vt crediturus, vel credens in sua id libertate habeat, vt stante illa sua dispositione improbare eam promptè queat, & iudicare esse falsam, ac aliâ veram: assensum ergo habet semper in arbitrio; at dissensum dumtaxat in causa; quia dispositionem illam bonam potest mille modis culpa sua alterare, vitiare, corrumpere; nec priùs potest eam iudicare esse falsam, quam obligationem credendi apud se deposuerit: videant enim, an illud non sit stolidorum; *ego quidem hæc falsa puto; & tamen ad ea credenda obligor: sin minus, condemnabor.*

Nihil communi schola rũ sensui reluctamur.

Nec est, cur in hoc quidquam à Theologia metuamus; nam si Thomistarum consulo scholam, satis in ea receptum est, fidem ritè cohærere cum euidentia, vt dicitur, in attestante, seu de Deo loquente: si nostrã auscultо, nihil in ea communiùs, quam fidem probè componi cum euidentia rerum creditarum, quod & ipse puto verissimum: si Scotum adeo, ille in 3. distin. 25. q. 2. præmittit fidei diuinæ fidem acquisitam, & humanam; per hãc autem humanam, & præambulam fidem pelli omnem formidinem, ac proindè eam solum opinatiuam haud esse, præmiserat dist. 24. q. vn. §. *contra hoc vltimum*: eumque sequuntur alij apud Valentiam. In his porrò casibus omnibus est impossibilis dissensus, vt patet: ergo de natura, de obscuritate, de libertate, de merito fidei haud est proxima, & immediata possibilitas, sed ea singula cohærent cũ possibilitate remota secundũ sensum receptũ scholarũ: quod autè hic, vel ille contra sentiat, nihil perturbare potest, & in scholastica tractatione audietur. Si me denique ipsum examino, non id libertatis reperio, vt promptè valeã nunc apud me iudicare, & resoluere, religionem Catholicam esse falsam; vt enim præteream tot, & tanta pro illius veritate adducta, occurreret mox illud Augustini ep. 118. *insolentissimæ insaniæ esse putare, id non rectè fieri, quod vniuersa per orbem frequentat Ecclesia*; nolim interea, mihi libertatem concedant, ad insolentissimas insanias approbandas, & iudicandas. 560

At

Digitized by Google

561 At exponendum iam est, vndè proueniant tot in tanta rerum claritate dissensiones, & lites; vndè, vel quomodo in tanta catholicæ veritatis euidentia eam videant tam pauci; eam reliquerint tam multi: eam improbauerint tam innumeri? & quo vix maius dici potest, relinquere potuerunt etiam Augustini, etiam Thomæ, etiam quilibet quantascunque. Id porrò, vt ex origine aperiam, cogor hic christianæ rudimenta doctrinæ commemorare; nihil enim erubesco, quod adducam vulgaria, si adduco vera; illis autem nihil veriùs, nec tutiùs. In prima itaque adolescentia doceri soliti sumus, quatuor esse dona Spiritus sancti, quibus mentes nostras misericors Deus dignatur illustrare, donum intellectus, donum sapientiæ, donum scientiæ, & donum consilij; quæ varij variè exponunt: nos breuissimè congruentiorem, & communiorem explicationem, & ad sequentia intelligenda suffecturam delibabimus.

Doctrinæ explicatio.

Quatuor Spiritus Sancti dona.

562 Ergo cum præter fidem sint in intellectu quatuor hæc Dei munera, sed ad eamdem cum fide causam, eamque adiuuandam concessa, eamdem cum fide materiam respiciunt. Fidei materia primaria sunt Deus, & diuina: materia secundaria, & reductitia sunt creata à Deo reuelata. Vnde necesse est, quod nos totâ fidei materiam ordine suo credamus; vt autem credamus, percipienda sunt, & intelligenda quodammodo, quæ credimus; iudicandum etiam de illis; ac denique cum fides per dilectionem operetur, agenda veniunt, quæ ipsa nobis fides agenda præscribit; hinc intellectu, sapientia, scientia, atque consilio nobis opus est. Sicut verò in naturalibus, & scientijs quædam sunt principia: alia autem conclusiones, quæ ex illis sunt, & ad illa reducuntur, & virtus, qua principia capimus, & intelligimus, dicitur intellectus principiorum: qua verò circa conclusiones versamur, appellatur scientia, hinc ortum est, quod donum illud, quo Deum, & diuina quodammodo intelligimus, & percipimus, vocetur donum intellectus; quia Deus, & diuina sunt quasi principia: donum verò illud, quo creata reuelata percipimus, donum dicatur scientiæ; quia creata sunt velut conclusiones; ac dirigenda, reducendaque ad Deum. Quia rursùs diuina intelligere non sufficit, nisi etiam iudicetur, virtus

Eorum natura.

ista,

Digitized by Google

ista, & donum, quo iudicamus, & statuimus diuinis tã-quam fini inhærendum, donum sapientiæ nuncupatur: differunt quippè intelligere, & iudicare, multosque inuenias in intelligendo, & penetrando acutissimos, & promptissimos, & in iudicando irresolutos, & ineptos, vt erat professio tota Academicorum, & Scepticorum. Quia demùm in agendo multa occurrunt, indè opus est donum consilij, sic à consultando vocatum. An autem ista queant vel ad pauciora cogi, vel ad plura distendi? an rursùs dona hæc re ipsa differant in se, an solùm officijs, possitque, vel non possit, vnum re ipsa donum, cuncta illa obire munera, vt de potentijs quoque animæ tenent permulti? an aliter etiam, & congruentèr illa exponi queant, nihil ad præsens: modò concesseris, his cunctis Dei auxilijs, & gratijs opus esse hominibus; cum hac doctrina plenus sit sacer codex, plenissimi verò psalmi Dauidici, quos quotidiè recitamus: quas si velut deuotiunculas quasdam apprehendas, & non vt verissimas veritates, nihil tecum uolo in præsentia. Iam Theologi consulti, num ea dona solis iustis insint? communiter aiunt, eo tamen ex Augustini quidem sententia notato, quod peccatoribus quoque, atque etiam infidelibus eorum loco non desunt sufficiẽtes illustrationes.

Illis donis, qua mala correspondeant.

His uerò muneribus, & uirtutibus sua mala, multaque illa correspondent; dono quidem intellectus hebitudo, qua malè intelligimus; & cæcitas, qua nihil; sapientiæ stultitia, qua prauè iudicamus; & fatuitas, qua nihil: scientiæ ignorantia; consilio præcipitatio, ut multas alias hoc circa præteream corruptiones, & uitia. Christianorum nullus hæc negat signatè, ut scholæ me uoce satis explicem: timendum uerò, ne à multis negentur exercitè, praxi, more, cõsuetudine: uideas enim aliquos rationis naturalis, & ingenij exaltatores, ac nimios amatores, quasi illa sufficeret ad quælibet; quasi illa possit quidlibet, & ubilibet inuenire; & in ratione naturali uidentur reponere lumina omnia, sicut alij iura omnia in iure naturæ, magis per quamdam, credo, oscitantiam, quam per errorem: hinc cum lumen naturale intellectus nullis peccatis extinguatur, uix quidquam timent; & quæ de cæcitate, de ignorantia audiũt, 563

uix

Digitized by Google

nix percipiunt, aut non aliud apprehendunt, quam inania vocum terriculamenta; hinc mundi, & sæculi sapientibus tantus honos: hinc ad Deum tam raræ, ac tepidæ preces; Sanctorum indè Patrum non tanta lectio, non tanta reuerentia: indè morborum horum tam pauci docti, tam ignota nomina, cum morborum corporis quilibet sit medicus, nominaque supra trecentum inuenta. Video certè, video, aliud esse naturam, & aliud gratiam: fateor naturalium, ac supernaturalium discrepantiam maximam: Augustinum audio, quod in soliloquijs dixerat, non nisi mundos verum scire, retractantem, ac asserentem, multos etiam non mundos vel multa, vel aliqua vera sciuisse. At quidquid de possibili aliter statuere placeat, quod parum ad nos, nunc, & de facto natura tota directa est ad superiorem, & supernaturalem finem, & non ad alium, & per has leges mundus de facto gubernatur, nec ordines naturæ, & gratiæ sunt ordines duo ita disiuncti, ac vicissim anulsi, quasi essent duo mundi: quanta ergo eorum sit de natura sapientia, qui in quem illa finem facta fuerit, & dirigatur, ignorant prorsùs? vnde leges norint, quibus regitur? quid in Ethica sciant, quæ de fine hominis disserit, quæ de virtutibus? quid in Metaphysica, quæ de Deo, & diuinis, ac substantijs separatis decernit? Sed ad nos. Cæcitatem, ignorantiam, ac reliquas illas pœnas, quæ & culpæ ipsæ sint, & aliarum pœnæ culparum negauerit nemo ritè Christianus, & eas in tenebras aliquos conijci, vt cæci fint; cum scriptum sit, *aures habent, & non audient*; & item, *vt videntes non videant, & audientes non intelligant*; & item: *supercecidit ignis, & non videront solem: excæca cor populi huius*; & infinita sine numero, vndè metuendus sit maximè Deus. Scitè Augustinus lib. 2. contra Aduers. legis, & Proph. *ille igitur, qui secundum Apostolicam sententiam, cuius vult, miseretur; & quem vult, indurat: proculdubiò quem vult, illuminat; & quem vult, excæcat*: ac paulò post: *illuminat ergo misericordia; excæcat iudicio, vtique æquissimo, etsi occultissimo*, non quidem immittendo vitium, sed lumen subtrahendo, vt exponunt Sancti.

564 Iam cum hæc intellectus mala constiterint, de eorum causa consulti, ad luxuriam illa fermè cuncta. *Quæ illorum causa malorum.*

Digitized by Google

Theologi reuocant. Videtur enim luxuriæ esse hac in re partes maximas, cum eius delectatio sit, vt dicunt, omnium vehementissima, & animum abducat ad res ab intellectualibus remotissimas, & abiectissimas, & absorbeat, & immergat. Verum diceret quis, alias fortè curas vel litigandi, vel negotiandi, vel ambiendi haud minus irretire, ac distrahere homines: vehementiam illam delectationis, tunc solùm impedire quando est, & quandiu durat; vt etiam motus iræ: at eam durare parùm: & quod ad physicum attinet, eamdem vehementiam adesse in nuptis, eamdem item physicam materiam: nec tamen matrimonium, quidquid spiritualiũ contemplationem, & studium aliquid impediat, esse absolutè inductiuum eorum malorum. Sed de his decernere argumenti præsentis haud est. Illud videtur hìc non omittendum, mala illa haud esse effectus peccato, tum solum quasi naturales, sed etiam, & maximè quidem pœnales, vt est manifestum ex scriptura. Quælibet ergo species peccati, vt mox exponam magis, lumen intellectuale, vel naturale, vel supernaturale in sua specie, & pro illa aut tollit omninò, aut minuit, & hebetat quasi causa maximè naturalis: nocet etiam pro alijs speciebus propter connexionem, & cognationem virtutum plus, vel minus: luxuria hoc in genere plus fortè confert. At quod magis Theologorum est, de malis illis loquendo, in quantum pœnæ sunt, omnia quidem peccata concurrunt; & luxuria magis propter suam fœditatem, & indignitatem, vt ita loquar: causam verò potissimam in vtroque genere puto superbiam, eiusque species. Nam Paulus ad Rom. 1. testatur; *quia cum cognouissent Deum, non sicut Deum glorificauerunt, aut gratias egerunt, sed euanuerunt in cogitationibus suis: & obsturatum est insipiens cor eorum: dicentes enim se esse sapientes, stulti facti sunt:* & infra: *& sicut non probauerunt Deum habere in notitia, tradidit illos Deus in reprobum sensus*. Vtque mille omissis testimonijs, potissima hoc in genere Dei supplicia insinuem, ex superbia, & affectata diuinitate quali quali, & Angeli à cœlo trusi, & obcæcati sunt, vt creditur, ac genus humanum vulnus illud ignorantiæ dolendum cunctis, dolendum semper contraxit; gens Iudæorum ex Christo crucifixo propter ingra-

Quomodo luxuria?

Quomodo superbia?

Digitized by Google

ingratitudinem maximè in extremam incidit cæcitatē: idololatriæ, superstitionum, ac cæcitatis gentium origo illa prima, quod Ninus filius Bellum Patrem Numen esse voluerit. His intelligendis conferret plurimum si naturam, si modos, species, & effectus suprebiæ hic exponerem ex 1.2. q. & 2.2. quæst. 162. & 163. videres enim, quam aptè, quam natè obcæcet superbia, idque genus mala multa nobis multoties inopinis, aut oscitantibus inducat latens hic anguis in herba, virtutibus sæpè ipsis contecta, semper fingens, malaque ipsa non semel in bona transmutans; at timui, ne ipsa plurium rerum explicatione obscurior redderer, & molestus: & docti quidem eas satis norunt; à reliquis aliquid est aliquando credendum.

565 Sed quod pluris fortè facias, satis hanc doctrinam approbarunt Philosophi quoad causalitatem naturalē in generali: nam de meritoria quid illi agnoscerent? Est enim in Ethicis axioma, omnium experimento notissimum, *qualis vnusquisque est, talem illi finem videri*, vt abstinenti, & temperato fœdissimum, ac dissonantissimum apparet inebriari: at nimio vino assuetis vix quidquam absurdi, vel fœdi in eo representatur, vt diuersis nationum hoc circa obseruatis moribus videas: idemque cernitur in reliquis omninò speciebus virtutum, & vitiorum. Atque hinc demū pro omnium regularum compendio traditur vir bonus, & probus, qui sit mensura, & regula omnium agendorum, & vitandorum; quasi id sit in singulis bonum, id malum, quod bonum, vel malum viro probo videtur; id iustum, quod videtur iusto, id liberale, quod liberali, &c. & vnusquisque vel in magnis, vel in paruis expertus est augeri, diminui, amitti vsu ipso dissonantiam, & consonantiam virtutum, & vitiorum: quæ cum experientia ipsa constent, necesse non est vlterius prosequi. Et hæc quidem Philosophi circa lumen solùm naturale intellectus annotarunt, ac tradiderunt; nam superiora illa, & gratis concessa, & adaucta nobis lumina, donaque Spiritus sancti, quæ proindè & auferri nobis ex integro queant, ad eorum minimè peruenere notitiam.

Mala illa quodā modo nota etiam Philosophis.

566 Hìc præterea prodenda est, & illa insignis origo mutationis maximæ intellectus, illa scilicet cunctis no-

Affectionis vis magna in intell.

Digitized by Google

ta pia affectio, vel aduersa, quæ fœdissima quæque pulchra uideri facit, mediocria maxima; & maxima minima, & nihil non perturbat: fatuitas Patronum, ut aiũt, habet, fœditas amatorem: & ne in re manifestissima multus sim, unicuique melior uidetur lingua, uestis, cibus, modus nationis suæ? & alij alijs improbamur, & uix non sumus ridiculi: quorum si quæras originem, inuenias non aliud, quam piam affectionem, & amorem: cur Matribus sui filij omnium pulcherrimi uideantur? & mille huiusmodi? quod aliud tot in scholis dissensionem caput, quam affectio partium? alijs Scotus probatur, alijs alij, & alij. Quæ planè affectio cum in ipsis etiam speculatiuis facultatibus muras mutationes inducat, potissimùm uerò rerum faciem totam in ijs scientijs inuertit, quæ ad agendum ordinantur; indè Aristoteles 1. Ethic. ab eà disciplina excluſit omnes passionum sectatores, qui scilicet sunt ad iudicandum in illis ineptissimi, nec uerum à falso discernunt.

Obiectorum solutio, & explicatio.

HIs prauè iudicandi, uel nihil uidendi significatis radicibus, uix solutione indigent, quæ aduersus euidentiam ueritatis religionis nostræ principio quæstionis induximus; cum enim peccatis, & passionibus impletus sit mundus, & citra hyperbolim eum Clemens domui comparet repletæ fumo, siquidem in illo aliud uix est, quàm concupiscentia carnis, concupiscentia oculorum, & superbia uitæ, mirum non est, sed admodum connaturale, quod tam multi, tam innumeri eam euidentiam haud uideant, siue naturalem uitiorum, habituum, affectionum indolem consideres, siue illis adiungas pœnas illas hebetudinis, cæcitatis, stultitiæ, fatuitatis, ignorantiæ, atque præcipitationis; quibus quidem puniri plurimos negauerit quidem Gentilis; at apud Christianum debet esse indubitatum. Hæc autem peccata, hi habitus, & affectiones in arbitrio sunt nostro; ac proindè culpa sua homo est ità prauè affectus, & di-

Quomodo quisq; possit à fide deficere. 567

Digitized by Google

& disposítus, ut uix, uel nullatenus intelligat causas ueræ religionis; vt prauè iudicet, aut non iudicet: vt ignoret; vt non consilio eligat, vel teneat religionem, sed præcipitatione, vel casu. *Quamobrem hic idem Origenes tantus, ac talis,* (ait Lirinensis) *dum gratia Dei insolentiùs abutitur, dum ingenio suo nimium indulget, sibique satis credit, cum parui pendit antiquã Christianæ religionis simplicitatem, dum se plus cunctis sapere præsumit, dum ecclesiasticas traditiones, & veterum magisteria contemnens, quædam scripturarum capitula nouo modo interpretatur, meruit, vt de se quoque Ecclesia Dei diceret, si surrexerit in medio tui Propheta, &c. non audies verba Prophetæ illius:* ac tantumdem de priscis quoque alijs hæreticis commemorat. Ecce quomodo facilè quilibet perdi queat.

568 Sed vt notioribus minus nota, ac præsẽtibus antiqua nobis manifestiora fiant, nõ sic statim, & immediatè Lutherus prolapsus est, quod mox ex volũtatis imperio falsam apud se statueret, & iudicaret religionem Catholicam, sed passione, & æmulatione in indulgentias primùm inuehi cæpit: post arsit vtrimque contentio, & sua tuendi cupido; ac in maiora paulatim prolapsus sibi ab Ecclesia cæpit metuere; prauè hinc erga eam affici: illius indè authoritatem carpere, minuere, mox tollere: quæsiuit, legit, congessit, quæcunque è re sua scripta fuissent: Luxuriæ manus, & colla dedit; atque per tot demùm voluntarias, & culpabiles affectiones in alium versus iudicare fortè internè quoque, & apud se potuit, quod principio ore tenus, ac verbis effutierat, religionem nostram esse falsissimam: ac tantumdem paulò plus, vel minus Henrico Octauo, Orangio, Caluino, ac reliquis tunc, & nunc Apostatis vsuenit, vt in superioribus causas defectionis memorantes exposuimus. Nec enim credas, profugos, & Apostatas, aut quosuis fundamentorum religionum nonnihil conscios momento dissentire intra se religioni nostræ, aut illã falsam esse iudicare, sed mutationes post multas, & affectiones; & vt audio, est Geneuæ in prouerbio, eò confugientes, & deficientes Catholicos nouitiatum pati annorum quatuordecim, magni scilicet metus, & scrupulorum. Ad eum in summa modum, quo apud nos multos vides aliquando probos maximam in

pec-

Digitized by Google

peccatis dissonantiam, & fœditatem; maximum itidem periculum apprehendentes, qui postea vsu, & habitu peccandi, ac consuetudine in naturam versa, Deum quidem audiunt, infernum audiunt, sed vix quidquam periculi, vel dissonantiæ apprehendunt, aut percipiunt, aut iudicant, nec videntes vident, & omninò stupidi, & insensati redduntur: ad hunc, inquam, modum multi à vera religione deficiunt, tam multi illius euidentiam haud vident, & sine illa perennt tam innumeri. Alij à doctioribus facile decipiuntur; sed non sine culpa, vt exponetur: nec enim ita se decipi patiuntur in rebus temporalibus. Alij casu religionem illam colunt, in qua nati sunt; nec de veritate, & causis eius curant: at curant, & diligentissimè de rebus alijs minimis. Propter alia deindè peccata obscuratur insipiens cor eorum, atque in reprobum sensum traduntur. Sunt & illa & nimium quidem multa, & grauia apud veræ religionis etiam cultores; at à Pastoribus custodiuntur, pascuntur, instruuntur: hos rursùs? Deus misericordia illuminat, illos inter im excæcat indicio, etsi occultissimo, vt dicebat Augustinus: quemadmodum ex peccatoribus cuius vult, miseretur; & quem vult, indurat. Ex infidelibus quoque quos vult, & quando vult, eligit, & illuminat modis innumeris; casuali nauigatione, bello, seruitute, casuali item vel amicitia, vel lectione, vel locutione, &c. aliisque sine numero modis minutissima prouidentia ab ipso præordinatis, & dispositis, attingendo à fine vsque ad finem fortiter quidem, sed ita suauiter disponendo cuncta, vt casualia videantur.

Errores loco veritatis habentur.

Illud præterea hìc duxi adiungendum, quod pridē 569 tradebam; & est magna ipsa quoque origo errorum, quod scilicet errores loco veritatum habeantur; & hac de causa præ reliquis omnibus mala intellectus sint incurabilia. Ægrotat aliquis; agnoscit se non valere: agnoscit indè indigentiam suam, & orat Deum, & medicum vocat: tonat, fulminat æther: agnoscitur; annus sterilis imminet: agnoscitur: oratur pro pluuia: occidis, mœcharis, furaris: haud te credis castum, iustum, innoxium: de Deo nunc, vel post placando cogitas. Verùm intellectus sors est alia maximè miseranda: scates erroribus; & credis te sapientissimum, & superbis, & iactas: quem-

Errorū natura pessima, curatio difficil. s.

Digitized by Google

quemadmodum phræneticis accidit, qui in extremo vitæ discrimine se sanos credunt, & clamant: ecce, vt res nobis nostræ sint exemplò, sumus Theologi sine numero, & pugnantes inuicem scholæ, & non est homo cum homine ex toto, & plerique plurimùm discrepant inter se: cum ergo vna sola sit vbique veritas, necesse est, vni veritati correspondeant errores innumeri, ex quibus pars magna plurimis contingat: & interea nemo non se credit sapientem. Pone precor, nihil inter salutem, & ægritudinem à nobis discerni, nec mortem inter, & vitam: in pessima messi, vel etiam, quando nihil seminaueras, colligi loco tritici nescio quod aliud apparens, & fictum triticum: quod tibi, sicut triticum, placeret, te similiter saturaret, & conseruaret, & omninò triticum esse tibi videretur. Quænam tibi foret seminandi, pluuiæ, anni, orationum cura? At error est hoc modo ipsa veritas ficta, nec habenti aliud esse videtur, quam veritas: maximè verò in materia religionum propter multa.

570 Hanc Augustiuus causam veritatis à tam paucis inuentæ exhibet lib. 2. contra Academ. initio: *siue etiam (qui error omnium populorum est) falsa opinione inuentæ à se veritatis, nec diligenter homines quærunt, & à quærendi voluntate auertuntur, euenit, vt scientia rarò, pauciſque proueniat.* Hinc tam paucæ, & raræ ad Deum preces: tanta loco humilitatis de erroribus ipsis superbia, & ex erroribus error, & omnia miserandа.

571 Atque ex his omnibus capitibus fides, & vera religio est libera, voluntaria, amissibilis, & mutabilis, mediatè, vt aiunt, & in causa; estque ad illam necessaria, & oportuna pia affectio, ut Theologi ponunt: quam nolis piam uocatam, quasi pietate quadam, & urbanitate, & supererogatione postuletur; nam est omni iure debita, & obligatoria: sed quia uel sancta est, uel ad sanctitatem conferens. *Fides, & religio voluntaria.*

Modus

Digitized by Google

Modus alius libertatem fidei exponendi.

AT, ut omnes nobis magis aſtringamus, gratoſque reddamus, occurrit modus alius, quo citra iactorum fundamentorum præiudicium euidentia ueritatis catholicæ religionis conſiſtat, & cohæreat cum immediata, uel quaſi immediata poteſtate ad diſſensū. Principium eſt S. Thomæ in præſentia, fortè haud nimis penetratum, myſteria fidei eſſe uiſa, ideſt, manifeſta ſub generali quadam ratione, ideſt, ut exponit, in ratione credibilium, & credendorum; per quod ſatis indicatur, illa in particulari non eſſe ſic uiſa, & manifeſta, ſed obſcura, & non apparentia. Quid autem per hæc ſignificet, non ità planum eſt. 572

Sensū crederē, ei, qui religionē catholicā in hac, ut ita dicā, generalitate cōſiderat cū totidē ueritatis indicijs, & probationib⁹, eā proponi manifeſtā, & quaſi cōſpici, non niſi à Deo fuiſſe traditam; ac ideò credibilē, & credendam; plus quippè eſt credendum, quam credibile ex ſuo genere, ut patet; & per hoc myſteria fidei præcisè credenda redduntur, quòd certò ea conſtitit tradita à Deo. Si porrò quis non hæc ſolum ueritatis catholicæ fundamenta conſideret, non ſic in generali myſteria ipſa accipiat, ſed ad ſingula in particulari deſcendat, illa euoluat, & examinet; (ratione antecedenti) difficultates inſpiciat, attendat, & perpendat, admodum intricatus, implexus, confuſus inuenietur; hinc lucem, hinc tenebras offendens: claritas illa, & euidentia ex fundamentis totius religionis in genere parta ex myſteriorum immenſa difficultate concutitur, frangitur, & forte etiam eliditur omninò, atque obruitur: hoc autem eſt, myſteria fidei in generali eſſe uiſa; in particulari, & euoluta non eſſe uiſa, ſed abſtruſa, & obſcura: ſicut ſalubris pilula pulchra auro apparet; ſi euoluatur, ipſo fermè terret conſpectu: ſic uirtus, ſic fœlicitas pulcherrima apparet, & placet, & neminem non allicit; at ſi omnia ſimul conſiderentur, quibus conſtat, nihil ipſa horridius, & plerique aufugiunt: ſic in ſcholis, 573

ſic

Digitized by Google

sic in negotijs pars aliqua quibusdam consideratis uidetur euidentissima; at alijs adiunctis, & omnibus, vt aiunt, consideratis, trutinatisque, nihil euidentiæ retinet: quod idem in exercitu sine alio, vel cum alio contra pugnante videas discriminis. At nos in superioribus non sine labore, sed laboris, vti credo, pretio magno ostendimus, & explicuimus, in fide, non vt in alijs, esse omnia, & singula examinanda, attendenda, ponderanda, ac mensuranda; sed ea solum generalia inspicienda, fundamenta, quibus Deus manifestat, religionem aliquam ab ipso esse traditam, mysteriaque deinceps ipsa non esse euoluenda, & mandenda, & sine examine deuoranda, & deglutienda, vt exemplo salubrium pilularum declarabatur, & fidei, ac scientiæ discrimine.

574 Hinc infidelium, & hæreticorum permulti perdũtur, nec credunt, sed dissentiunt, quia statim ad mysteria discutienda prosiliunt, ad Eucharistiam, ad Trinitatem, ad Incarnationem; & vim totam opprimunt fundamentorum fidei, dissentireque illis etiam stantibus fundamentis possunt. Vnde euidentia veritatis catholicæ partim positiuo constat, ac partim negatiuo; nimirùm consideratione considerandorum, & non consideratione non considerandorum; ac perit, & perditur vtrauis deficiente. At peccat, qui non considerandæ, nec examinanda, ac multum etiam nocitura examinat: est porrò cunctis notum, & euidens, quod supra distinctiùs commonitrauimus, Dei dicta haud esse examinãda, sed omnia quantumcunque abstrusa, & in intelligibilia illibatè, ac firmitèr credenda. Dissensus ergo cum euidentia prædicta non componitur; at componitur cum omnibus fundamentis positiuis illam ingenerantibus.

575 Hìc verò suppetit ingens merendi messis credentibus præsertim sapientibus. Est enim insitus intellectui appetitus, intelligendi, & explorandi quæcumque sibi proponuntur, ac super illis iudicandi, cum apprehensio, & propositio rerum suaptè natura ad iudicium ordinetur; atque vis hæc in studiosis, & doctis est vehementior, & maior item curiositas scrutandi, & explorandi. Quod ergo sine examine res difficillimæ admittantur, & quin super illis iudicemus, credantur, de- *Meritum fidei.*

Digitized by Google

bita quidem Deo, sed laudabilis est valdè, atque meritoria mentis subiectio: & quemadmodum in voluntate tota merendi ratio eo reducitur, vt velit, non quæ sibi, sed quæ Deo placent; sic in intellectu eò reducitur, vt credat, non quæ sibi, sed quæ Deo videntur: ipsi autè aliud de Incarnatione, de Trinitate, de prædestinatione videretur. Rursus omnes tres intellectus partes, scilicet apprehensiua, iudicatiua, & discursiua huic processui resistunt; inferenda quæ est proindè vis, & violentia cunctis illis; nam pars discursiua inclinat ad discurrendum, disceptandum, & explorandum; iudicatiua ad iudicandum, & ferendam sententiam, an res sit possibilis, an cohærens, &c. ac ipsa demum pars apprehensiua, multas species excitat, & difficultates ingerit, ingeminat, & à credendo retrahit, & ad dissensum, vel examen instigat. His ergo omnibus non nisi magna vi voluntatis, & obedientiæ obsistitur. Hinc Sanctus Thomas Paulum exponit tàm verè, quàm acutè, intellectum quippè in credendo captiuari, ideſt, quasi alienis teneri terminis, & vinculis; nam cum ipse aptus natus sit intelligere, explorare, iudicare, decidere, ab his omnibus proprijs muneribus cohibetur, & tenetur velut extra propria ex imperio, & affectu voluntatis; quæ alias etiam exponenda ampliùs hic exponere oportunum haud videtur, nec necessarium.

Tentationibus contra fidem quo inter alios modo occurrẽdum.

Illud porrò, quod ad custodiendam fidem proficere potest, minimè prætermiserim. *Mirabilis* (inquit Dauid:) *facta est scientia tua ex me*, ex quolibet quippè nostrum, si in nos, & nostra reflectamus, mirabilis redditur diuina prouidentia, & sapientia, & nulla fortè schola est nobis, quàm nosmet ipsi, ad discendum vberior, si sit, qui recogitet. Ego quidem, vt hoc liceat de me prodere, iam multis abhinc annis de euidentia veritatis catholicæ sum persuasus, & creuit in dies hæc persuasio, potueratque iam fermè in naturam ex vsu cõuerti. Et nihilominùs haud semel, dum hoc, vel illud mysterium minùs considerate examino, fundamentorum religionis tunc fortè non memor, conturbor facilè adeò, vt necesse sit eo dimisso examine ad asylum eorum fundamentorum refugere, Deo tunc gratia sua succurrente, & species cõmodas,

576

577

modas, & auxiliũ concedẽte in tẽpore oportuno: quẽ in finem, nisi impedior, alia quoq; præcepta subiungã.

Igitur, cum per totidem hos modos vera religio
577 relinqui, mutari, improbarique possit à quolibet, superest, vt exponamus, qua ratione fides, stante etiam euidentia morali veritatis illius, sit vlteriùs libera, vt Sanctus Thomas loquitur, quoad vsum, & quoad assensum, nec euidentia illa ad assensum nos fidei necessitet. Fides itaque sicut & reliqui omnes habitus, est libera quoad vsum; nam, vt est axioma, habitibus vtimur, cum volumus; & ipse quoque habitus demonstrandi, quo nihil est minus liberum, est hoc sensu liber; nec enim demonstramus nolentes.

Libertas fidei denuo explicata.

578 Est verò fides vlteriùs libera quoad assensum. Licet namque argumenta, quibus veritas catholica commonstratur, conuincant quemcumque ritè dispositum, & debitè considerantem, ac proindè ille queat quocumque mysterio proposito ad illius assensum per ea argumenta induci; hic tamen haud est assensus diuinæ fidei, sed humanæ, vel acquisitæ, vel alterius generis; nec enim quilibet assensus mysterijs fidei præstitus, est hoc ipso assensus diuinæ fidei, vt patet, sed esse potest theologicus, vel humanæ fidei, vel alius. Ille ergo dumtaxat assensus, quo Deo dicenti, & reuelanti credimus mysteria, est assensus fidei, de qua est hic sermo, diuinæ quippè, & infusæ; quem nec propter argumenta, nec propter alia motiua præstamus, sed propter solam authoritatem dicentis, & reuelantis. Cum autem dignitas, & meritum huius motiui in immensum excedat argumentorum illorum dignitatem, & meritum, efficitur, vt assensus sequens superet, & excedat in certitudine, & firmitate assensum vi argumentorum præstitum eadem proportione; siquidem vbique meritis obiecti mouentis correspõdeat, & commensuretur adhæsio, & certitudo assensus, vt est compertum, ac facile demonstratur, infraque exponetur. Credens ergo, cum ad credendum inducatur argumentis illis, ac modo illis proportionato crediderit, accipiens mox ex determinatione voluntatis motiuum illud superiùs diuinæ authoritatis, & credens, dicere quodammodo cum Samaritanas potest, *iam non credimus*

Diuinæ, seu infusæ fidei, & acquisitæ distinctio.

Digitized by Google

propter loquelam tuam: Samaritana enim quoad hoc typum gerit humanæ rationis, & persuasionis. Nec dixeris, ad hunc superioris ordinis assensum, excedétemque præambulam euidentiam, cogi intellectum, ac necessitari ab ipsa euidentia; hoc namque contra logicam esset, & contra regulas omnes scientiarum; nec opus est impugnatione. Solùm ergo, & vnicè ab affectu voluntatis credens inducitur, ac determinatur, quin euidentiæ illi insistat, vt clarissimè, ni fallor, infra declarabimus: atque ipsa illa præambula argumenta ostendùt, Deo esse credendum propter suam authoritatem supra modum omnem, & ad hoc obligationem inducunt. Quærent etiam hìc, an, vel undè affectus hic sit supernaturalis? At ego respondeo, vnde reliqui affectus nostri erunt supernaturales: hæc enim est causa generalis, non hùc pertinens, sed ad tractationem virtutum, & discriminis virtutum naturalium, ac supernaturalium: & ego eas omnes ex obiectis distinxi, nec vllam hìc difficultatem dissimulo, quia nullam inuenio.

Hinc denuò facili negotio occurritur difficultatibus principio propositis. Patet enim neminem credere nisi volentem quoad vsum, & quoad assensum: patet fidem esse liberam, esse meritoriam, atque laudari iure merito. Patet omnes quantumcumque sapientes deficere demum posse à fide, te posse, & Originem potuisse modis innumeris. Patet, euidentiam veritatis fidei in primis ipsam esse varijs modis liberam; & deindè illa etiam stante, nos ab illa non ad fidem cogi christianorum, sed ad eam, quæ laudis non est, & qua hæretici multa credunt, & omnia credunt Dæmones, & contremiscunt, conuicti scilicet euidentia signorum, vt exponit Sanctus Thomas? Et num, si nostra religio sit uera, non vident Dæmones? Lutherum apud ipsos esse ob hoc inter alia, quòd eam dereliquisset? & ob sexcenta huiusmodi non vident nostram religionem esse veram; & consequentèr esse etiam vera nostra mysteria? An ideo Dæmones habent diuinam fidem, fidem Christianorum, fidem, quæ est initium iustificationis? Quis mussitet? Ergo euidentia veritatis catholicæ non infert fidem Christianorum, assensum diuinæ fidei. Si à Deo concursum Dæmonibus negari, vel quid simile quis re- 579

ponat,

Digitized by Google

ponat, valeat; & cum alijs contendat. Patet iam demùm, quo pacto fides sit per stultitiam prædicationis, vbi expositiones Patrum breuitatis gratia libens prætereo: apud nos sensus est clarus, scilicet fidem non probare asserta, sed credere: imò rationem subijcere, & captiuare; & ideò fides non est per demonstrationem, sed per prædicationem, quod sæculi sapientibus stultitia videbatur; nam Græci sapientiam, & omnium probationē conquirebant teste eodē Paulo. Atque omnes sequen. quæst. ad horū maiorē explicationē conferunt.

QVAESTIO XXXIII.

Vtrum Ecclesia sit omnibus visibilis, possintque etiam indocti veram religionem agnoscere? & qua via?

580 NIsi hoc ostendamus, parum negotij effectum est. Nimirùm hac in re magna esse videtur multorum vel ignorantia, vel oscitantia, qui alias libito suo pro indoctis, ac rusticis cudunt leges. Dicent, Ecclesiam quidem esse visibilem, sed Doctis, sed Doctoribus, non simplici populo, qui nihil his de rebus intelligit: & quemadmodum in scholis alia sunt per se nota omnibus, ut totum esse maius parte; alia nota sapientibus, vt substantias separatas non esse in loco; sic dicent, Ecclesiam Doctoribus esse planè visibilem, eosque solos veram religionem dignoscere, illamque inter, & falsas distinguere: at indoctos, & simplices nihil hoc in genere posse, quocirca extremam multorum ineptitudinem pōderabunt. Quidquid præterea indocti, ac rustici, qui in Ecclesia sunt, & apud nos, cum instructiores sint, ac fundamenta veritatis vel videant, vel audiant multa, aliquid in eo valeant: at rustici Persæ, vel Indi, qui in summa ignorantia degunt, quorsùm dignoscere veritatem queant? Eadem porrò fermè ratio est de simplici hæreticorum plebe,

Aliquorum placita.

Digitized by Google

plebe, quam latent omnia, ac singula fundamenta ueritatis. Hinc hos omnes per ignorantias quasdam excusant, & nisi alia peccata impedient, saluos etiam fore, si saltem babtizati fiat, arbitrantur: aliaque inferùt consectaria satis planè uel mirandæ, uel miseranda.

Asseritur. Asseramus tamen, Ecclesiam omnibus prorsùs esse uisibilem, & omnes etiam indoctos posse ueram religionem agnoscere, atque discernere. Quod multiplici mox uia ostensuri, primùm, quid hoc in loco Sancti Patres nobis doctiores senserint, uideamus. 581

Sancti Patres contestantur. *Quid ergo* (inquit Clemens 3. recogn.) *Putas, quod in terram defossam absconderit Deus veritatem, & montes ei superimposuerit, vt ab his, qui in profundum fodere valent, tantummodò inueniri possit? Non ita est.* Id mox probat ex Dei iustitia. Tertullianus lib. de test. animæ in ueritatis christianæ testimonium aduocat, non doctam, non litteratam animam, *sed rudem, & indoctam, & idioticã de compito, de triuio, de textrino*: Tertullianum imitatus est Cyprianus. Porrò Chrysost. orat. *quod Christus sit Deus*, se putat ueritatem nostram demonstrare ad captum, ut ait, ancillæ, & uiduæ, & institoris, & agricolæ. Augustinus permulta habet in eamdem sententiam. lib. 13. contra Faustum c. 13. de eo cathecumeno differens, qui nequit liquidam tot inter errores ueritatem dignoscere, ad Ecclesiæ eum euidentiam ducit, quæ, cum ciuitas sit supra montem constituta, nequeat abscondi: *& quem montem nisi eum, qui ex paruulo lapide creuit, & factus est mons magnus ita, vt impleret vniuersã terram?* Vt rursùs tum aliàs, tum lib. 2. contra litt. Petil. ait, *clausis etiam oculis offenditur in montem.* Sed quia sunt etiam ignoti montes, occurrit tract. 1. in epist. 1. Ioannis: *ille autem mons non sic; quia impleuit vniuersã terram: quis errat in hoc monte?* Rupertus lib. 4. in Matt. *non potest abscondi, non patitur ordo, vel ratio iudicij, & consilij diuini, vt abscondatur, & incognita sit, quæ ad hoc ædificata est, & ad hoc mille clypei pendent ex ea, vt omnes, qui inter aduersarios periclitantur, qui inter Iudæos, & Paganos, & Hæreticos pro fide agonizantur, sciant recurrere ad hanc Ciuitatem.* Atque similia cæteri fermè omnes docuere, Qui præterea in concionibus ad populũ habitis iam Gentilium, iam Iudæorum, iam Hæreticorum

Digitized by Google

rum vanitatem, ac noſtram veritatem oſtendebant, & oſtendam arbitrabantur. Iam ſi placet, dicat ex ingenio indoctior Theologus, hunc montem ignotum ſimplicibus, abſconditum hæreticorum populis, inuiſibilē Gentilium plebibus, lucernam euangelij doctis ſolùm conſpicuam: ſaluent, quos volent: nos procul abſumus, vt vel dubitemus quidem.

582 Iam, quæ de vera religionis doctrina in genere, vel quæ de veritate chriſtiana in ſpecie diſſeruimus, idē ipſum demonſtrant. Probauimus, religionis doctrinam fide, non ſcientia comparandam, diuina reuelatione, non diſcurſu conſtare; vt populis, vt indoctis quibuſq; eſſet illa comparabilis, multaque hoc circa commonſtrauimus: vera ergo religio comparari ritè ab omnibus poteſt: ergo agnoſci, & diſcerni; ſin minùs non ritè, ſed caſu, & temerè colitur magis, quam creditur, vt quæſt. ſeq. dicam. In eumdem rurſus finem examen rerum, doctrinarum, ſcripturarum, linguarum, ſimiliumque repulimus, vt forma ueræ religionis agnoſcendæ breuis eſſet, & expedita, & cunctis poſſibilis. Nullis ergo eſt inuiſibilis Eccleſia, nullis inacceſſa uera religio. Potiſſimùm porrò integra quæſtione commonſtrauimus, ueram religionem debere eſſe ex rebus in mundo manifeſtis, ac euidentibus. Eam ergo etiam ruſticiſſimi agnoſcere poſſunt. Eas deindè ueritatis chriſtianæ probationes exhibuimus, quæ intelligi, quæ agnoſci, ac comprehendi ab indoctis quoque ualeant. Quam ex modo propagationis religionis chriſtianæ conſecimus, non doctis ſolum, ſed omnibus Corinthijs propoſuerat Paulus: & ſic de alijs. Quam ex ſymbolo deprompſimus pro ea religione, quæ catholica eſſet, confirmanda in catechiſmo Pij V. ideò inſertam aiunt, *vt certiſſima regula eſſet, qua vera, & falſa Eccleſia iudicetur*; & de particula *Apoſtolicam* ſubditur; *quare, vt omnes intelligerent, quanam eſſet Eccleſia Catholica, Patres in ſymbolo illud diuinitus addiderunt, Apoſtolicam*; at catechiſmus pro inſtituendo maximè populo compactus eſt decreto Tridentini ſeſſ. 24. cap. 7. Omnibus ergo eſt uiſibilis Eccleſia, omneſque ualent ueram religionem agnoſcere, diſcernere, dijudicare.

Multiplex probatio ex dictis.

Præ-

Digitized by Google

Ecclesia pro omnibus erecta.

Preterea, sicut Christus pro omnibus mortuus est, 583
sic Ecclesia pro omnibus est fundata: ad eam omnes uocati; ideò Apostoli per uniuersum mundum missi sunt, ac iussi prædicare euangelium omni creaturæ; Christus quoque uenit, non ut hunc, uel illum illuminaret, sed omnem hominem uenientem in hunc mũdum, scilicet illum, qui per ipsum factus est. Omnes ergo ad Christum, & ad Ecclesiam uocantur, ut à solis ortu usque ad occasum fiat laudabile nomen eius: quæ, cum sint planè quasi prima Christianæ religionis elementa, probanda actuosiùs non sunt. Possunt ergo omnes Christum, & Ecclesiam agnoscere, cum sit planè impossibile, ut gentilis, & rusticus ad eam Ecclesiam ueniat, quam agnoscere nequit: quæret enim, ad quamnã uocetur, an ad Lutheranam, an ad Caluinianam, an ad Nostram? quas inter si discernere ille nequit, uocari quidem, licet stultè poterit: at moueri, audire, uel obedire non poterit. Quid porrò ineptiùs, quam si omnes uoces homines, si quo quisque uocetur, scire, dignoscere numquam ualet?

Nec alioqui est via populos conuertendi.

Hoc deindè concesso, uia omnis occluditur popu- 584
los ad ueram religionem conuertendi; non enim ui, & armis mouendi sunt, sed *tùm suadela, tùm ratione, tùm mansuetudine*, ut fatur Chrysostom. ad 2. ad Corint. 4. ipsæque temporales etiam pœnæ non directè, & immediatè, sed solùm indirectè, ac mediatè iuuare possunt, & licent modis illis, quos Augustinus exposuit; nec enim ille uerus Christianus est, nec uerè credit, qui ullius pœnæ temporalis metu mouetur, nec metus hic immediatè ad interiorem fidem ualet, sed ad professionem dumtaxat externam, quæ fictum Christianũ præstet, non uerum. Populi ergo ratione, & suadela conuertendi sunt, fueruntque ita pridem conuersi. At si populi, si indocti discernere inter religiones nequeunt, si quam Deus dederit, quam non dederit, dignoscendo non sunt, frustrà apud eos perores: afferas enim argumenta quantacunque; miracula etiam, si placet, adde: nihil sanè profeceris. Dicent enim; quid hæc ad nos? quid ad nos uenis, quorum non est cognoscere, nec iudicare: nos per religionem nostram ipsius in primis ueritatem credimus: de reliquo Doctores adi, quibuscum con-

Digitized by Google

contendas. Vndè nil iure proficere potuissent Apostoli, ac cæteri viri Dei. Quæ denuò expono; nam nihil iure apud eos loquaris, aut ores, quos iure mouere nequeas; at illos nequis iure mouere, qui iudicare non possunt; nec verum inter, & falsum discernere: si ergo populi integri, & indocti omnes nil inter religiones discernere possunt, nil de eo apud eos iure loquaris, vel agas: vndè vbi indocti sunt omnes, vt apud Mahometanos, nihil iure tentabitur: imò, quod turpissimum est, nulla Mahometanis culpa erit, quod audire nolint, cum indocti sint. Vno verbo quod absurdissimũ est, Theologi à Theologis conuerti quidem poterunt: reliqui omnes prætermittendi. Ego itaque nullo iure cõueniar in re militari, vel nautica, quæ nihil ad me. At has religionis causas, volunt quidam, supra captum esse illiteratorum omnium; reliquæ deindè doctrinæ præter Theologiam nihil ad præsens conferunt. Ergo solum Theologis vera religio prædicari potest; quo nihil dictu stolidius.

585 Rursùs Christiani, quibus id est muneris, supponunt, quemcumque non Christianum, Gentilem, vel Hæreticum, sartorem, vel ancillam, ac rusticissimum, quemque à se ritè posse conuerti, ac de nostra veritate instituì. Hunc quippè in finem ad Indos, ad Turcas, ad Anglos abeunt, nec ad solos doctos, quibuscum agant, diriguntur, sed ad omnes. Ergo supponunt, legitimè cum illis hac de causa tractari. Ergo supponunt, eos posse inter suam, ac nostram religionem discernere, atque nostræ veritatem intelligere; si namq; auditis cunctis nihil demùm dijudicaturi sunt, erit prædicatio nostra, sicut probatio Academica nihil unquam promotura, nec profutura; atque inanis, & vacua, insipiensq; vti de ea secta satis, superque differuimus. Quod si nõ Christiani agnoscere veritatem nostram possunt, cum Christiani haud ineptiores existant, quid absurdiùs, quam si Christianorum populos exciperemus? Omnes ergo tam Christiani, quam cæteri docti, & indocti, atque rusticissimi veram religionem agnoscere possunt, omnibusque est visibilis Ecclesia.

Alia probatio.

Item probatur; quia rusticissimi etiam quisq; saluari possunt.

586 Denuò nemo hominum est, qui salutem consequi nequeat, vt apud Orthodoxos est indubitatum, statui-

Digitized by Google

turque facilè ex ſanctis libris; eſſet enim alioqui iam damnatus homo, de quo ſuo loco. Ergo nemo eſt hominum, qui veram religionem, ſi ea caret, inuenire nequeat: ergo nemo, qui eam agnoſcere nequeat, & diſcernere: ſi namque eam haud agnoſcat, offenderit quidem illam, at minimè inuenerit: vt ſi Petrum quæreres, quem dignoſcere minimè poſſis. Quòd porrò, qui ſalutem conſequi poteſt, veram itidem religionem poſſit inuenire, ſi ea caret, ex eo liquet, quod probandum minimè foret, probabitur tamen inferiùs, ſcilicet ſine vera religione, ac fide ſaluari prorsùs neminem. Hìc illud addo, nulla loca ſuppetere expreſſiora, quibus ſalutem magis, quam fidem omnibus, ac ſingulis poſſibilem euincas: quos enim Deus vocat ad Regnum, eoſdem vocat ad Eccleſiam, vultque omnes ſaluos fieri pariter, & ad agnitionem veritatis venire, quem diuinæ prouidentiæ ordinem nobis haud licet inuertere, Sed de hoc mox plura.

Ex abſurdo Infrà deindè aliam quæſtionem tractaturi ſumus, 587
vtrum ſcilicet quælibet ſaltem chriſtiana religio ad ſalutem ſufficiat? Ad quam nos abſurdam quæſtionem ſectarij cogunt eò erroris prolapſi, vt quamlibet dicant ſufficere. Iam ad eam horrent fermè Catholici, quibus perſuaſum eſt, falſum Chriſtianiſmum non magis ſaluare poſſe, quam Mahometiſmum, vel Gentiliſmum. Nunc hìc ego quæſierim, vtrum indoctis ſaltem, ac ſimpliciſſimo populo quælibet Chriſtiana religio ſufficiat? Si dicant: iam maxima ex parte ad errorem ſectariorum delabuntur; cũ, vt notaui, totus fermè mundus quoad has cauſas ſub populo comprehendatur. Ergo nulli falſa vlla religio ſufficit: omnibus ergo eſt vera neceſſaria; ab omnibus ergo eſt illa inuenibilis; ergo ab omnibus diſcernibilis. Hìc illa pertinent, quæ de veræ religionis inuenibilitate diſcuſſa fuere: hùc denuò illa, quæ de veræ religionis euidentia, ac conſpicuitate quæſt. 18. contulimus: atque denique, cum quæſt. ſeq. monſtranda ſit veræ religionis agnoſcendæ etiam obligatio, vndique planè conficitur, neminem eſſe, qui eam, ſi velit, agnoſcere, & aſſequi non valeat. In quo ſi exceptiones fieri incipiant de indoctis, & de populo, nihil tutum ſupereſt, & prophanis, & ſectarijs ineptiendi

Digitized by Google

di fundamentum dabitur.

588 Omnes itaque cuiuscunque religionis cultores affirmatissimè veritatem suam conteſtantur. Vel ergo vltrò, & temerè conteſtantur? & tunc planè mentiuntur, & in re quidem grauissima. Vel fundatè loquuntur? Habent ergo, quibus ad id asseuerandum inducantur. Habent ergo, vel habere se putant, quibus apud se potiùs, quàm apud alios veritatem esse, censeant. Hoc porrò est inter religiones dijudicare. Omnes ergo supponunt, sese hoc in genere valere: nilque aliud nos voluimus.

589 At sunt, qui populum ineptissimum esse velint ad ea omnia, quæ ad salutem pertinent, atque hoc more eum ineptiorem, ac magis alienum efficiunt, cum interea ipsi ex populo famulos, atque artifices cupiant diligentissimos, aptissimosque. Quantum tamen in eo populus valeat, sectariorum nos docet abursus; illi enim plebem habent plerumque ad ipsas etiam de mysterijs fidei cõtrouersias vel instructam, vel deceptam: de Papatu, de Purgatorio, de Eucharistia, de imaginibus sartor, caupo, ancilla, famulus disputat. Ordinem quidem illi inuertunt: nam non hoc ad populum attinet, sed ad Theologos, & Doctores ea forma, & modo, quo copiosè supra expositum est, atque communstratum. De eo populum instruerent, par esset, vndè scilicèt norit, Lutherum à Deo missum? quæ huius electionis signa, quæ argumenta attulerit? idque seorsim à rerum, & scripturarum examine. Hoc ad omnes pertinet, & ad pauca reuocatur: at vices mutant, & populum eius rei ignorantissimum, quam scire oporteret, ijs instruunt, ac onerant, quæ credere solùm iubetur. Enimuerò hic horum abusus nos edocet satis de populorum sufficientia. *Populorum ineptitudo vltrò obtenditur.*

590 Iterùm eam demonstrat satis eorumdem ad humana habilitas. Ex his scilicet ineptissimis inuenias neminem, qui palli j, & domus, & fundi, quem possidet, causas, & iura non norit. Quod si alicui pallium suum non esse, opposueris, scit rationem dare; si litem moueas, Aduocatos quærit; & iura sua, eorumque defensionem percipit. Inuenias præterea neminem, qui artè viuendi aliquam non didicerit, magno multoties la- *Quanta omnium ad humana habilitas.*

Digitized by Google

bore, ſtudio magno, & exercitio: ipſum illud otioſorũ genus hominum artem nouit haud fortè faciliorem ſine arte viuendi; & planè videas hoc in negotio omnes ingenioſos, intentos, induſtrios: alios difficillimarum etiam artium ſcientiſſimos: quilibet de plebe piſcator temporis, ventorum, maris mutationes quoquo modo perfectiùs, vel imperfectiùs prænoſcit: aurigæ, coqui, fabri multa norunt non omninò facilia. Poſſent ergo veritatis iura, fundamenta, & cauſas ijdem agnoſcere, ſi vellent; ſi hanc artem ſuam eſſe iudicarent; niſi quod plerique has facilè curas omittant: quæ non inſufficiẽtia eſt, ſed negligentia. Hæc ipſa rurſùs negligentia, atque alienatio multos reddit ineptiores: ſi aurigas de cibis roges, ſi ſartores de re nautica, eos certè ineptiſſimos repereris: at hæc ineptitudo conſequens eſt, & voluntaria; potuit enim auriga coquus fieri, & artem quoquo modo addiſcere. Mihi credite; omnes eſſemus aptiſſimi, ſi, vt par erat, eſſet noſtra omnium in cœlis conuerſatio. Videmus quotidiè illiteratos, & rudes, ſi ſeſe rebus diuinis impendant, veritatis fidei, magnarũque rerum ſcientiſſimos. Valet ergo ad hæc humanum genus, ſi vellet: quod autem nolit, non neceſſitas, voluntas eſt.

De illis porrò hominibus vel Indis, vel Perſis, vel 591
quibuſque, ad quos nulla vnquam veræ religionis, & euangelij notitia peruenit, dicetur infra, ac ſtatuetur, nemini vnquam veritatis cognitionem negatam, qui dignus fuit: & cui ea defuit, dignus non fuit; quam Auguſtini ſententiam explicabimus, & confirmabimus. Non illud ſequitur, eos ſine vera religione ob ſuam ignorantiam ſaluari poſſe: ſed illud, eos, ſi ſe ritè gerant, ad veritatis cognitionem adducendos, vt dicemus.

Eccleſia nõ eſt omnibus æqualiter viſibilis.

Hinc porrò negare haud poſſumus, Eccleſiã nõ eodẽ 592
modo eſſe cũctis viſibilẽ; idq; multiplici de cauſa; nã, vt voluntarias multas prætereamus, quibus permulti veritatis cognitionem ſibi impediorem reddunt, adeſt primùm inæqualis, diſparque aptitudo naturalis, qua facilius, vel difficiliùs eam, illiuſque fundamenta percipiant; adeſt deindè locorum diſtantia, quæ aliquibus veritatis cognitionem difficillimam efficiat, vt in extrema

Digitized by Google

trema Iaponia, vel Tartaria natis : nullis tamen ea est impossibilis, vt amplius declarabitur. Nec immisericors est ideò Deus, vel auarus, si salutis uiam vnicam tam habeat cognitu difficilē aliquibus; nec enim eam Deus ita inaccessam ijs fecit, sed homines ; quorum hoc circa impedimenta, & scelera remouere, secundum consiliorum suorum sapientiam haud fuerat, vti etiam exponetur; nec enim omnia vno in loco danda sunt, & sufficit vnicuique quæstioni, ac diei malitia sua. Ecclesia ergo multis est visa, & omnibus uisibilis remotiùs, vel proximiùs : facilius, vel difficiliùs: vt salus, & fœlicitas omnibus est possibilis faciliùs, vel difficiliùs; &, quemadmodum Deus glorioſus gratiam suam omnibus quidem concedit, sed tamen diuidit singulis, prout vult, alijs vberiorem, alijs minorem, & omnibus sufficientem ; sic concedit cunctis media ad ueram agnoscendam religionem necessaria ; alijs tamen pientior Deus eam ob oculos, & in conspectu ipso constituit; quibus quidem maiorem gratiam facit ; at cæteris nullam idcircò iniuriam. Sic in ipso etiam naturali rerum ordine aliquibus est victus comporis facilis, alijs, & alijs difficilior, & difficilior. Sic in Regnis quibusque ipsa etiam omnibus præscripta, & communia præmia alijs, quam alijs sunt ex ipsa multoties locorum distantia difficiliora, omni etiam acceptione personarum prætermissa.

593. His iam pro quæstione discussis, abs re non erit, si viderimus, quibus modis alij populorum ineptitudini, ac ignorantiæ succurrere nixi sint. Illos vero prætermittimus nimis exorbitantes, qui multis sine uera religione salutem promittunt, inferius oppugnandos : alij indoctis populis, rationumque fidei, vt putant, ignaris euidentiam quamdam concedunt, quam practicam vocant, quasi sine ratione, sine speculatione vltrò cōceptā, & habitam, eamque non veritatis, sed credibilitatis fidei: eam autem siue credibilitatis, siue ueritatis euidentiam (nam vtriusque ad præsens par est difficultas) pridem ego, cum eamdem defenderem, exponere solitus fui exemplis alijs; nam simplex populus citra rationem ferè, & discursum practice agnoscit, fœdum esse inebriari, turpe mentiri, atque similia; quorum si rationem postules, sciat nullam.

Quibus modis alij populorum ineptitudini & succurrant.

Remouetur.

Ve-

Digitized by Google

Verum re diligentius perpensa, hanc euidentiam practicam ad præsens probare non potui: ad quod duæ inter alias causæ mouerunt me potissimum. Prima, quod hoc pacto falsarum etiam religionum sectatoribus effugium facile concedatur, quò se expediant, nobisque nullo negotio satisfaciant: vt enim supra dictum est, & mox denuo dicetur, de instinctu interno, ad quem sectarij confugiunt, si practica illa euidentia citra rationem, citra fundamentum sufficiat, facile Mahometanus, vel Sectarius quisque respondebit, credibilitatem, vel ueritatem religionis suæ sibi uideri euidentem, atq; ita se practicè iudicare, nec profici poterit. 594

Denuò remouetur.

Altera causa fuit, quòd omne iudicium, assensusq; omnis in quocunque intellectu etiam indocto, etiam barbaro non nisi in vero fundetur; alij quidem intellectus alijs facilius mouentur, & credunt, & iudicant; at nullus nisi uero mouetur, & inducitur. Res porrò aliæ sunt, quas per se notas, vel ex terminis notas nuncupamus, vt totum esse maius sua parte? atque his quilibet assensum vltrò præstat, & sine probatione. Hoc pacto sunt in moralibus quædam quasi prima principia per se nota, quæ probat ionehaud indigeãt, qualia fortè sint, fœdum esse inebriari, turpe mentiri, atque similia, licet & ista prauа multotiès consuetudine, & habitu obscurari soleant. Aliæ sunt res non ita notæ, sed quæ ratione, & probatione appareant: at his nec rustici quidem sine probatione consentire possunt. Huiusmodi autem est vera religio, & illius etiam ueritas, & credibilitas, nõ per se nota, nec ex terminis patens, sed probanda, vt constat. Et certè mirandum esset, si ad id probandum me obligarent, & nuper ostendere debuerim, ueram religionem inuenibilem esse; nunc contrà laborare cogerer ad probandum, eam per se notam non esse: res est manifestior, quam probanda sit. Nemo ergo etiam barbarus, ac rerum omnium rudis sine ratione, sine probatione vltrò iudicare quasi practicè potest, religionis nostræ credibilitatem, vel veritatem euidentem esse: dicere quidem id ore possunt; at intùs mente, & verè ita iudicare est impossibile. De cæteris illis populi maximis de mendacio, de furto, ac similibus dicas, ea esse prima principia actuum humanorum à Deo impressa, 595

Digitized by Google

preſſa, vt alibi explicui: vel nunc dicito, eas, cum in noſtra fide tradantur, ſatis eſſe, ſi populus ſolùm credat, nec vllo pacto ſciat, nec rationem habeat: at veræ religionis, ac fidei alia eſt ratio explicata ſuperiùs, & iteranda denuò; nec enim vera religio, & fides per ſe ipſam ritè defenditur, nec ſine alia probatione aſſenſus illi præſtatur. Impar eſt ergo, ac inſufficiens euidentia illa practica ad præſens, niſi hoc nomine euidentiam imperfectiùs quidem probatam, ſed probatam tamen intelligant.

596 Alij, qui paritèr populorum ſummam eſſe ignorantiam, & ineptitudinem cenſent, occurrunt inſtinctu interno, aut illuminatione interna Dei, quaſi indè ſimplex populus diſcernat, atque percipiat religionis veritatem. Quod vt dicerent, S. Thomas videtur patrocinatus: nam 2.2. q.2.ar.9. arg.3. illud ſibi oppoſuerat, an qui credunt, habeant cauſam ſatis inducentem? Si habent, ſine merito credent. Si non habent, leuiter credent. Reſpondit, credentem habere ſufficiens inductiuum; *inducitur enim* (ait) *authoritate diuinæ doctrinæ miraculis confirmatæ: & quod plus eſt, interiori inſtinctu Dei inuitantis: vndè non leuitèr credit*. Hùc illa etiam pertinent, quæ quæſtione 10. ex Ioanne, ex Auguſtino, & alijs pro inſtinctu interno allegauimus, & expoſuimus. *Aliorum modus.*

597 Verùm hi in primis haud nobis repugnant in hac quæſtione; fatentur enim, indoctos aliqua demum via conſcios reddi veritatis. Sed quoniam celeberrima eſt de inſtinctu interno, etiam orthodoxè explicato controuerſia, libet nonnihil adiungere. Mittimus inſtinctum ſectariorum quæſt. 10. oppugnatum, reuictũque. Iam nemo Catholicorum inſtinctum admittit Eccleſiæ iudicio non expoſitum, ac ſubiectum: de cætero in inſtinctu ſic temperato multi multa fundant, & illo in præſentia ignorantiæ ineptiorum ſubueniunt: at alij vel nomen ipſum horrent, atque cum Suarez inſtinctũ internum ſeminarium cenſent errorum.

598 Mihi planè hac in re multa in comperto ſunt. Primum, ſanctos, ac Dei amiciſſimos viros citra rationẽ, ac probationem magna multoties luce perfundi, qua veritatem religionis, maioraq; alia non tam colligant, quam conſpiciant, & quaſi videant: vt ſcitur. Ipſo deindè *De inſtinctu interno.*

Digitized by Google

indè exercitio fidei acquirunt multi magnum lumen, quo & veritatem eius, & quæ ſecundum eam virtutem ſunt, dignoſcant plùs, vel minùs pro maiori, vel minori incremento habitus: cum namque, vt experientia conſtat, alijs etiam habitibus hoc lumen comparetur, ideoque vir eximiè iuſtus quaſi regula ſit iuſtitiæ, & eximiè probus regula totius probitatis, & id probum ſit, quod viro probo videtur, à fortiori habitus fidei, cum intellectualis ſit, id luminis contulerit, ſi perficiatur vſu, & exercitio. Denique, vt credamus, interna Dei gratia opus eſſe, in comperto eſt inter Catholicos. At, an omnes intùs percipiant, & experiantur, ſe non à carne, non à Dæmone, non errore, ſed à Deo duci, quæſtio eſt. In qua cenſeo, nihil tale diſcerni cõmuniter nec à doctis, ac minùs multò ab indoctis: quod credo, ex quæſt. illa 10. ſatis liquidò colligitur. Excelſum illud ingenium Perez acutè certè in aduersũ hic laborauerat: breuitati tamen dandum, vt his omiſſis properemus. Porrò D. Thomas non excludit rationes, & probationes, vt in ipſo etiam adducto documẽto conſpicitur; vult tamen, nos inſtinctu interno, ac interna gratia illuminari, vt probationum, ac rationum vim ritè percipiamus: ſcilicet, vt Auguſtini eſt ſententia, & quiſque noſtrum expertus videtur, eadem res, eadem ratio alium mouet, alium non mouet: memet ipſum iam mouet, iam non mouet: nunc vix aliud quã ſonum verborum haurio; nunc vim capio, rationem penetro, & moueor, vbi ſcilicet dat Deus miſericors aures audiendi, vbi oculos noſtros aperit, & illuminat; de quo quæſt. præcedenti dictum eſt, quibus planè diuinis muneribus ſacer textus exundat. De communi itaque, & ordinaria lege tam docti, quam indocti nonniſi fundamentis, ac rationibus externis veram religionem agnoſcere poſſunt; at non excluſo, ſed incluſo, ac requiſito interno lumine; quod tamen, vt dictum eſt, quoad ſufficientiam nulli non conceditur.

Ratio neceſſaria ad fidẽ

QVÆ-

Digitized by Google

QVAEST. XXXIV.

Vtrum non ſolùm poſſint, ſed etiam teneantur omnes homines etiam indocti veræ religionis conſcij eſſe?

599 NON illud inquirimus, an omnes per ipſam ſuam vel religionem, vel fidem illius ſimul veritatem inter cætera credant, vel credere obligentur? Hoc namque nulla non dicit, vel affectat religio, nullique iactantiùs veritatem ſuam affirmant, quam qui maximè ſiue fallunt, ſiue falluntur. Ad hoc vltrò in re grauiſſima dicendum mendacium omnes nimium inſtituti, ac prompti ſunt; multos videas in rebus quidem alijs circumſpectos, veraces, qui, quæ ignorant, vltro, citroque affirmare non auſint, cum norint probè ſeſe mentiri, ſi ea etiam affirment, quæ ignorant prorsùs: quibus interea ipſis religio eſſe videtur cauſa religionis dictum mendacium. Hoc genus quidquam de licitis pro religione mendacijs pridem commenti ſunt Priſcillianiſtæ, quos euicit magnis rationibus Auguſt. lib. vno de mendacio, & altero contra mendacium ad Conſentium. *Quid quæratur?*

600 Cum itaque omnes, & hæretici, & Iudæi, & Pagani, & Chriſtiani noſtram ſinguli religionem veram per religionem ipſam habeamus, videndum eſt, an hoc ſufficiat, an neceſſe ſit, ſciat aliundè quiſque eam veram, quam colit; eam falſam, quam blaſphemat? Quæ quidem quæſtio pridem proponenda videbatur; cum primùm enim exploratum fuerat, veram religionem in mundo dari, eamque in genere eſſe inuenibilem, ſubiungendum continentèr videbatur, an eam omnes etiã indocti agnoſcere poſſent? an rursùs non ſolùm poſſẽt, ſed etiam tenerentur? Viſum eſt tamen, hunc ſcientiæ ordinem commutare, vt magis oſtenſiuè & vtiliùs pro-

Digitized by Google

cederemus, præmissa primùm expedita, breuique forma veræ religionis agnoscendæ; productis deindè, atq; expensis modis, ac medijs permultis, & facilibus, quibus vera inter omnes palàm eminere videretur, vt indè esset persuasu facilior nunc addenda obligatio.

Hoc circa superiùs Gentium, & Mahometanorũ 601
extremos errores eiecimus, aliorum omnia scire, aliorum nihil scire, sed omnia ignorare profitentium, quorum alterum irrationale prorsùs, alterum superbum est nimiùm: quæ cuncta exposita sunt. Nunc tamen denuò Mahometanorum idem error explicatiùs proponendus, discutiendus, repellendusque venit. Ergo aiũt, indoctis omnibus, ideò, suis omnibus satis esse, si religionis suæ veritatem per ipsam religionem suã teneant, nec opus esse, quòd eam nouerint aliundè. Ex quo, vbi veritatem suam affirmant, sensum esse dicent, sese id ita per ipsam religionem tenere: vndè affirmatio, vtpotè ipsorum conformis fidei, mendax, vel temeraria esse desinit, cum vnicuique ea liceat affirmare, quæ credit.

Fundamenta negandi.

Occurrunt porrò multa, quibus hic error fulciri 602
videtur. Primò hic denuò populorum proferet ineptitudinem, de qua quæst. præc. dictum est. Obligationem rursùs istam dicent grauissimam; misericordiosiorem verò Deum, quam qui tam difficilia præcipiat. Præterea ignorantiam istam esse commodam, pernitilemque ipsi veræ religioni conseruandæ, cum nemo quidquam sciat, quod opponat: sic illius etiam vnitatem conseruandam melius, cum diuisiones semper ex abusu doctrinæ, atque disputationibus ortæ sint: vtrumque porrò palàm constare religione christiana, ac Mahometana consideratis; nam in nostra infinitæ diuisiones, & hæreses obuenerunt; in Mahometana porrò rariores: ex quo rursùs hic modus bono etiam statu, pacique Regnorum erit vtilior. Et certè is modus videtur veræ religioni congruere, qui ad eam, illiusque vnitatem conseruandam erit efficacior: at ignoran-

Digitized by Google

rantia prædicta est in eos fines efficacior. Nec aliud videtur Apostolus tradere 2. ad Corinth. 1. *Perdam sapientiam sapientium, & prudentiam prudentium reprobabo. Vbi sapiens? Vbi scriba? Vbi Conquisitor huius mundi? Nam quia in Dei sapientia non cognouit mundus per sapientiam Deum, placuit Deo per stultitiam prædicationis saluos facere credentes.* Stulta autem prædicatio esse videtur prædicatio nihil probans, sed simplicissimè narrans, ac proponens; cui proindè correspondeat simplicissima fides, ac omnis rationis expers: ergo per hanc fidem saluat nos Deus; & certè, vt homines confunderet, eorumque retunderet superbiam, voluisse videtur cum ijs sese gerere non tanquam cum hominibus, sed eos omni vsu rationis priuare, dum eorum ineptæ sapientiæ stultitiam opposuit prædicationis. Ergo credendum est simpliciter, nec quærendum, nec sciendum aliud.

603 Præterea indocti saltē populi tenentur eam religionē conseruare, in qua nati sunt: at illa multoties est falsa; ergo non tenentur conscij esse veritatis. Cum verò aliundè nemo præ alijs doctus, vel Theologus fieri teneatur, nemo rursus Theologorum præ alijs causas istas religionis indagare, fiet demùm, posse omnes ita esse hac in re ignorantes, vti sunt, ac esse profitentur Mahometani. Denique, vt multa nunc alia præteream, Christianos cum Mahometanis conferamus: ecce in ignobili pago, in quo nullus sit doctus, nascitur quis, atque baptismo primum, mox professione Christianus efficitur: is quidem à Parentibus, aut alijs, sed ignorantissimis audit multotiès religionem nostram veram, & salutis viam vnicam. Iam Mahometanus quærat, an id sufficiat, vel secùs? Si neges, fiet, pleroſque Christianorum non esse veræ religionis ritè gnaros, nec obligationi suæ facere satis. Si porrò id sufficiat, cum nemo sit Mahometanorum, qui similiter à suis non audierit religionem suam veram, fiet, eos obligationi suæ facere satis, esseque pro modo suo conscios satis veritatis: ac demùm licere morem suum de religione per ignorantiam conseruanda. Quòd si alias nostras, alias cæterorum leges constituas, eosque iubeas scientiores esse, te planè derideant. Quæ certè si dignè expedientur, magnum operæ prætium erit.

Digitized by Google

Assertio affirmans.

Authoritas Theologorũ.

DIcendum est itaque, omnes homines etiam indoctos teneri conscios esse ueræ religionis. Hanc plus, minusue sentẽiam orthodoxi Theologi Capreolo, aut simili alio excepto reliqui, quos sciam, omnes tuentur. Nam docent, ad credendum necessariam esse applicationem fidei, aut obiecti eius; quam applicationem fieri censent per euidentem credibilitatem: euidentem uerò credibilitatem, uti supra exposuimus, tantam ponunt, quæ põdere suo cæteras sectas omnes reddat incredibiles. Hanc nos diximus euidentem etiam ueritatem esse: cum namque euidens sit, Deo curam esse ueræ religionis promouendæ, quis hæc duo connectat, hæc sola religio est euidentèr credibilis; hæ omnes aliæ euidentèr incredibiles; & tamen fortè non illa, sed aliqua reliquarum uera est? Sed de his satis multa superiùs: nunc saltem euidentis credibilitatis scientia, & conscientia etiam pro indoctis, & quibusque ritè credituris ex communi omnium sentẽtia postulatur. Quod si ego scientiam, & conscientiam ueritatis pro ijsdem etiam indoctis, ac rusticis adiecero, nihil uel laboris, uel absurdi uideor inducere: ex quo quippè indocti, ac rustici scientiam, & conscientiam euidentis credibilitatis comparabunt, indidem eodem negotio partam habent agnitionem ueritatis. 604

Authoritas Ecclesiæ, & scripturarũ.

Fundamenta porrò, quibus ducamur, sunt satis multa, eaque grauissima. Et primùm quidem quasi ab authoritate ordiamur sic. Non solùm docti, sed etiam indocti, ac rustici, uiri, & fœminæ, & famuli possunt esse hæretici, & excommunicantur, arcenturque ab Ecclesia: Hi ergo omnes possunt esse pertinaces: hi ergo omnes possunt, & debent ueram Ecclesiam agnoscere: sin minùs, nulla est pertinacia; nec enim pertinax ego sim in ijs, quæ agnoscere nec possum, nec teneor. Hi rursùs omnes sunt pœnæ capaces: ergo etiam culpæ: hi omnes puniuntur: ergo hi omnes peccant: ergo hi etiam omnes tenentur ueram Ecclesiam, ueram religionem agnoscere. Sin minùs dicant: quid nos puniatis, 605

Digitized by Google

tis, quorum non est hæc nosse, quorum nulla hic obligatio? Item Christus haud doctos solùm Iudæos, sed omnes docet excusatione destitutos; quia coram omnibus veritatem suam euicit, demonstrauitque signis, & operibus. Item Deus non per doctrinam, & sapientiam, quæ populis forent inaccessæ, sed per simplicem prædicationem miraculis, quæ indoctis quoque obuia essent, confirmatam voluit mundum ad veram religionem conuertere, & in ea conseruare: ergo horum cognitio ad omnes pertinet, & omnes obligantur. Nec Paulus doctos solùm Galatas à Christo putat excisos, quia necessitatem legis addebant, sed omnes, & ad omnes scribit, omnesque instituit: nec sapientes solùm Corinthios, sed vniuersos increpat resurrectionem negantes, omnibusque veritatem nostram probat ex modo ipso propagationis Euangelij: ad Ephesios similiter omnes loquitur, & iubet, vt iam non sunt *paruuli fluctuantes, & circumferantur omni vento doctrinæ*: qui porrò veritatis suæ conscij non sunt, & benè persuasi, fluctuant facilè, ac circumferuntur omni vento doctrinæ. Ad omnes identidem Galatas scribit; cum anathematizat siue Angelos de cœlo, siue ipsos etiam Apostolos, qui euangelij doctrinam alterarent, illisque credere prohibet: adeò illos veritatis persuasos, conscioſque esse iussit. *Sed forsitan Galatis ista præcepta sunt?* inquit Lirinensis c. 13. *Ergo & illa solis Galatis imperata sunt, quæ in eiusdem epistolæ sequentibus capitibus commemorantur; qualia sunt hæc: si viuimus spiritu, & spiritu ambulemus; non efficiamus inanis gloriæ cupidi, inuicem prouocantes, inuicem inuidentes, & reliqua. Quod si absurdum est, & omnibus ex æquo imperata sunt, restat, vt sicut hæc morum mandata, ita etiam illa, quæ de fide cauta sunt, omnes pari modo comprehendant.* Petrus quoque Apostolus ep. 1. c. 13. *omnes iubet esse paratos semper ad satisfactionē omni poscenti vos rationem de ea, quæ in vobis est, spe*, ideſt, cur non temerè, sed prudentèr futura bona speremus. Ideò, vt quæst. sup. notauimus, Sancti Patres apud populum Christianam veritatem contra aduersarios quosque ostendebant. Idcircò etiam ea de re eruditur populi in catechismo Pij V.

606 Nimirùm mysteria ipsa credenda fidei non doctis *Cōfirmatio.*
solum,

Digitized by Google

ſolum, ſed rudibus etiam, ac ſimplici plebi proponuntur, diſtinguuntur, explicantur: licet enim ad plura explicitè credenda docti obligentur, quæ plebem latent; & ipſa quoque illa, quæ omnibus proponuntur, alio pacto à Doctis, alio a plebe capiantur: ſunt interea cunctis perfectiùs, vel imperfectiùs agnoſcenda principaliora, vt Trinitas, & Incarnatio, &c. nec ſufficit fides ſola diſtinctior, & explicita Doctorum. Hunc ergo in modum non ſatis eſt, ſi Docti ſolùm rationem ſciant fidei, ſed omnes modo ſuo perfectiùs, vel imperfectiùs eam habere tenentur. Quod alijs nunc medijs probandum eſt.

Aliæ probationes.

Hùc in primis conferunt ex quæſt. 1 §. permulta. 607
Ibi enim oſtendimus, veram religionem eſſe ex rebus in mundo conſpicuis, euidentibuſque. Id porrò inter alia perſuaſimus ex ea veræ religionis proprietate, quod ſit, ac ab omnibus iudicetur res obligatoria, & vitæ etiam ipſi præhabenda: quam obligationem ſubſiſtere haud poſſe, diximus, niſi ipſius veritas citra omnem opinionem conſtaret. Hinc iam, cum indocti quoque religionem ſub eadem obligatione colant, fit, indoctos etiam veritatis illius debere eſſe conſcios, certoſq; Ibidem porrò remouimus obligationem ab ipſamet religione exortam; atque oſtendimus, fieri non poſſe, quod obligatio ad religionem, vel fidem ab ipſamet vel religione, vel fide primitùs ſubnaſcatur, ſed aliam priorem quærendam obligationis originem. Cum ergo nemo prorsùs vllam religionem colat ritè, niſi ad eam colendam obligatus, nemo etiam indoctus obligationē non habet aliundè, quam ab ipſa religione, natam primitùs; quæ planè origo obligationis aliud non eſt, quā perſuaſio veritatis eius. Innatam prætereà illam, & quaſi inſenſatam exiſtimationem, quam practicā compellant, quæſt. præc. manifeſtis, credo, rationibus explosimus; quod ſi nihilominùs illa ſubſiſtere poteſt, licet per me quoad præſens.

Explicatio, & confirmatio.

Exponamus magis, & confirmemus. Quicumque 608
Chriſtianus putat ſeſe obligatum ad religionem Chriſtianam præ Mahometana; & quicumque Mahometanus vice verſa, nullo excepto nec ruſtico, nec barbaro: atque prorsùs implicat, eum eſſe ritè, ac verè Chriſtianum,

Digitized by Google

mum, qui propositâ vtraque religione ad vnam præ alia non se iudicat obligatum, vt patet: imò ideò Christianus quis vult esse, ac permanere; non autem Mahometanus; quia ad illud tenetur, nec vltrò arrepta religio est religio, sed professio: quæ omnia sunt indubitata. Habet ergo quilibet speciale aliquid, quo ad eam obligationem iudicandam inducatur; vt quippe demùm quæst. super. est expositum, nequit intellectus vltrò, ac nullo mouente vero induci in assensum. Quinimò patet, vnumquemque obligationem suam in veritate religionis fundare, ac ideò Christianum se ad suam religionem obligatum iudicare, & dicere; quia eam censet veram; Mahometanum identidem contrariam obligationem adstruere in contraria veritate. Hinc porrò confertur, vel eos mentiri, vel rationem habere aliquam, qua sibi eam obligationem persuadeant. Nam si omni ratione carent, nequeunt se obligatos iudicare; idque mentiuntur, dum obligationem affirmant; quod si non mentiantur, superest, vt rationem aliquam habeant, qua eam obligationem sibi persuaserint. Quicumque ergo verè religionem colit aliquam, ratione habet, qua eam sibi veram esse persuadeat. At falsam pro vera reputare, & errare non sufficit, nec saluat quemquam, vt demonstrabitur. Ergo omnes tenentur veræ religionis conscij esse. Qualis porrò, & quanta hæc scientia, vel ratio esse debeat, protinùs exponetur.

609 Hac de causa superiùs dictum est, Mahometanos nihil intùs, & corde credere: quia ex ipsa sua professione omnem rationem, ac probationem prohibent, vt eo loci fuit commonstratum, explicatumque vulgari exemplo parium, vel imparium stellarum, quorum neutri parti quis ex animo consentire potest, quia omni ratione destituti sumus, quæ ibi explicata hanc in causam iuuabunt. Impossibilis est ergo assensus obligationis huius (quam ex terminis, ac per se notam haud esse supponimus; atque etiam probauimus supra) sine ratione, sine probatione. At omnes nullo excepto ad veram religionem habendam obligantur, nec eam habere possunt nisi præhabita, ac præcognita obligatione eius; nec præcognoscere obligationem veritate non præcognita. Omnes ergo nullo excepto tenentur veram religionem agnoscere.

Mahometanorum nulla fides.

Hinc

Digitized by Google

Multi secta rij nil corde credunt.

Hinc porrò conſpicitur, eos miſeros Sectarios, quibus moris eſt, non aliam, quam Principis religionem colere; hodie vnam, cras alteram, vt contingit mutare Principes, uel etiam ipſi mutantur, nihil verè credere. Confunditur facilè profeſsio, confeſsioque externa cũ interna; cum tamen ex Paulo corde creditur ad iuſtitiam; & exterior confeſsio ſine interna fictio ſit, non religio, vt patet. Vel enim de nullius præ alia ueritate perſuaſi ſunt? & tunc nihil credũt, vt innotuit; uel eam quam hodie quiſque tenet, putat ueram? & tunc fieri nequit, vt cras, quia Principi aliud libuit, uel loco eius alius eſt ſuffectus Princeps, mihi aliud uideatur. Quiſquis deindè eo pacto eſt diſpoſitus, nullam præ alia cẽſet ueram; & ſic nullam credit; & profeſsiones mutant quidem, ſed minimè religiones. Nec hanc in impietatem opus eſt pluribus. Quòd autem interea Sectarijs uideatur, ſe credere: nihil probat; fallimur enim facile in rebus etiam noſtris, ac apprehenſiones, & iudicia cõfundimus: ſicut Academicis uidebatur ſe nihil iudicare, cum iudicarent tamen, ſuntque obuia, & multa confuſionis ſimilis exempla. 610

Denuò aſſertio poſita probatur argumẽto quæſt. præc. confecto. Scilicet oſtendimus, indoctos etiam poſſe ueram religionem agnoſcere; ſin minus modum non ſuppetere, quo populos ad eam illius prædicatores conuertant. Illa uerò, ſi conſiderentur attentiùs, non potentiam ſolùm, ſed obligationem quoque euincunt. Si namque populus non in ſe, ſed in Doctoribus rationem ſuæ fidei dare tenetur, non in ſe; ſed in Doctoribus conueniendus erit: ibi enim quiſque debet conueniri, ubi poteſt, ac debet rationem dare: ibi rursùs quiſque legitime conuincitur, ubi tenetur ſe defendere. At ſi populus non tenetur ueram religionem agnoſcere, idque Doctoribus eſt reſeruatum, ille non in ſe, ſed in Doctoribus tenetur rationem dare, ac ſe defendere: unde ex quacumque propoſitione ſibi facta ad Doctores ſe remittit, & appellat. Ergo nequit legitimè conuinci, nec de uera religione perſuaderi: ergo neque cõuerti. Quod tamen abſurdiſſimum eſt, & contra quã ſumpto ab Apoſtolis exordio præſtare ſolita fuit perpetuò ſancta Mater Eccleſia. 611

Dicas

Digitized by Google

612 Dicas, populos falſæ religionis teneri veræ prædicationem, & propoſitionem audire, deque illa inſtitui, at ſecus populos veræ religionis: hoſque proindè haud debere conſcios eſſe veritatis: idque moris eſſe in Eccleſia; in qua propoſitis contra fidem difficultatibus ſimplex populus Chriſtianus ad Doctores appellare edocetur. *Difficultas emergens.*

613 Sedenim in contrarium nobis obiecerint, idem legis obſeruandum de reliquis etiam populis; quo facto, via ſuperſit nulla ad indoctum hæreticum, vel Mahometanum conuertendum. Ecce enim Caluiniſtæ falſitatem ſuam palam demonſtro: tamen negat, ſe idcircò conuertendum, & ad Miniſtros ſuos me remittit; & dicit, tantumdem apud nos fieri, indoctos ab his rebus excuſari, & ad Doctores remitti cauſam totam Caſus hic non ſemèl accidit, ſatis planè impeditus. Quod ſi replicem, noſtram religionem veram eſſe. De hoc reſpondet litem eſſe; de eo conſcium ſe eſſe non oportere; quodque ipſum conuincam, perindè fore, atque ſi in Mathematica conuincerem quemcumq; de plebe agricolam. Vt nimirùm earum rerum neſcientia, quæ noſtræ non ſunt, neſcientia quidem eſt, at neutiquam ignorantia; ita quiſque in rebus non ſuis nec conuictus, nec non conuictus habetur. Mallem, fateor, Duces, ac Magiſtros hoc in puncto habuiſſe; proponam tamen, quæ occurrerent, Doctiorum iudicio.

614 Duo tacta ſunt, quæ diſtinguenda veniunt. Alterum, an populus veræ etiam religionis conſcius veritatis eſſe debeat? & hoc iam aſſeruimus, ac probauimus. Alterum, an ille aliarum religionum prædicatores audire teneatur. Et hoc negandum eſt. Imò ideò eos audire non tenetur, quia veritatis ſatis gnarus exiſtit; nam *quærendum eſt, donec inuenias; & credendum, vbi inueneris; & nihil amplius, niſi cuſtodiendum, quod inueneris, dum hoc inſuper credis, aliud non eſſe credendū, ideoque nec requirendum*, differebat acutè Tertullianus. Cū namque, vt idem diſputat Doctor, tria ſint diſtinguenda, quid ſcilicet ſit quærendum, & agnoſcendum? & quando? & quouſque? conſtet uerò, id, quod erat quærendum, eſſe ueram religionem, & quando, & quouſque inuenta non eſſet, patet, eos ſiue populos, ſiue *Reſponſio.*

Digitized by Google

doctos, qui eam iam inuenerunt, & agnouerunt, haud teneri, neque posse aliud vltra quærere, nec eum in finē audire. At singuli, inquis, putant, à se inuentam vèram; nam falsam pro vera habent: imò ideò, ut Augustinus l. 2. contra Academicos ait, veram aliam haud putant quærendam. Cæterùm num. 115. ex definitione Zenonis statuimus, veritatem ita esse cognoscendam, *ex eo, vnde est, vt esse non possit, vndè non est*. Ea ergo media orthodoxis populis adsunt ad suam veritatem agnoscendam, vt certi de illa esse possint, nec vltra quærere debeant, aut possint; quia à falso ea esse nequeunt; veritatis autem cognitio errorum omnium regula est, vtque Augustinus epist. 6. scitè notat, *omnia falsa, si modò proferantur, etiam quæ priùs inaudita erant, & iudicare, & subuertere idonea est*. Hæc ergo veritatis perceptione cum populi quique orthodoxè ritè instituti gaudeant, cæteri verò careant, dispar est eorum, & reliquorum ratio, & obligatio. Nec ideò Christiani aliud quærere, vel audire deobligantur; quia in fua religione nati sunt, sed quia suam veram satis norunt.

A Christianis quasi reeligitur religio sua.

Iure propterea Augustinus, alia licet priùs vsus 615
æthymologia, demum lib. 1. Retract. c 13. religionem ab eligendo dictam voluit; quia non casu, aut temerè, sed electione est accipienda, & conseruanda. Christiani quidem quasi Patrum, vel Maiorum magis electione, quam sua eam in baptismo profitentur; at deinceps, cum compotes rationis, & electionis fiunt, eamdem ipsi quoque conseruandam reeligunt. Porrò notum est, tritumque ex Ethicis, omnem prudentem electionem consilio, & deliberatione, ac eligendorum cōsideratione capessendam: ex quo denuò doctrina nostra stabilitur. Illud quidem discriminis inter electionem, & reelectionem concedendum videtur, quod electio consultatione opus habeat dubio animo, & ad meliora eligēdo dispositō instituta, vt demùm ex præiudicatis illa fiat: at ad reeligendum, maximè verò ad religionem similis consultatio admitti nequit, & sola cōsideratio fundamentorum, animo nihil interea dubitāte, inita postulatur: procedit enim ex ipsa religionis iam habitæ suppositione, per quam iam ipsius quis veritatem credit; indeque supponit, nihil contra eius

veri-

Digitized by Google

veritatem inueniendum: nihil tamen prohibet, si intentionem quasi conditionalem habeas, sub conditione apud te nunc impossibili, de alia præferenda religione, si aliam à Deo datam fuisse inuenires: quod à se dictũ lib. de vera religione cap. 24. exposuit demùm Augustinus lib. 1. Retract. cap. 13. & hoc sensu quotidie in scholis quærimus, sitne Deus, sitne Trinitas, &c. Quinimò ipsa vera religio ad similem animi dispositionem icogit; nam ipsa tenetur, quia Dei est; adeoque non ipsa, sed alia teneretur, si non ipsa, sed alia Dei esset.

616 Verum largiamur, alios etiam siue doctos, siue populos falsas suas religiones tam certò, tamque firmiter putare veras, atque nos nostram ueram arbitramur; concedamus etiam, eos haud minus diligentes in huius rei consideratione extitisse: imò demus, multos orthodoxos magis esse negligentes, & ignorantes. Verùm his quoque concessis cunctis, nostri aliud quærere nec tenentur, nec possunt; cæteri & possunt, & tenentur: nostri saluari possunt; cæteri, si ad nos non ueniãt, condemnantur.

617 Quæ vt exponam, duplex est hoc circa obligatio hominum: vna veram religionem re ipsa habendi; altera illius veritatem satis notam habendi iuxta dicta: ex quibus duabus rebus altera, scilicet vera religio est necessaria ad salutem necessitate, vt vocant, medij, ideſt, qua re ipsa non habita, saluari quis omninò nequeat; videbimus verò infra, an illius detur ignorantia inuincibilis, & inculpata; at alia, scilicet agnitio veritatis religionis non est in se necessaria necessitate medij, sed solùm præcepti, & solum in eo gradu est primo modo quasi mediatè necessaria, sine quo vera religio nequeat prorsus haberi; nam aliquam siue practicam, siue aliam, siue veritatis, siue credibilitatis in aliquo demùm gradu requiri, nec sine illo, quidquid adsit externa confessio, internam dari, est in confesso apud omnes, vt vidimus. Ex quo fit, vt nec inter nos saluari quis possit, etsi externè catholicus sit, sine vlla prorsùs cognitione veritatis, quia is corde non credit. Fit verò, eum saluari, si sufficientiam meram illius cognitionis assecutus sit, qua scilicet iam valeat verè credere,

Duplex circa veram religionem obligatio.

Digitized by Google

etsi interea negligens fuerit,& hæretico etiam,& pagano negligentior: si quid nãq; in eo peccauit, inter reliquas ignorãtiæ culpas vel pœnitẽtia,vel cõtritione veniam consequitur. Imò fit similitèr,si catholicus errore etiam aliquo, vt falso miraculo,ad credendum inductus fuisset,tamẽ eũ saluãdũ; nec nouũ est,ex falso verũ sequi, licet ex vero falsum consequatur nũquam ex regulis Dialecticæ. At contrà hæreticus, vel paganus quamquam diligentior, damnatur tamen; quia caret re præcisè requisita, & necessitate medij necessaria,vera quippè religione, & fide; sine qua vt supponimus,& probabimus, saluatur prorsùs nemo.

Ex his ergo, cum sit obligatio naturalis,& diuina 618
veram religionem habendi re ipsa, vrget re ipsa hæc obligatio omnes illos, qui ea carent; ac proindè tenentur re ipsa eam quærere, & inuenire; ergo & illius nuncios suscipere, atque auscultare: vnde re ipsa omnes contrariæ leges siue Principum, siue Tyrannorum sunt iniustæ, & illicitæ. At inquis, errore eos suo,cum veritatem se consecutos putent, deobligari ab ea obligatione, nec peccare in ijs condendis legibus, veritatisq; Prædicatoribus non suscipiendis modò, sed etiam mulctandis. Sed verò in primis ostendetur infra,errorem illum esse saltem in causa voluntarium, & culpabilem: vndè non excusat. Deindè, quòd exemplo professorum veræ religionis velint sese cæteri à quærendo, vel audiendo excusare, aliud planè non est,quam si ægrotus se sanum diceret, & exemplo eorum, qui valent, refugeret medicinam; vbi ergo pœnis, aut vi vti vacat, his fidei auditum facere licet: etsi præferenda sint semper blandimenta: vt ægrotus ille vi etiam ad curationẽ cogitur; eo licet discrimine, quod sanitas restitui possit etiam inuito; fides ipsa imminitti inuito non possit. At si nec vi, nec pœnis est locus, & hæreticus, vel paganus pergat esse pertinax, se sanum iactet, nostrorum exemplo insistat, nec audire velit, mihi aliud,in quo hoc genus dœmoniorum eijciatur,fateor,non occurrit, nisi in oratione, & ieiunio.

Tenẽtur audire falsarũ religionum sectatores.

Illud solùm addiderim,quod falsarum religionum 619
sectarijs demonstrare valeas, quo fortè vel timeant,vel deliberent, nimirùm inter omnes religiones solam vnã

exi-

Digitized by Google

existere veram, à Deo datam, eique acceptam, vt patet. Ex quo consequitur, aliquos in mundo esse à quærendo, & audiendo deobligatos, eos quippè, qui eam colunt, quandoquidem obligatio tota quærendi, & audiendi illius habendæ causa exiſlit; contra porrò reliquos omnes, licet eorum se more tutari velint, tamen re ipsa falli, ac proindè re ipsa esse obligatos, & perituros, nisi sapiant: cum vero totidem sint in mundo religiones, pœnè infinitos eo ignorantiæ, vel erroris malo desipere, ex quo quis meritò timeat, nisi rationes, & fundamenta sortiatur non cum reliquis communia, sed diuersissima, & planè insignia, vt tot inter deceptos se deceptũ putet. At si hæreticus, vel paganus secum saltẽ rem tacitus considerare incipiat, videat palam Mahometanus, necesse est, se eminentibus ita causis destitutũ; videbit Caluinista, nihil præclarum sibi adesse, quo Caluinum præ Luthero cælitùs datum sibi persuadeat: nihil omnibus, quo insigniter veritatem suam statuant.

620 Rursùs & illud est ab illis quærendum, an legitimis medijs de veritate sint persuasi, non scilicet per examen rerum, vel mysteriorum, ac articulorum: & quandoquidem exemplo nostrorum insistunt, hoc protestamur, nostros homines non hac via, quæ illegitima, & impossibilis est, vt commonstrauimus, sed alia recta, & legitima esse veritatis suæ conscios: at nemo hæreticorum hoc in genere quidquam habet, sed ad Papatũ, vel Purgatorium, vel Eucharistiam cuncti inuolant. Ex quo illis, si hoc saltem audire volent, id proponimus. Necesse est, aliquos à quærendo, & audiendo esse excusatos: cæteros, eorum se licet exemplo tueantur, non esse excusatos. Iam singuli, nosmet excusatos volumus, & non reliquos. Verùm illi excusati censendi sunt, qui legitima via veritatem quæsiere; nam is præsumendus est Romam peruenisse præ cæteris, qui solus recta via profectus fuit. Hæreticum ergo, vel alium quemcumque rogo, an per examen rerum, vel religiouum, doctrinarum, mysteriorum, articulorum veritatem quæsierit? Affirmet, necesse est. Tunc protestor, hanc haud esse viam rectam, sed potiùs contrariam, quæ ad falsa ducit; indè infero, eum nihil hactenus veritatem

A quærendo non excusãtur, qui malè quæsierũt.

quæ-

Digitized by Google

quæsijsse; nam eam contraria via quærere non est quærere, sed ab ea potiùs magis aufugere; vndè magis tenetur, quam si hactenus nihil quæsijsset, sed dormijsset: at nostros ideò dico præsumendos potiùs excusatos, & veritatis conscios, quia constat, eos via legitima de sua veritate factos certiores: quorum proindè exemplum nihil ipsis fauet: vndè nostri in difficultatibus potiùs contra mysteria propositis, quorum defensio, non ad ipsos, sed ad Theologos pertinet, ad Doctores appellare consuescunt.

Exemplo rem hanc totam exponamus; ecce ægro- 621
tamus eodem morbo duo: vtrique insignis Medicus potionem salutarem præscribit: ego eam hausi, & conualui; alter loco potionis venam scidit, quo deteriùs habet, nec vult vltrà curari, & allegat, me quoque curari nolle; se porrò nihil indiligentiorem extitisse, imò plùs remedij adhibuisse. At quis non videat insaniam cum potionem iussus sumere, uenam potiùs stultè scinderit, meque alleget, qui licet non maiora, iussa tamen præstiti. Haud planè aliud est, quo tantopere hoc in negotio impedimur, in quo cum non de partibus quantitatis litigetur, nulla mihi prolixitas uitio tribuenda uisa est.

Vlterior doctrinæ probatio.

ET primùm ad assertionem principalem denuò, ac 622
postremò comprobandam redeat sermo S. Thom. 1. 2. quæst. 64. ar. 4. illud ponit discriminis inter uirtutes theologicas, fidem, spem, & charitatem, atque cæteras, quas morales nuncupamus, quod reliquæ in medio consistant; minimè uerò theologicæ, in quibus scilicet nullus est locus excessui, cum Deo nec nimium credi queat, nec nimium in ipso sperari, nec nimium ipse amari. Scotus illis quoque medium assignandum censuit; at à Caietano reprehenditur, ac repellitur. Verùmque tamen mihi displicet, Caietanus quidem, quia uerum est medium à Scoto assignatum; Scotus uerò, quia illud à S. Thoma haud fuerat negatum. Vera ergo, ac S. Doctoris sententia est, cæteras uirtutes ex parte ipsa obie-

Digitized by Google

obiecti medium postulare, ac esse constitutas in medio; sectis Theologicas: at ex parte subiecti omnibus excessus, & defectus potest irrepere; cum tamen uirtutes ex obiectis specificentur, ideò simpliciter pronuntiandum est, uirtutes theologicas non esse sitas in medio; ut ea de causa fidem scientia certiorem dicimus, licet ex parte subiecti possit esse incertior. Eum in credēdo excessum ex parte subiecti haud diffitetur S. Thomas, qui, ut omittam alia, quæst. præc. dicebat, cum leuiter Deo creditum, qui absque sufficienti inductiuo crederet, Hoc sensu Elias Cretensis ad oration. 19. Nazian. *fides* (inquit) *excessus non est, sed mediocritas inter excessum, & defectum; quorum alterum Gentilismum, alterum Iudaismum vocamus:* nam Gentiles Dei dicta, demonstrare uolebant, qui proteruiæ excessus, ac fidei defectus est: Iudæi olim, quando tot signis palam ueritas sua statuebatur, ad credendum tam tardi, nunc, cum omnibus sint destituti, Rabinorum somnia, ac Messiæ aduentum sine fundamento, qui læuitatis excessus est, ultrò, citròque credunt, uel affectant. Hæc extrema uetat Christiana religio, damnatque uetulas, & alios, qui imaginationes, & illusiones quasdam uelut diuinas reuelationes accipiunt, credunt, euulgāt; uigilatque Ecclesia sancta ueris, ac falsis reuelationibus dijudicandis, discernendisque. Licet namque, ubi rem à Deo dictam esse, innotuit, nullus committatur excessus in credendo, quantalibet firmitate credas, nam plus meretur; quantumcumque difficilia, obscura, inintelligibilia credas, nam plus meretur; at esse potest, & grauissimus quidem excessus, si citò credas, si Deo non sua attribuas, si tamquam à Deo dicta credas, quæ ab eo dicta fuisse, maturè non constiterit. Hæc porrò plus minusue omnes comprehendit doctos, & indoctos: materiam item religionis comprehendit, in qua scilicet maximè omnium excessus leuitatis nocet. Ergo tenentur omnes non citò, nec leuitèr credere: ergo tenentur agnoscere, eam, quam colunt, religionē à Deo datam, ideoque ueram esse: quod si omninò ignorant, nihil credunt: & licet credant, quia id quadamtenus norunt, committere tamen leuitatem, poterunt.

Quæ

Digitized by Google

Quæ omnia exemplo mea quidem ſententia aperto, & oſtenſiuo muniamus. Ecce Chriſtiani omnes fatemur, quæcumque in ſcriptura extant, eſſe ueriſſima, infallibilia, ac à Deo tradita. Iam in infinitis pœnè rebus, & clauſulis uerus ſenſus ignoratur; Sancti Patres, Commentatoreſque alij concertant, & hic alijs ſenſus, alijs alius probatur, ac defenditur; hinc Auguſtinus, hinc Hieronymus, Ambroſius, Chryſoſtomus, ac alij indè pugnant. Inuenias planè multotiès ſenſum hunc probabilem, multoties probabiliorem, uix non certum multoties: eſt ergo tibi fermè certum, rem illam tali ſenſu dictam à Deo; haud tamen illam ideò fide diuina creditum pergis, aut in religionem aſciſcis; quod ſi faceres, leuis eſſes. Ergo religio ex natura ſua leuitatem in credendo prohibet; & peccant, quicumque leuitèr credunt. 623

Quanta cognitio requiratur.

At quæſitum eſt ſupra, & quæris hic denuò, quanta inſtitutio, quantaque cognitio in populo requirenda ſit, & procurãda? Res eſt planè, quam nequeas menſurare digitis. Illam in genere curam, illam in genere inſtitutionem, & notitiam requirerem, quantam ſaltẽ, & qualem in rebus ſuis habent ruſticiſſimi quoque, & vniuerſi, vt quæſt. præc. fuit ponderatum, & explicatũ. Alijs, & alijs aliæ, & aliæ artes conueniunt, & quiſque in ſua mediocris ſaltem eſſe iubetur; ſcit Paſtor de paſcuis, Piſcator de piſcibus, & retibus, & ſic cæteri. Ars porrò ſalutis, ad quam vera religio via eſt, ars artium eſt, omnibus neceſſaria, omnibus comparanda plus, vel minùs, vt vnuiſcuiuſque aptitudo erit: ſicut porrò omnes etiam indocti credere apti ſunt, & obligantur: ſic omnes prudentèr credere, nec leues, nec pertinaces eſſe poſſunt, tenenturque non eſſe prorsùs incurij, & alieni. 624

Ad fidei propagationem utilis hæc doctrina.

Ad propagationem verò fidei multum conferendum haud dubito, ſi hanc veritatis, & legitima quidem via agnoſcendæ obligationem fouerimus; nam veritas, ſi ritè quæratur, eſt inuentu facillima, vt probauimus: eſt proindè catholicæ religioni ea obligatio perutilis. At vel erratur in quærendo, vel quod fortè eſt veriùs, omninò negligitur, nec aliud curæ eſt, quam eam religionem colere quoquo modo, in qua natus eſt quiſq; 625

Hinc

Digitized by Google

626 Hinc mala multa nascuntur. Primum, si rumoribus fides aliqua, in Curijs aliquibus inueniuntur non pauci Athei, non vtique à Machiauello conuicti, qui conuicit planè nihil, sed extrema rerum harum inconsideratione potiùs nihil credentes, nec considerantes, quam de Atheismo, vel alio quoquam persuasi; qui proindè non tam errore contrario, quam mera priuatione, ac stupore fide careant. Aliud pessimum quoque genus hominum inuenias, magnum quid se præstare putantium, & vrbanitatem nescio quam exercere, dum Deo glorioso credunt, vel se credere censent (nam mea sententia nihil similes credunt.) Hoc etiam malum ab ignorantia, & negligentia nascitur: nam, si vt res suas, & interminatas genealogias, & maiorum vana stemmata tam insanè conquirunt, recolunt, dictitant, tam essent rerum diuinarum soliciti, conspicerent planè ingratæ animæ, sese tantis fundamentis ex toto rigore institiæ ad credendum obligatos; imò viderent, quanta, & qualis Dei fuerit dignatio, quod nostri Magister esse voluerit, cum nostri ad Deum nec ea quidem sit comparatio, quæ vilissimi coqui nostri ad Sanctum Augustinum. At hi præclarissimi viri subijciunt, inquis, Deo sublimia sua ingenia. O vtique mirandũ facinùs! *Inconsiderationis rerũ harum grauium mala.*

627 Sequitur etiam malum aliud, quòd sicubi per leges Principum quis insanire non vetatur, facilè vnus Apostata integras prouincias, & regna subuertat, ac decipiat, vt demùm innotuit satis mundo, totidem ab vno Monacho detractis Ecclesiæ Regnis: & planè nisi populi sint de veritate religionis probè instituti, ac persuasi, ad vnam fermè Principis fidem, vel voluntatem tota Regni salus alligata est. Nec verò tam facilè populi in rebus suis decipi, aut illis vltrò spoliari permittunt, nec iurium suorum tam sunt ignorantes rustici, vt integra regna seduci à quolibet quantocunque possint.

628 Sequitur & illud dolendum planè, remissio scilicet magna fidei. Scio equidem, quidquid vltrò desipere sectarijs libuerit, fidem solam sine operibus, non quidem legis, sed gratiæ nihil ad salutem sufficere: item ea opera ad fidem haud consequi necessariò, posseque cũ remissioni fide coniungi opera, & maiora, & frequentiora: illud demùm haud ignoro, veritatis fidei non tam *Fidei remissio.*

Digitized by Google

perfectè conſcium interea poſſe intenſiùs, impenſiùſq; credere. Verùm liceat nihilominùs opinari, plerumque, & vt in plurimùm propter tantam voluntatis ab intellectu dependentiam magnæ, modicæ, nulliuſque fidei diuerſiſſimos eſſe fructus, & opera: rurſùs eos, qui de veritate religionis fortitèr perſuaſi ſunt, libentiùs, firmiùſque credere propter maiorem intellectus à ſemetipſo dependentiam: quæ duo, cum ex principijs deducantur aliàs obuijs, ac probatis, fruſtrà hîc operoſiùs ſtatuerem. Age modo, & totius plerumq; mundi curas, & ſtudia conſidera de ſucceſſione, de poſteritate, de filijs, de nepotibus, de pecunia, de ædifitijs, fundis, machinis: dolorem inſpice de ſublato viro, vel filio: occurrunt planè hoc in genere exempla præclara, nec pauca; comparatione tamen multitudinis non tam innumera: de reliquo magnæ, modicæ, nullius fidei diſpares quære fructus, & mores, & ſtudia: ſolatio mihi erit, ſi fideles harum rerum non ſolicitos in plurimum oſtenderis, ſicut *& cæteri, qui ſpem non habent*, aut ſpe falſa deſipiunt, ac fide diuina carent, vt carere omnes falſarum religionum ſectarios cõmonſtrabimus

Oppoſitionum expeditio.

EX his ad ea, quæ pro fœda Mahometanorum barbarie initio quæſtionis adducta ſunt, illationum fermè in morem, vt alias quoque ſoliti ſumus, occurritur nullo negotio. Ad populorum ineptitudinem hac, & ſuperiori quæſtione reſponſum eſt; & recurret etiam poſteà ſermo. Miſericordiam Dei fatemur magnam, & maximam, cuius non eſt numerus: qua porrò ratione miſereatur, nobis enarrauit ipſe, vt homo ex ingenio hallucinari, ac ineptire deſineret: miſeretur ergo verã religionem concedendo, atque ad illius nos cognitionẽ adiuuãdo, eamq; nobis ponẽdo ob oculos, ac multiplici alio modo: nõ autẽ veritatis prorsùs ignaris, oſcitantibuſue fidẽ immittẽdo, vt oſtẽdimus. Dicebant, Mahometanam ignorantiam veræ religioni, vnitatiqne illius conſeruandæ perutilem. At oſtenſum eſt, cum ea ignorantia nec conſeruari, nec eſſe quidem fidẽ vllam, 629

ſine

Digitized by Google

sine qua religio non est religio, sed professio, & fictio. Quamobrem nihil est veræ religioni ea ignorantia magis aduersum; nec veritas tenebras quærit, sed falsitas. Vt de Regnorum pace quid addam, opus non est. Nec Paulus Apostolus eam rerum ignorantiam, & stuporem, persuasit, sed stultitiam prædicationis, vt sæpè exposuimus, compellauit prædicationem nihil dicta probantē, sed proponentem solùm, quæ tamen Dei esse verba, & testimonia constaret satis, atque de cætero sine ratione alia humillimè credenda venirent. Consequenter negamus, indoctos teneri eo solo titulo ad eam religionem, in qua nati sunt, ex quo plura nimis absurda consequerentur, vt visum est. Negamus proindè, Christianos eo solùm titulo esse Christianos. Magis multò negamus, Christianos populos non plùs esse hoc circa institutos, quam Mahometanos. Si qua verò alicubi negligentia committitur, eam Deus inter ignorātias alias condonat, vt exposui. Rursus cum Deus semper veram religionem tantopere foueat, peragit omni ætate, & in omni Catholicorum natione miracula aliquot, quibus populorum negligentiam suppleat, eosque vel oscitantes de veritate certificet. Si qui tamen alicubi erunt, qui nihil prorsùs de veritate sciuerint, quod mihi haud cōstat, illi verè non credent. Si porrò, licet imperfectissimè, eam satis ad credendum norint, quamquam indiligentiores extiterint, quam falsarum religionum sectatores, hi interea pereunt, illi saluari possunt, sicut declarauimus. Hanc imperfectissimam, & quasi nullā aliquorum credentium cognitionem memorat August. lib. de catechizandis rudibus; priùs verò Clemens in Recogn. addens tamen, fidem rationis expertem esse perditu facillimam.

630 Sedenim hæc omnia non hoc pacto, sed ampliori alio expedire placitum est sectarijs; dixere quippè multi, satis esse, si quoquo modo Christum quis nouerit, & de cætero suorum, vel quam libuerit, partem, & sectam, resque credat, & colat: quam impiam extremæ cæcitatis blasphemiam sequens quæstio conficiet.

Digitized by Google

QVAEST. XXXV.

Vtrum sufficiat Christum noſſe, & in Christum credere; & de reliquo quamcumque partem sectari.

ECce de quo, ſi Deo placet, nos cogant diſputa- 631
re ſectarij: vix tot inter hæreſes aliquando huc-
uſque inſanitum fuit. Conſpicientes itaque,
alium ſe haud habere exitum, vt pŏderauimus,
ad hoc demùm, in quo Chriſtiani omnes quoquo con-
ueniunt, effugère, vt dicant, ſufficere ad ſalutem hunc
vnum articulum ſi credas, ſcilicet in Ieſum Chriſtum:
vbi vno dumtaxat gradu diſtant iam ab Atheiſmo: in
quem proindè tam facilè, & tam multi prolabuntur.
Indè porrò populorum etiam ignorantiam, vel indili-
gentiam, de qua ſuperius agebatur, excuſabunt, & quæ
adduximus, diſſoluent. Eodem vero iure, ſi iuſtitia ſer-
nanda eſt, quam ſectarij affectant, reliqui non Chriſtia-
ni dicent, quamlibet in genere religionem ſufficere, ſi
ſaltem duo illa teneant, quæ Paulus præſcripſit; *quia*
Deus eſt, & inquirentibus ſe, remunerator eſt: hæc autem
tenent in mundo iam ferè omnes, & Mahometani, &
Iudæi.

Communis multorũ ſectariorũ error.

Quoniam verò apud noſtros, Hiſpanos præſer- 632
tim, & Italos, quibus rarior eſt conſuetudo cum Hære-
ticis, haud credemur facile, eos eouſque deſipuiſſe,
ſciant nihil iam apud ipſos eſſe celebrius, ut fama con-
ſtans eſt. Habui etiam ipſe diſcipulos, quibus adſe des
ſuas reuerſis negotium cum ſectarijs futurum erat, &
do hoc ſe potiſſimùm volebant inſtitui. Deindè Ioan-
nes Serranus Auraſicanus Miniſter, & alij, quorum me-
minit Iacobus Gualterus ſæcul. 5. cap. 23. ſect. 16. c. 10.
& ſæcul. 17. cap. 3. nil magis aliud promouebant. Nil
facit aliud quidam Thomas Hobbes Britannus in ele-
men-

Digitized by Google

mentis Philosophicis c. 18. Ipsa quoque confessio Anglicana annuit art. 18. *sunt & illi anathematizandi, qui dicere audent quemque in lege, aut secta, quam profitetur, esse seruandum, modò iuxta illam, & lumen naturæ accuratè vixerit: cum sacræ litteræ tantùm Iesu Christi nomen prædicent, in quo salvos fieri homines oporteat.* Dum nãque eos solùm condemnat, qui citra Iesu Christi nòmẽ seruari se posse dicerent, satis indicat, de reliquo sub Iesu Christi nomine omnia esse in tuto. Supponit deindè eam in Anglia errorem extare: quorsùm enim cudunt alioqui anathemata?

633 Præter hanc porrò fidem in Christum, externam, quæ non ex fide, sed ex obedientia fit, professionem quoque, & cultum rerum aliarum requirunt: quod nil ad præsens. Sub eo autem articulo fidei in Christum, multa inuoluunt plura, vel pauciora pro genio vniuscuiusque, & ingenio, scilicet Iesum illum esse, qui in lege, & Prophetis promittitur, cœli, & terræ Creatorem, natum ex Maria Virgine, mortuum, qui & resurrexit; & omnia demum illa, quæ in symbolo contra ipsos non sunt; & addunt, & tollunt, prout è re ipsorum est. *Erroris expositio.*

634 At autem non id nunc disputamus, & quæst. seq. decernam, quid per accidens sufficere ad salutem possit, sed quid per se requiratur; nec item quorum articulorum expressa fides, & explicita postuletur, & quorum sufficiat implicita: & quid post Christi aduentum, quid ante; quæ ad 2.2. cuilibet sunt nota, & obuia. Orthodoxi ergo Authores tuentur, verum quis in qualibet falsa, & etiam non Christiana religione ritè, & probè se gerens, & citra omnem culpam veram religionem ignorans saluandus sit: de quo post dicam. Hi scilicet casus sunt accidentales, & non secundum legem, sed præter, & ex ignorantia potiùs inculpata legis, vt supponitur. Non itaque de hoc disputamus, sed vtrum citra omnem ignorantiam, & secundum ipsas scripturas, & legem credendi, & habendæ fidei sit, illum dumtaxat articulum credere, & hoc vno credito, liceat quãlibet Christianorum saltem partem sequi, nec ampliùs credere. Et apud sectarios aiunt: apud nos tamquam blasphemandã hæresim exhorrescimus. Parcendũ verò erit, vbi vix orthodoxi quidquam ex consulto saltem

dixe-

Digitized by Google

dixerunt, si longior ero: est enim stirpitus euellendus error.

Vetus is Donatistarum error.

635 Dixi principio, vix eousque insanitum vnquam fuisse: probè scilicet noui, Donatistas, qui nil non initio damnabant, nec vel in Ecclesiam nisi bonos, & probos admittebant, cũ hinc indè constringerentur, quod hisce sectarijs accidit, eò demum remissionis, vel stuporis deueniisse, vt multi (teste Augustino) nil interesse crederent, in qua quis parte Christianorum esset; ideoque permanebant in parte Donati, quia ibi (ait) nati erant, &c. Quorumdam etiam Æthnicorum eiusdem erroris, & furfuris meminit l. 18. de Ciu. Dei cap. 51. & Rethorianorum similiter insanientium lib. de hæres. num. 71. Sed de quo maximè gloriari possunt sectarij, etiam Turcicum Alcoranum fauet c. 2. Verissimè quidem Cyprianus, hæreses magno, ait, feruore exurgere, mox remittere: Sectarum scilicet harum Architecti omnes principio Dœmoni dabant, adeo vt caninam Cynicorum scholam viderentur suscitasse: iam placuit, & nos etiam in tuto ponere.

Quæ illius fundamenta

636 Erroris huius licet enormis, inter Christianos verò stultissimi excusatio tamen illa esse poterat, quod videretur impossibile, tot inter religionum colluuiem, confusionem, factiones, & inuolucra vnam illam pretiosam, & veram inuenire. Hoc autem ostẽdimus possibile, nec multùm etiam indoctis difficile. Dato deindè, quod adhibita diligentia, & citra culpam non inuenirent, non de his disputamus, vt nuper aduerti. Sed quia ad manum est vbique scriptura, quam ad quamcumque phræneſim componant, & ex qua somnia, vel Homerocentonas confingant, inque vnum sarciant corpus, mouent etiam ex scriptura non vnum locum, vel alium, sed integra quatuor euangelia. Audientur vero ipsi ad calcem, & loco suo.

Asser-

Digitized by Google

Assertio negatiua, & Catholica probatur.

637 AGe verò; probemus iam veritatem catholicam. Ergo tota Ecclesia à principio cæcutijt, ineptijt: sacra illa, & veneranda antiquitas; eminens ille Sanctorum Patrum chorus desipuit insignitèr: nil enim eo tẽporis actum est operosiùs, quam hæreticos, qui tamen in Iesum Christum crederent, expugnare, reuincere, anathematizare, coactis concilijs, scriptis libris: quæ tam sunt certa, quam est certum, esse Solem. Pelagius in Iesum Christum credebat: eius gratiæ necessitatem negabat: Arius in Iesum Christum credebat, illumque Deum, sed Patre minorem: de qua inæqualitate nil in symbolo Apostolorum, si eo fortè confugient: Eutychiani, Nestoriani, Monothelitæ admittebant etiam Iesum Christum, licet de eius carne, vel anima, vel vnione à Catholicis discreparent. At oportet, inquis, nullũ de eo articulo committere errorem. Sed verò Taciani, Cataphryges, qui secundas nuptias condemnabant; Adamitæ nudi, nec utentes vxoribus suis, Valesij semet propter regnum cœlorum castrantes: Apostolici Apostolorum continentiam, & paupertatem imitantes, nec alios in suam communionem admittentes: alij calceamenta damnantes, & ne omnes in infinitum decurramus, Donatistæ, Heluidiani, Iouiniani, Pelagiani nil in eo articulo obtrudebant. Iam agite, & istam Hæreticorum illuuiem Sanctorum faltis addicite: Ecclesiam uerò, & Sanctos illos, & conspicuos uiros, qui eos oppugnarunt, & anathematizarunt, vel vt ignorantissimos exibillate, uel ut factiosos, & iniquos diris omnibus obstringite.

Primò authoritate totius à principio Ecclesiæ.

638 Quid deindè de schismaticis ponitis? Hos quippè Paulus 1. ad Corinth. 1. 12. & tota à principio Ecclesia condemnat. At licet Augustinus id inter hæresim, & schisma discriminis ponat, quod schisma recens dissensio, & separatio sit: hæresis autem schisma inueteratum, ex rigore tamen, & ex communi reliquorum, & ipsius

Deindèquia Schismatici damnantur

Digitized by Google

ipsius etiam Augustini sententia sufficit ad schisma sola separatio a uera Ecclesia, licet, ut notat ritè Hieron. ad illud epist. ad Titum 3. *qui est à semetipso, &c. nullum schisma aliquam sibi non confingat hæresim, vt rectè ab Ecclesia videatur recessisse:* & licet nullam confingat aliã, ut Henricus octauus initio affectauit, ipsum saltem articulum unitatis Ecclesiæ negant. Hoc porrò ad condemnationem sufficit, si, ut inculco, Ecclesia iam à principio non desipuit. Scilicet ut Beatissimus ille Martyr Cyprianus epist. 76. ad Magnum edisserit, & etiam demonstrat, *Beatus Ioannes Apostolus nec ipse vllam hæresim, aut schisma discreuit, sed vniuersos, qui de Ecclesia exissent, Antichristos appellauit dicens: audistis, quia Antichristus venit: nunc autem Antichristi facti sunt multi; ex nobis prodierunt:* quippè contra Christum est, qui contra eius est Ecclesiam, quique domum eius diuidit, destruit, & cum una sit, in multas proscindit. *Neque enim* (disputat rursùs Cyprianus) *Dominus noster Iesus Christus, cum in Euangelio suo testatur aduersarios suos eos, qui secum non essent, aliquem speciem hæreseos designauit, sed omnes omninò hæreticos, qui secum non essent, & secum non colligentes, gregem suum spargerent, aduersarios suos esse ostendit, dicens, qui non est mecum, contra me est: qui non colligit mecum, spargit.* Nec hæ, credo, authoritates Cypriani sunt, sed probationes manifestæ ex euangelio. Sed & legant aureum eius librum de unitate Ecclesiæ. Frustrà porrò horum hominum audaciæ Athanasij, Nazianz. Ambrosij, Hieronymi, Augustini, Hilarij, Chrysostomi, aliorumque Patrum iudicia, testimoniaque, quæ in promptu erant, opponerem; sed uel totam Ecclesiam etiam antiquam, quæ ipsis quoque probari solebat, uel Apostolos, uel ipsũ Christum, & euangelij manifestissima principia, & euidentissimas rationes, aliquam demùm ingentis molẽ ponderis oportet adducere, ut ipsi uel expergefiant, uel timeant, aut reuereantur.

Alioqui tutus est Arianismus.

Sed uerò Arius nolet, causam suam tam citò, tamque paucis absolui: proponit & ipse, & allegat, & promouet. Ego, inquit, credo etiam in Iesum Christum humani generis Assertorem, & in lege, & Prophetis promissum: utri porrò articulum istũ ritè teneamus, 639

lis

Digitized by Google

lis est. Ecquis verò iudex? Ecquis litem dirimat? Scripturane? At hoc millies explosimus; quærenda est scriptura certa, & infallibilis: & interpres similiter certus, & infallibilis; parùm quippè refert, si fallimur, siue ab Interprete, siue ab scriptura fallamur. Ex sectarijs multi aiunt, & docent, standum esse iudicio illius, qui summũ eo lòci imperium habet, siue Rex sit, siue Ciuitas, vt Rex Angliæ, vel Dux Saxoniæ, vel Geneua. Sed Ariani quoque pro se Ciuitates, & Regna, & Imperatores etiam, & Reges habuere. Nec ad Ecclesiam nostram est appellatio, quia hæc vtrosque condemnat. Nec rursus ad Nicenum Concilium. Nam Ariani illud dicunt illegitimum, & factiosum, vt vos Tridentinum criminamini. Nec tot illæ historiæ huc pertinent, vt ostendimus. At sacra scriptura, inquis, Arianis expressè repugnat, nec ciuitas, vel Rex quidquam contra expressam scripturam valet: scriptura scilicet omnia dicit facta per Verbum. Sed denuò reditur in scripturam, cõtra quam toties ostensum est. Et deindè expressã scripturam affert. *Pater maior me est*: Christus inquit, ad Patrem orat, Patrem audit, à Patre discit, Patri obedit: ergo est inferior; nec explicationes Athanasij admittit, quæ in scriptura expressæ non sunt. Si alia ex scriptura affers, cur non, sicut vobis in vsu est, ipse vno verbo non dicat cuncta illa esse apocripha, falsa, & corruptelas, atque Machera Marcionis vtatur? Atque rursùs illis etiam admissis, ad vos dicit, scripturam satis expressè dicere, *quoniam non Deus volens iniquitatem tu es*; imò nil magis scriptura ingeminat: & tamẽ vos Deum effingitis scelerum, & peccatorum Authorem. Quid rursùs in scriptura expressiùs, quam *hoc est corpus meum, caro mea verè est cibus, &c.* hæc autem expositionibus alteratis, & modo vestro explicatis, & componitis. Quid ergo mihi, inquit, tantumdem non liceat, & loca locis conferens modo meo articulum Dominicæ Incarnationis non exponam, componamque. Similia verò Sabelliani etiam pro se facilè perorabunt.

640 Quid hic agimus, ò Sectarij? nam siue ad scripturam prouocetis, siue ad iudicium Ciuitatis, vel Regis eadem cum vobis habent effugia. An ergo & Arianos cælo adscribamus? Adscribetis profectò, iamque multi

Hæretici omnes & Mahometani erũt in tuto.

Digitized by Google

veſtrum eam etiam in hæreſim lapſi ſunt; omnia quippè licent, trahitque errorem error. Quod verò eſt conſequens, Nicenam Synodum condemnatis: ſcilicet in qualibet quoquo modo Chriſtianorum parte ſumus in tuto. Hinc rursùs paulatim probabimus & Marcionem, & Valentinum, & Gnoſticorum tot illos æones, &c. At proſiliunt etiam Mahometani; nam & in Alcorano in Chriſto creditur, velut in magno Propheta, miſſo in virtutibus: & facilè eſt ex allegatis pro Ario, cauſam quoque Mahometis promouere, nec ex ſcriptura liquidiùs elijcitur, Chriſtum Deum eſſe, quam Deum peccatorum authorem non eſſe, quod tamen audacter tenent hi homines. Et demùm quilibet eam in licentiam ueniet, vt Ieſu Chriſti ſolum nomen ad ſalutem dicat ſufficere, quidquid de reliquo de ipſo Ieſu Chriſto ſentiatur; iuxta illud actu. 4. *nec enim aliud nomen eſt ſub cælo datum hominibus, in quo oporteat ſalnos fieri.*

Alia probatio ex ſcriptura?

HIs, & alijs ex fatua poſitione Nouatorum relictis 641
iam conſectarijs abſurdiſſimis, vbi nec Eccleſiæ authoritas valet, ad Paulum Apoſtolum prouoco: ſumo verò ſolam epiſtolam ad Galatas, vbi cap. 1. ſatis ponderat, & inculcat euangelium ſuum, non ab hominibus ipſum accepiſſe, neque didiciſſe, *ſed per reuelationem* (inquit) *Ieſu Chriſti*. Ibi porrò in eos inuehitur, nō qui in Ieſum Chriſtum non crederent, ſed qui ita in eū crederent, vt ſimul iudicarent, legem, & opera ſuffeciſſe ad iuſtificationem, & in alios præterea, qui ſimul cū fide legem quoque, & circunciſionem obſeruandam eſſe, vel obſeruari ſaltem impunè poſſe, dicebant, vt patet ex tota epiſtola. De illis autem quid iudicat Paulus? Audite: *ecce ego Paulus dico vobis, quoniam ſi circumcidamini, Chriſtus vobis nil proderit. Teſtificor autem rursùs omni homini circumcidenti ſe, quoniam debitor eſt vniuerſæ legis faciendæ. Euacuati eſtis à Chriſto, qui in lege iuſtificamini; à gratia excidiſtis. Nos enim ſpiritu ex fide, ſpem iuſtitiæ expectamus. Nam in Chriſto Ieſu neque cir-*

Digitized by Google

circumcisio aliquid valet, neque præputium, sed fides, quæ per charitatem operatur: currebatis benè: quis vos impedivit veritati non obedire? At Paule, quorsùm ista tam acerba? scilicet Galatæ Iesum Christum admittunt, in Iesum Christum credunt: quid refert interea, si putent circumcisionem aliquid valere? si non multum, aliquid saltem? quid si non ex fide, quæ per charitatem operatur, sed ex fide, qua sibi Christi redemptionem applicent, iustitiam expectent? Sed vt verba mutuer Pauli, *ò insensati sectarij, quis vos fascinauit non obedire veritati?* Subdit ergo immediatè ad præcedentia regulam vniuersalem, qua totus hìc error protruditur. *Persuasio hæc non est ex eo, qui vocat vos: modicum fermentum totã massam corrumpit. Ego confido in vobis in Domino, quod nihil aliud sapietis.* Ergo vnus in fide error, & modicus etiam admisso Iesu Christo totam fidem corrumpit: à Christo excidit, & euacuat. Hùc pertinet hæresis Pharisæorum; *surrexerunt autem quidam de hæresi Pharisæorum* (Act. 15.) *qui crediderunt dicentes; quia oportet circumcidi eos, præcipere quoque seruare legem Moysi.* Hi ergo crediderant in Christum: & tamen ipsorum positio hæresis erat, & condemnatur ab Apostolis: contumaces autem in hæresi hæretici sunt; hæreticus autem à via salutis aberrat, & vitandus est ex 3. ad tit. Ergo credentium in Christum possunt esse & hæreses, & hæretici, & qui hoc ipso non in tuto sint, sed viã ambulent perditionis. Quò deindè Apostolorum Concilium pertinuit, nisi ad istam proscindendam hæresim? nec enim de eo tractabatur, an esset credendum in Iesum Christum. Quis de hoc dubitauerat? quid opus concilio? quid *vt ascenderent Ierosolymam Paulus, & Barnabas, & quidam alij ad Apostolos, & Presbyteros super hac quæstione.* Eratne quæstio, vtrum esset necessarium credere in Iesum Christum Crucifixum, qui & resurrexit, cum nil eatenus aliud prædicassent? Inducitur ergo alia quæstio, additur alia determinatio, & definitio præter hoc: *visum est enim & Spiritui sancto, & nobis, &c.*

643 Sed dicitis; Pharisæi, & Galatæ in articulo Redemptionis errabant, addentes circumcisionem, & legem. O benè! Ergo articulo Redemptionis nil est ad- *Euasio reuicta.*

Digitized by Google

dendum, & si addatur circumcisio, hæresis consurgit,& contra fidem erratur,& in necessarijs erratur . At non minus in articulo Redemptionis erratur per ablationẽ: tollat quis baptisma,& per Redemptionem Christi sine baptismo promittat regnum . Errabit , credo, etiam secundum vos in necessarijs,quia scriptum est;*qui crediderit,& baptizatus fuerit,saluus erit* ; item : *nisi quis renatus fuerit ex aqua,& Spiritu sancto,non intrabit in regnum cælorum* . At similiter scriptum est , *nisi manducaueritis carnem filij hominis,& biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis* . Ad necessariam ergo doctrinam fidei pertinet doctrina de Eucharistia . At de Eucharistia,inquis,tacet symbolum . Cæterùm quod non minoris est pretij , non tacet Euangelium . Ergo si valet euangelium, tam necessaria est ad salutem vera doctrina de Eucharistia, quam de Baptismo . Eadem porrò est ratio de cæteris sacramentis; quia si illa Christus nõ instituit,vel modo uestro instituit , nos erramus , sicut Pharisæi addentes redemptioni circumcisionem : dicimus enim per illa nobis applicari redemptionẽ Christi : quarè hæretici sumus, & condemnamur,dum redẽptioni Christi detrahimus . Si verò Christus reliqua etiam Sacramẽta instituit,& modo nostro instituit; vos in articulo Redemptionis erratis,non secùs , atque qui tolleret baptismum . Necesse est ergo vel vos , vel nos in necesarijs errare: vos , vel nos esse hæreticos : vos, vel nos niam perditionis incedere, & esse à Christo excisos,& euacuatos,& quibus *Christus nil proderit* .

Vel Sectarij damnantur, vel damnamur nos.

Eodẽ autẽ modo inducitur necesitas doctrinæ bonorũ operũ;nos enim tenemus Redemptionẽ Christi nõ prodesse adultis nisi benè operãtibus; & per bona opera merentibus gloriam,vt mercedem,vt brauium,vt *coronam iustitiæ,quã reddet Dominus in illa die iustus iudex* : si tot hæc , & tanta præter redemptionem requirimus, & redemptioni tamquã necesaria falsò addimus, plus multo erramus,quam Pharisæi,& quam Galatæ : ergo nobis *Christus nil proderit*, nec sufficiet, quòd in Christũ credidimus . Si uerò illa uera sunt,necesaria sunt,scripta sunt,& ingeminata , & repetita toties in scriptura , magis uos erratis, quam qui tolleret baptismum,magis item , quam Pharisæi , & Galatæ, si vt dictum est,& vt 643

euidens

Digitized by Google

euidens est, non minus erratur tollendo, quam addendo: scriptum est Deuter. 4. *non addetis ad verbum, quod loquor, nec auferetis ex eo. Ergo euacuati estis à Christo: à gratia excidistis, & vobis Christus nil proderit*: si nihilominus vos in tuto esse arbitramini, valete. Nec omittã hìc delibare, quod ille vester insignis scurra Lutherus impiè effutijt, arctam esse viam, quæ ducit ad vitam, & angustam ianuam; atque adeò sarcinam bonorum operum impedire incessum, & ingressum. Et hic tamẽ mouere regna valuit.

Saltem excipere nos debent à via salutis.

Ostensum est clarè totam ferè materiam controuersiarum, sectarumque præsentium ad necessariam doctrinam fidei spectare, quia totã fermè illa ad sacramenta, & bona opera reducitur: facilè autem inducitur necessitas doctrinæ de intercessione Sanctorum, de libertate, & reliquis. Vbi tamen hoc non omittam, quo ad aliquam saltem in sua positione faciendam exceptionem, restrictionemque apertè cogantur: nos saltem velint nolint excipere debent: nostraque interest in via salutis ipsorum non esse. Hoc vnum quæro, an sacræ imagines adorari possint, & debeant, vel secus? Quid dicitis? An non vestra vox est: illas adorare est idolatrare? Ergo ex vestra sententia, qui illas adorandas dicit, idolatrandum esse dicit. Iam rogo, an in lege Christiana sit materia indifferens, nec doctrina ad salutem necessaria, sitne, vel non sit idolatrandum? Quid dicitis? Sed eia dicite, nescimus nos, nec scire refert, an adorare imagines sit idolatrare. Verum pergite, & dicite: nescimus nos, nec scire refert, an vnus Deus sit colendus, an multi: nam symbolum Apostolorũ Deum dicit, non vnum Deum: Nicænum autem sicut vnum Deum, sic & vnam Ecclesiam: Deus verò in toto veteri testamẽto haud plus curæ habuit de se solo adorãdo, quam de idololatria arcenda. Iã ergo, quando quidẽ aliud insaniæ vestræ non deficit, concludite, & dicite, Christianos omnes saluari præter Catholicos, quia idololatriã in fide sua docẽt, & de fide tenent. Deindè inter vosmet ipsos complicamini; nam Lutherani admittunt realem præsentiam Christi in Eucharistia: conferunt ergo illi debitum cultum latriæ: Caluinistæ negãt realem præsentiam, & adorationem: at non Deum pro

Nequeunt Christianorũ differentiæ cociliari.

Deo

Digitized by Google

Deo colere, ideſt, panem, eſt idolatrare: Deum item vt Deum non colere par ſcelus. Ergo alterutri in neceſſarijs deficitis, & alij, vel alij in interitum ruitis. Iã vtri errent, vos videritis. Nos autem concludamus tam eſſe impoſſibile, quod omnes Chriſtianorum partes in vnam ſalutis viam coaptentur, atque eſt impoſſibile, lucem, & tenebras; veritatem, & mendacium in idem congruere.

645 Sed quid omnia commemorem? In vniuerſa ſcriptura, & omnibus epiſtolis canonicis multa ad fideles ſcribuntur, alia quæ ſalutem impediunt, alia quæ ad ſalutem ſunt neceſſaria. Huc pertinet vniuerſum Decalogum: ſcriptum eſt ſcilicet, *ſi vis ad vitam ingredi, ſerua mandata.* Matth. 19. & 18. Ioan. 8. 14. 15. & paſſim: Ac rursùs 1. ad Corinth. 6. regula illa ponitur: *nolite errare, neque fornicarij, neque idolis ſeruientes, neque adulteri, neque molles, neque maſculorum concubitores, &c. regnum Dei poſſidebunt.* Atque hæc quandoquidem à Deo dicuntur, credi per fidem poſſe, non, credo, negabitis. An neceſſario credenda ſint, diſputatur. At ſi ad vitam, ad ſalutem, ad regnum neceſſaria ſunt, certò ſcire oportet eorum neceſſitatem, vtque id certò credamus, à Deo dicuntur. Quod explico; quia Ieſus Chriſtus ad ſalutem eſt neceſſarius, idque à Deo dicitur, hic articulus ad neceſſariam fidem pertinet; ergo ſimiliter ſi tot illa alia ſalutem impediunt, & tot illa ad ſalutem ſunt neceſſaria, nec minus à Deo dicuntur, illorum doctrina ad neceſſariam fidei doctrinam pertinet. Haud equidem ignoro, inter obiecta fidei alia eſſe principaliora, alia minus principalia: alia ut vocant primaria, alia ſecundaria: & quis ſit ordo illorum, ſatis explicat Paulus 1. ad Corinth. 3. *omnia enim veſtra ſunt: vos autẽ Chriſti: Chriſtus autem Dei*; atque hoc ſenſu ſolus Deus dici conſueuit obiectum fidei primarium, qui ſcilicet eſt finis reliquorum. Et verò non ideo dicetis, ſufficere credere in vnum Deum; quia non ſolùm fides finis eſt neceſſaria, ſed fides etiam mediorum, tam eorum, quæ ſunt omninò neceſſaria, vt eſt obſeruatio mandatorum, quam eorum, quæ ſunt vtilia, vt eſt obſeruatio conſiliorum; nec ſufficit noſſe, quò eſt eundum, ſed qua etiã via; via autem eſt Chriſtus, ſed ipſum ſequentibus, poſt ipſum

Multa alia præter Chriſtum credẽda.

Digitized by Google

ipsum euntibus: nam ipse dicit Matth. 10. & Luc. 14. *qui non accipit crucem suam, & sequitur me, non est me dignus: non potest esse meus discipulus*; & sunt sexcenta huiusmodi obuia. Ex quibus argumentum concludo: præter fidem in Christum alia etiam esse necessaria ad salutem, siue merita illa sint, siue non sint, & peccantibus, & non pœnitentibus regnum non concedi iam non negant sectarij, nec negare magis possunt, quam fidem in Christum esse necessariam: illa autem dicta sunt à Deo; ergo ad fidem necessariam pertinent. Quid enim ad fidem necessariam attinet, nisi quod tamquam rem nobis necessariam nobis dicit? Ad quos scilicet alios dicit?

Haud frustra loquitur Deus.

646 Si præterea Deus, & natura nil frustra fecerunt, nil sanè frustrà locutus est Deus: si de omni verbo otioso nos etiam homines rationem reddituri sumus, quid verba otiosa, & inutilia Deo inspergamus? At vniuersa sacra scriptura continet verbum Dei; nil enim eius, vel tota est Dei, & verbum, & doctrina, & testimonia Dei, vt est euidens, abstrahendo nunc ab hac, vel illa scriptura. Haud sanè quæcumque sunt in scriptura, sunt verba Dei, vt dicunt, formalia, & quasi per illa ipse sit loquens, cum sint & verba Iudæ, & verba Pilati, & verba populi clamantis, *crucifige, crucifige*, & verba denique orantium, & pœnitentium, &c. at illa cuncta dicta esse, affirmat scriptura, affirmat Deus, & sunt omnia, vt ita dicam, sigillata, authenticataque à Deo, qui dedignatus haud est se aliquando Scribæ quoque comparare. Et ita nulla est, vel fuit hactenus Christianorum religio ita fatua, quæ aliquam scripturam non admitteret, vel non sibi configeret, hoc, aut illo addito, vel ablato, vt è re erat ipsorum, nec vllus adeò defipuit, qui scripturam componeret illis solùm clausulis, quæ de fide in Christum loquuntur. Ergo & reliqua modo dicto verba sunt Dei; non autem otiosa, & vana, & frustrà dicta: ergo credenda. In quem enim alium finem Deus, vel homines loquuntur, nisi vt credantur.

647 Finis deindè locutionis natura sua est fides audiétis; vult enim loquens assimilare sibi audientem, vt *omne agens intendit assimilare sibi passum*; & ita locutio definitur *manifestatio conceptus*; per fidem scilicet Deus glo-

Digitized by Google

glorioſus ſuos nobis conceptus manifeſtare, & imprimere incipit, vt demùm nos reddat ſibi ſimiles, *quando videbimus eum, ſicuti eſt*; ſicut omnis Magiſter per fidē incipit aſſimilare ſibi diſcipulum: *addiſcentem enim oportet credere*. Omnia ergo ſunt credenda. Et ſolum eſſe credendum articulum de Ieſu Chriſto perindè eſt fatuum, atque ſi diſcipulus diceret, hoc ſe ſolum creditu-rum Magiſtro, ſcilicet ipſum eſſe ſuum Magiſtrum, nilque aliud: ſi rursùs ego dicerem, hoc me ſolùm creditu-rum Regi meo, vel ſuperiori, ipſum ſcilicet eſſe meū Regem, vel ſuperiorem; ſi quid autem vlteriùs dicant, vel iubendo, vel conſulendo, vel minando, me ad nil eorum credendum teneri: qui autem impunè non credit, impunè tranſgreditur. Quorsùm rursùs ſectarij quidquam ex ſcriprura arguunt, probant, ponunt? Scriptura enim niſi credatur, nil probat; ad credendū porrò non obligor; vos dicitis.

Deindè non erit, quo me inducant ad 648
ipſum etiam articulum Ieſu Chriſti credendum. Vndè enim probant illum eſſe neceſſarium? Quia ſcriptura dicit, id eſſe neceſſarium. At ſi ego ſexcenta alia impunè Deo nō credo, cur non & hoc omittam? Deus, inquis, dicit. Sed Deus quot etiam alia dicit? *hæc dicit Dominus, hæc dicit Dominus, dixit Ieſus, &c.* his plena eſt ſcriptura. Si hæc credere non teneor, dicat, me damnandum, ſi in Ieſum Chriſtum non credidero, & tamen impunè non credam. Fruſtrà fortè loquitur, otioſè loquitur; vt ſcilicet ſi Deus aliquoties mentiretur, ad nil credendum obligarer, vt Theologi ſatis demonſtrant; quia tunc quando ſe non mentiri diceret, fortè mentiretur; ſic ſi Deus toties fruſtrà loquitur, nec ad fidem obligat, numquam ad credendum obligor; tunc enim, quando me vult obligare, fruſtrà fortè loquitur, & ſolùm vt loquatur. Credetne poſteritas, hoc ſtuporis in homines cadere potuiſſe rationis compotes? Vno verbo hæc fatuitas perindè eſt, atque ſi quis exceptis ſolùm clauſulis de Ieſu Chriſto reliqua ſcripturæ combureret, & ſcripturam faceret vnius folij: nec ſcriptura ſi credenda non eſt, ſcriptura eſt, nec diuina eſt, nec ulli bono deſeruit.

Vlte-

Digitized by Google

Vlterior probatio ex vnitate, ac indiuisibilitate fidei.

649 EST rursùs locus errorem istum extirpandi articulus de vnitate fidei, de vnitate Ecclesiæ, & corporis Christi: nec enim diuisus est Christus, nec monstrum est multorum corporum mysticorum; corpus autem mysticum Christi est Ecclesia 2. ad Corint. 1. nec multas Ecclesias ædificauit, sed vnam; *ædificabo*, ait, *Ecclesiam meam* Matth. 18 nec plures fides tradidit, sed vnã; *vnus Dominus, vna fides* ad Ephes. 4. at ex pugnante fide, ex pugnantibus in fide Ecclesijs, & membris nec vna fides consurgere potest, nec vna Ecclesia, nec vnum corpus, vt patet: Christianorum autem sectæ pugnant inter se, & opposita, & pugnantia credunt, vt nemo ignorat. Sed quia ad manum sunt vbique multa Sanctorum Patrum de hoc argumento opera; quodque Cyprianus de vnitate Ecclesiæ conscripsit, ita numeris omnibus absolutum, perfectum, & conuincens est, nil vt illi addi queat, vel adimi, illuc Lectorem remitto. Liceat interea ex aureo sacræ eloquentiæ flumine haustulum delibare. *Hanc vnitatem, qui non tenet, Dei legẽ* (inquit) *non tenet, non tenet Patris, & Filij fidem, vitam, non tenet, & salutem. Hoc vnitatis Sacramentum, hoc vinculum concordiæ inseparabiliter cohærentis ostenditur, quando in euangelio tunica Domini non diuiditur omninò, nec scinditur, & sortientibus de veste Christi, quis ipsam potiùs indueret, integra vestis accipitur, & incorrupta, atque indiuidua tunica possidetur. Loquitur, ac dicit scriptura diuina, non scindamus illam, &c. Possidere non potest indumentum Christi, qui scindit, & diuidit Ecclesiam Christi*: quod vlteriùs probat ex Reg. 3. c. 11. & Ioann. 10. ex 1. ad Corinth. 1. ad Ephes. 4. & 12. Exodi, ex psalmo 67. & alijs. *Quis ergo sic est sceleratus, & perfidus, quis sic discordiæ furore vesanus, vt aut credat scindi posse, aut audeat scindere vnitatem Dei? vestem Domini? Ecclesiam Christi?* Parum scilicet fuerat sectarijs vestem Christi, Ecclesiam Christi scidisse in tot sectas, & partes, nisi

Digitized by Google

quod vestem illam desuper contextam, de cœlo contextam ab ipsis scissam sartores pessimi audierent consuere, aut illi potiùs affuere errorum, hæresum, & somniorum omnia sarcimina.

Omnia creduntur, vel nihil.

Quamquam verò hactenus satis contrita sit hæc vanitas, nonnihil tamen iuuat ex scholis etiam Theologorum adducere, & ad maiorem confirmationem, & ad necessariam etiam multorum hìc incidentium expositionem. Ergo S. Thomas 2.2.q.5.art.3. hanc mouit quæstionem, *vtrum qui discredit vnum articulum fidei, possit habere fidem informem aliorum?* Caietanus verò se expedit duobus verbis. Quæstio porrò plus merebatur; ex ea namque hic error immediatissimè, & stirpitus conuellitur; si enim qui vnum articulum satis sibi propositum negat, nullius alterius articuli, nec Iesu Christi quidem fidem habet, conclamatum est de sectarijs, vt patet; non enim saluari se posse putant, quin credant aliquid, habeantque alicuius articuli fidem. At Sanctus Thomas resoluit, discredentem, vel negantem vnum articulum nullius alterius habere fidem. Hoc est, quod supra Paulus dicebat: *modicum fermentum totam massam corrumpit*; hoc quod Cyprianus nuper: *tunica Domini non diuiditur omninò, nec scinditur; integra vestis accipitur*: hoc quod Nazianz. orat. 37. docet: *vnum vni cohæret, & ex eis quædam verè aurea, & salutaris fit catena:* hoc quod Ambros. in cap. 9. Lucæ lib. 6. *vnum horum si retraxeris, retraxisti salutem tuam; nam etiam hæretici habere sibi Christum videntur; nemo enim Christi nomẽ negat; sed negat Christum, qui non omnia, quæ Christi sunt, confitetur*: hoc rursùs quod idem Nazianz. 2. tract. de fide: *nil periculosiùs his hæreticis, qui cum integrè per omnia decurrant, vno tamen verbo tamquam veneni gutta, veram illam, & simplicem fidem inficiunt:* quod Hieronym. l. 3. Apolog. aduersus Ruf. *propter vnum salùm verbum, aut duo, quæ contraria essent fidei, multas hæreses eiectas esse ab Ecclesia*. Hoc quod Hilarius Pictau. libello ad Constantium Augustum conantem Arianos; & Orthodoxos in vnitatem reducere; *nec fieri potest, nec ratio patitur, vt repugnantia congruant, dissimilia conglutinentur, vera, & falsa misceantur, vt & tenebræ confundantur, dies quoque, & nox habeant aliquam coniunctionem.*

Ex Sanctis Patribus.

65

Hoc

Hoc quod Lirinensis cap. 31. *abdicata etenim qualibet parte Catholici dogmatis, alia quoque, atque item alia, ac deinceps alia quasi ex more, & licito abdicabuntur.* Hoc demum Orthodoxi Theologi vnanimi consensu confirmant. Omitto autem aliquorum hoc commentantium varias illas, & solitas curas de potentia absoluta; de his in scholasticis. Nunc superest, vt ratione etiam S. Thomas assertum stabiliat.

651 Qui propter aliquam causam, & motiuum, seu propter aliquam, vt scholæ vocant, rationem formalem alicui rei assensum præstat, nequit interea dissensum saltem præstare, vel dissentire alteri, in qua eamdem causam, idem motiuum, eamdem rationem formalem assentiendi videt, & conspicit; mox dicam, an possit saltē non assentire. Hoc principium terminos penetrantibus puto esse notissimum, & manifestissimum. Nequit quis dicens hunc triangulum habere tres angulos duobus rectis æquales, quia triangulus est, alium videre triangulum, & dicere illum habere tres angulos duobus rectis non æquales, sed maiores. Item nequit ex duabus conclusionibus sub eodem principio æqualitèr contentis, & quas ipse conspicit contineri, alteram affirmans, alteram simul negare: & si quis vnum aliquid negat, & aliud affirmat, ostensa in vtroque identitate rationis habetur pro conuicto. Forma similiter syllogistica in nulla, vel in omni materia concludit. Iudex causam aliquam definiens omnes illas definire censetur, in quibus ipsamet prorsùs ratio militat decidendi. Quæ cum sint notissima, & certissima, ratio etiam, vel explicatio est in promptu; quicumque enim rei alicui assensum præbet propter motiuum, vel principium aliquod, putat rem esse veram, & verificari ab illo: & ideò assensum præstat: ergo eidem vero in re alia apparenti nequit dissentire, & approbare simul, & reprobare eamdē probationem. *Ratio theologica.*

652 Sunt porrò quædam motiua vbique probantia, & concludētia eodem modo, & ita vniuersalissima; alia autem restrictiora, & contracta ad certas materias, certaque rerum genera. Exemplo sint authoritas humana; & authoritas, veracitasque diuina. Etenim humana authoritas non vbique probat, sed in rebus quibusdam *Quædā vbique probāt; secus alia.*

Digitized by Google

non admodum implicatis, sed rationabilibus, & credibilibus: sit Petrus quantumcumque verax: affirmat hodie futuram esse comædiam: credo: sed affirmet nunc Turcam Constantinopoli saltare, vel cælum crastino die dissoluendum; non credo, sed dissentio, nec hic dissensus cum illa fide pugnat: idemque cernitur in alijs, & in causis etiam naturalibus, quæ sphæram habent limitatam, & coarctatam.

Authoritas Dei omnia & vbique ex æquo concludit.

At authoritas, & veracitas Dei nullis cingitur terminis; omnia probat, omnia concludit, quæ dicit, in omni materia magna, vel parua; facili, vel difficili; sicut forma syllogistica, nec restringi potest, nec limitari, & quæcumque dicit, ex hoc solo redduntur rationabilia, & credibilia, vt est manifestum, ostensumq; in superioribus. Ergo qui sola authoritate Dei, & eius testimonio motus in Iesum Christum credit, nequit simul negare conuersionem aquæ in vinum, immolationē Isaac intentatam ab Abrahamo, & alia, de quibus est in scriptura manifestum testimonium Dei: item qui solo motus Dei testimonio in Christum credit, hoc ipso obligatus, coactus, necessitatusque est nulli alteri articulo dissentire, quem à Deo dictum esse satis, & per legitimum medium constiterit; qui ergo hoc non faciunt, in Iesum Christū non credunt propter Dei testimoniū; ergo nec huius quidē articuli fidem habent: concludatq; sapienter Præceptor Angelicus: *vndè* (inquit) *manifestum est, quod talis hæreticus circa vnum articulum*, ideſt, negans vnum aliquem articulum satis propositum, *fidem non habet de alijs articulis, sed opinionem quamdam secundum propriam voluntatem*; & inferius; *sed ea tenet propria voluntate, & iudicio*: vel quod idem est, illius generis fide tenet, qua etiam Dæmones credunt, & contremiscūt, licet nec adeò cohærentem, quia Dæmones licet naturali illa, nec propria fide, omnia interim credunt. Intellectui itaque hic actus est impossibilis; ego credo Deum incarnatum, ob hoc vnicè, & præcisè, quia Deus id dicit; nil autem aliud credo, vel hoc aliud non credo, vel etiam nego, licet videam id, quoque esse à Deo dictum. Ergo positio Nouatorum secum pugnat, sese destruit, & est, ut dicunt, de subiecto non supponente: nam positio erat nera fides in Christum sine fide, imò cum dissen-

Vndè illi vel in omnibus, vel in nullo creditur.

Nihil Hæretici credunt Deo.

Digitized by Google

dissensu circa reliqua satis, ut supponimus, & per legitimum medium proposita. Ergo qui reliqua negat, in Iesum Christum non credit vera fide.

654 Quod verò sit hoc medium satis, & obligatoriè testimonium Dei proponens, & applicans, potest esse controuersia. Hoc est constans, illud debere esse certum aliquid, & infallibile in religione Christiana; nam alioqui nequit me ad fidem obligare, ut toties commõstrauimus. Ergo non sunt multa talia media inter se pugnantia, & opposita: nam duo opposita, & pugnantia nequeunt esse nec vera, nec certa, vt est euidens. Ergo est vel Ecclesia nostra, vel ciuitas vestra, vel Rex aliquis vester; non autem hæc simul omnia, cum palam pugnent, & dissentiant. Nos in præcedentibus demonstrauimus esse Ecclesiam Catholicam. Sed non sit illa: sit ciuitas vestra: hoc autem fuit hactenus concluſum, te si vera fide in Christum credis, nil interea negare posse eorum, quæ ciuitas proponit tamquam à Deo dicta, & qui solum articulum Iesu Christi sibi deligit credendum, & in reliquis modo suo sapit, nil eum fide credere; item omnes illas Christianorum partes nil fide credere, quæ talem ciuitatem non audiunt: item nil illos vera fide credere, qui ex libito Principis parati sunt religionem mutare, & affirmare, quæ negabãt, & è contra. Ergo damnantur.

655 Hæc autem non solùm Christianos inuoluunt, sed omnes cuiuslibet religionis professores. Nam ostensum fuit q. 6. & 7. doctrinam ueræ religionis non esse fundatam in sola ratione naturali, sed esse desuper à Deo datam, & communicatam. Ergo tota est accipienda, & qui totam non accipit, sed hoc approbat, & illud reprobat, non vt debet procedit, sed propria libidine, proprioque iudicio, & nimis irreuerenter se cum Deo gerit. *Fides tota accipienda.*

656 Quocirca rursus ad aliquorum etiam orthodoxorum arcendas nescio quas opiniones, illud est etiam sciendum, fidem Christianam, licet sit libera, vt explicui, non ideò à voluntate restringi posse ad vnum, vel ad aliquos articulos, ità vt simul queat negare alios satis propositos, quasi voluntas velit credere motiuo aliquo particulari alicuius particularis virtutis, quo ad cer- *Quorundam orthodoxorũ restrictiones*

Digitized by Google

certum, vel certos articulos restringatur: siue quia hunc articulum acceptat hoc medio v.g. Ecclesiæ propositũ, alterum non acceptat alio medio, satis tamen propositum, v.g. medio aliquo miraculo, vel simili. Atque huiusmodi distinctionibus res claras obnubilant, & solida principia, & realia concutiunt.

657 Hæc puto esse inania, Quicumque enim vera fide credit, debitò modo credit, vultque obligationi credendi, quæ semper præcedit, facere satis, & semper vera Dei fides est obligatoria, vt suppono, deduciturque manifeste ex præcedentibus, & in doctrina saltem, & materia religionis est manifestum. Obligatio autem ista primariò oritur ex eo, quod crediturus certò cognoscat, sibi proponi uerbum, & dictum Dei. Deindè autem animum concipit Deo obediendi, vultque obligationi facere satis. Occurrit autem deinde, quòd illi sic credenti quidlibet aliud proponatur tamquam dictum à Deo per quodcumque medium, modò sit legitimum, & sufficiens. Hoc ipso prima illa obligatio extenditur ad hunc etiam nouum articulum. Quarè est prorsùs impossibile, quod homo prius volens Deo credere, vt par est, & obligationi credendi satisfacere, dicat, vel velit simul; *nolo tamen in hoc articulo Deo credere*: & qui hoc diceret, non vt debet, crediderat primum illud, sed propria voluntate, vt ait S. Thomas, & quia sibi placet: & vno verbo sic procedit; *hoc Deo credo, quia volo; hoc autem aliud non credo, quia nolo;* quod est nefandissimũ, & impossibile. Vndè non solum est impossibile, quod vera, & christiana fide tenens vnum articulum, alteri positiuè dissentiat; sed est etiam impossibile, quod reliquos omnes non credat, & fides vnius est fides implicita omnium. Tam in indiuiso fides Christiana consistit; tam ex integro stat tota, vel cadit: tam certò annuli sunt connexi, & vestis Christi vel integra possidetur, vel integra deperditur, &c. vt Sancti Patres perorabant.

Inuitus fum.

Fides vnius articuli est virtualis fides omnium

658 Quemadmodum itaque supra dicebamus, authoritatem, ueracitatemq; Dei non esse motiuum ad hæc, uel illa dicta; ad hanc, uel illam materiam restrictum, sed uniuersale, & ubique concludens: & omnia probãs, uel nihil; sic motiuum primarium uoluntatis credendi non

Digitized by Google

non est restrictum, sed universale ad omnia dicta, & ubique obligans, quod tenetur acceptare, & consequẽter acceptat quicunque, ut debet, credit unum articulum: quicumque autem est debitè affectus circa motiuũ aliquod cuiuslibet uirtutis, nequit simul nolle acceptare aliquid saltem graue contentum sub eo motiuo: nec simul exercere noluntas potest actus proprios, & internos iustitiæ, & iniustitiæ; obedientiæ, & inobedientiæ; castitatis, & luxuriæ, & sic de cæteris; nisi aliquod aliud motiuum immisceat. At in materia fidei omnia dicta à Deo sub eo motiuo continentur; & omnia sunt grauia, quia in quocunque dicto etiam in materia leuissima, interponitur authoritas, & ueracitas Dei; & ob hoc apud omnes gentes iuramenta grauitèr obligant; nullumque est in fide peccatum ueniale ratione materiæ, Tam est in ratione etiam ipsa fundatum, quod Catholici pro sacrosancto habent, nullius illum articuli fidem habere, qui uel minutissima etiam illa, quæ de cane Tobiæ memorantur, fide non accipit, & tam consequenter est uana positio sectariorum hoc circa adeò enormitèr, uel exorbitantium uel ineptientium.

659 Hinc orthodoxi tenemus, quemcumque fidelem habere fidem implicitam omnium articulorum, & totius scripturæ. Vlterius requirimus fidem etiam explicitam, & expressam aliquorum, plurium, uel paucorum pro diuersitate statuum ipsius fidei, & post Christi quidem aduentum postulamus in omnibus expressam fidem Trinitatis saltem, & Incarnationis Verbi Dei: de quibus tractant ad 2. 2. nec de eo nunc nos agimus. Hinc rursùs dicimus, fidem non perdi, si quis error cõtra fidem simplicibus citra culpam quandoque irrepat. Hinc demùm, fidem à principio mundi semper fuisse eamdem, solumque differre pœnes majorem, uel minorem extensionem, pure, ut uocant, materialem: quatenus Deus bonus dignatus fuit plura in dies reuelare: nouissimè uerò in Filio, quam in Prophetis, abundantiùs.

Digitized by Google

Sectariorum obiectiones vanæ.

NVnc iam aduersarios audiamus. Et primo quidem opponant, nos etiam, ut nuper dicebamus, aliquorum dumtaxat principalium, ut Trinitatis, & Christi, uel similium fidem postulare explicitam, expressamque; non autem reliquorum. Quid ergo ipsi non similitèr eorumdem illorum simpliciter fidem postulent, & requirant ad salutem: reliqua uerò omittant, uel prætermittant? cui bono fides implicita? fides ipsi etiam credenti ignota? & quæ nil est aliud, quam scholarum figmentum? quid enim in scriptura de fide implicita legitur? Eadem uerò ratione obijcere etiam possunt ex ea Theologorum distinctione de directè, uel indirectè ad fidem pertinentibus. Sed uerò ex dictis est manifesta solutio; ostensum est enim, illum nil Deo uerè credere, qui paratus non est omnia credere, & in fide expressa unius articuli inuolui uirtualem, & implicitam fidem omnium. Nomen quidem fidei implicitæ in scripturis non extat: extat uerò, quod interest, res significata; nam ex scripturis nos doctrinam superiorē deprompsimus. Quæ quoniam liquida sunt ex dictis, omitto pluribus stabilire. 660

Dicant rursùs: quorum unum est baptisma, una est similiter fides; nam *vnus Dominus, vna fides, vnum baptisma*, ad Ephes. 4. nec plus unitatis fides, quam baptisma requirit: quo cuncta illa pertinent, quæ Cyprianus tum alias, tum maximè ep. 73. ad Iubaianum, & epist. 74. contra epistolam Stephani Romani Pontificis acri, & eleganti stylo conscripsit: & Firmilianus ad Cypr. epist. 75. at Christianorum omnium, exceptis saltem Cataphrygibus, & Pauliniſtis, quos 1. Synodus Nicæna can. 19. aliæque post Synodi excipiunt, unum est baptisma secundum ipsam etiam Ecclesiam Catholicam, quæ nullos alios ab hæreticis baptizatos rebaptizat: una est ergo similiter fides Christianorum omnium; & sicut quorumlibet ualet, sufficitque baptisma, sic quorumlibet ualet, sufficit quefides. Ecce quales sectarijs suppetias attulimus. At pergant, & dicant, 661

unam

Digitized by Google

vnam etiam esse, & sufficere fidem Paganorum; scilicet secundum Ecclesiam Catholicam Paganus etiam potest validè baptizare. Vnitas ergo baptismi non ab vnitate fidei sumitur, sed ab vnitate formæ præscriptæ in euangelio: quam qui seruant, in vnitate baptismi nō deficiunt: secus qui variant. Sicut ergo in forma illa variantium, & pugnantium non est vnum, nec vllum baptisma, & idcircò Cataphrygum, & Paulinistarū nec ualet, nec sufficit baptisma; sic nec uestra valet fides, nec sufficit, qui pugnatis, nec Christianorum omnium adeò in credendo, & in ipsa fide dissentientium.

662 Enimuerò producunt iam, & minutatim percurrunt integra quatuor euangelia; quorum finis, scopus, & substantia tota est, vt credatur in Iesum Christum: *hæc scripta sunt*, inquit Ioann. cap. 20. *vt credatis, quia Iesus est Christus Filius Dei, & vt credentes vitam habeatis in nomine eius*. Et rursùs Ioannes ep. 1. cap. 4. *in hoc cognoscitur spiritus Dei: omnis spiritus, qui confitetur Iesum Christum veniße in carne, ex Deo est*. & item Ioann. 11. *omnis, qui viuit, & credit in me, non morietur in æternum*: hæc quippè sunt omnibus alijs significantiora; & deindè nulla euangeliorū facta discussione, nos vltrò fatemur, totius fidei scopum, & finem esse fidem in Deum, & in Iesum Christum.

663 Nisi futurus essem prolixus, totum horum hominum discursum, & processum producerem; mox illi cōferrem alium Fausti Manich. apud August. lib. 2. vt videret lector, vtri simili fermè via ampliùs delyrarent. Faustus scilicet verus in primis testamentum respuebat, quippè quod ad Iudæos pertinere, non ad nos ex gentibus venientes aiebat: mox relictis, vel etiam reprobatis reliquis, vt isti articulum solum Iesu Christi, ipsi euangelium dumtaxat Iesu Christi acceptabat; illa porrò ad euangelium pertinere volebat, quæ prædicationē tantum Christi concernunt; non autem antecedentia, de natiuitate, vel origine Christi, &c. *At verò genealogia* (inquit) *adeò non est euangelium, vt nec ipse eius scriptor ausus fuerit eam euangelium nominare. Quid enim Matthæe scripsisti? Liber generationis Iesu Christi. Non ergo liber euangelij Iesu Christi, sed liber generationis, &c. Ac denique Marcus, qui generationem scribere non curauit, sed*

Digitized by Google

prædicationem, vide, quam sit competenter exorsus, euangelium, inquit, Iesu Christi; & alia insaniēs quidem, sed haud minori sanè ingenio, quam sectarij: satius credo fuisset si cæptis Fausti institissent, & sicut ille demptis cæteris ex sola prædicatione euangelium confinxit, dempta denuò prædicatione euangelium ipsi reducerent ad solum nomen Iesu Christi; clausulæ enim illæ vrgentiores, & nuper obiectæ nil de passione, nil de morte, vel resurrectione Iesu Christi referunt, sed solùm docent credere in Iesum Christum: si autem vos articulos Iesu Christi sine reliquis ritè creditis, cur alius ritè in Iesum Christum non credat, quin natum illum credat ex Maria Virgine, passum, mortuum, & resuscitatum? quæ tamen vos omnia requiritis. Quid rursus euangeliū appelletur, quod credendum non est, sed impunè non creditur, vel etiam negatur? Ac denique, quò Faustus respexit, specioſa vox apud Christianos est credere euangelio; sicut quo sectarij respexerunt, specioſa est credere in Iesum Christum. Ergo agite, & euangelium, non ad solium, vt dicebam, sed ad verbum vnum reducite. Faustus quidē in eo fuit & ingenioſior, & circumspectior, quod à scriptura, & ab euangelio tolleret, quæ credere recusabat: videbat enim esse per se notum inter Christianos, scripturæ, vel euangelio resisti non posse; imò non posse non credi sine scelere.

Vestra porrò probatio est puerilis, & nimis vt 664
aiunt, probans, vt notaui: est millies à Sanctis Patribus retusa; latiùs verò à Sancto Augustin. lib. de fide, & operibus cap. 5. scilicet adducitis aliqua scripturæ, & alia omittitis: nos autem ex ipsamet scriptura euicimus, alia quoque nobis necessariò credenda in illa proponi: quo de vitio hæreticorum plena sunt volumina, vbi de insufficientia fidei sine operibus disceptatur. Ostensum est præterea, illum haud vetè credere in Iesum Christū, qui Iesu Christo non credit; qui Deo non credit; at Deus, & Iesus Christus multa præter hoc dixerunt; vniuersa scilicet scriptura est modo iam expoſito verbum Dei. Quare adducta loca quoad fidem attinet, planè, & sine explicatione admittimus: qui enim in Iesum Christum verè credit, totam consequenter scripturam credit, vt est commonstratum. At, an sola fides ad salutē

sine

Digitized by Google

sine operibus sufficiat, causa est, quam euidentissimè orthodoxi demonstrant: at nostra non est, nec pro dignoscenda vera religione necessaria. Interim cõstet, nõ quamlibet nec Christianam quidem religionem ad salutem sufficere.

QVAEST. XXXVI.

Vtrum ergo saltem per accidens, & per ignorantiam vel vnus aliquis saluari queat extra veram religionem, & Ecclesiam?

665 HOC ex loco pientiores quidam Theologi, sed nihil planè profutura indulgentia, multorum populorũ ignorantiæ succurrere conati sunt: hoc proindè effugiũ occludendũ est diligentissimè. Putarunt eos, harum rerum tam ignaros, ac miseros saluari in quacunque religione, si probè in ea se gesserint, nihilque graue saltem, contra rationem naturalem admiserint. Quod vt dicerent, argumenta habuere popularia satis, atque plausibilia. Primò prodũt solitum illud, ac vniuersale ad omnia Dei misericordiæ propugnaculum, de quo haud præsumere liceat tam dura, vt similes omnes condemnet. Deindè omnibus nullo excepto media ad salutem necessaria, ac sufficientia concedi, fert ipsa Christiana religio: at innumeris veræ religionis nulla prorsùs notitia conceditur, & eam altissimè ignorant pmulti. Hi ergo suam ob ignorantiã, si cætera seruẽt, saluãtur sine vera religione. Hinc denuò necesse est, vel Deum in sua prouidentia inculpare, vel omnes illos saluare: nam illi citra culpã omnem, veram religionem ignorant, nec in mentem quidem venerat vnquam priscis, v. g. Laponijs, essetne in mundo Christiana, vel Catholica religio; ergo citra culpam illa caruere; ergo vel sine illa saluari potuere,

Fundamẽta affirmandi.

Digitized by Google

& hoc asserunt; vel sine culpa condemnantur; quod magnum esset diuinæ prouidentiæ crimen. Præterea quia Deus vult omnes homines saluos fieri, gratia vero sufficiens est ad id necessaria, nulli eam negat: ergo si similiter esset necessaria vera religio, nulli eam denegaret; at infinitis denegat; non ergo eo rigore est necessaria, & solum illi condemnantur, qui fide satis ipsis proposita, nolunt tamen credere, vel audire: at reliqui, quibus numquam est proposita, non ea de causa condemnantur, ac in tuto erunt, si rationi naturali in cæteris obtemperabunt, legem totam naturalem adimplebunt: cuius vel opinionis, vel placiti fundamenta alia decursu quæstionis proferentur, cum dissoluentur.

Hæc fortè non tam essent miranda, nisi vlteriùs 666
processissent. Quid enim si quis inter gentes miserandus crimen admittat aliquod, furetur, vel occidat? Nimirùm misericos Deus vult etiam, peccatores conuerti, & resipiscere, & saluos fieri, vt Catholicis omnibus est in confesso, & sancta scriptura toties ingeminat: unde sicut innocenti Deus præstat media ad innocentiam seruandam necessaria, ita peccatori nulli illa ad pœnitentiam non confert. Ergo etiam peccatoribus illis ueram religionem ignorantibus subueniendum est. Et subueniunt quidem libentissimè; nam aiunt, eos posse Deum super omnia diligere: quo præstito, omnia planè sunt in tuto; cum ex diligentibus Deum super omnia pereat nemo. At in eo aiunt, eos esse miserandos, quod cum ea dilectio tam sit habitu difficilis, ac ardua, rarum fit apud ipsos, ac perdifficile peccatoribus remedium; sed uerò Catholicis est obuium ubique, & facile Sacramentum pœnitentiæ. Ex his autem distinctionem facient necessitatis fidei uel in re, uel in uoto, ut de alijs quoque rebus distingui solet, & quæcumque de necessitate fidei adducuntur, intelligenda dicent de fide uel in re, uel in uoto; dilectionem uerò illam Dei super omnia à Gentili, uel Mahometano habitam esse fidem, ac ueram religionem in uoto. Vel etiam de habitu fidei explicabunt, quem dilectio secũ necessariò affert.

Asser-

Digitized by Google

Aſſertio negatiua.

657 His tamen non diſſentiendum modò, ſed fortiſſimè etiam obſiſtendum cenſeo, tenendumque animitus, ſine vera fide Chriſtiana in re, quæ ſola veram religionem fundat, ſaluari prorsùs neminem. Illud quidē eſt diſcriminis adultos inter, ac pueros; quod his fides ſolum in habitu ſufficiat; adultis tamen, ac rationis, & perfectæ deliberationis compotibus actualis, non vtique ſemper in actu conſeruata, virtualiter tamen continuata, numquamque retractata ſit neceſſaria.

668 Sed quid fidem Chriſtianam appello? Illam profectò, quam nemo fidelium ſaltem opinionibus non corruptus non ſatis intelligit; qua vnuſquiſque credit in Ieſum Chriſtum Filium Dei; qua aliquid Deo dicenti credimus, & ſuper omnia credimus, ſupra rationem naturalem, ſupra rationis dictamen, ſupra Philoſophiā, & cuncta ſimilia; quà populus olim Iſraeliticus fidelis erat, qua populus Chriſtianus fidelis eſt, quæ fides vna, ſicut baptiſma dicitur, & qua Hæretici, & Mahometani, ac infideles vniuerſi docti, & indocti carent. Hanc fidem voco, ne vocibus eludar; quæ intra Catholicam Eccleſiam eſt, & præterea nullibi; idcircò excludo omnem actum naturalem: excludo etiam actus neſcio quos ſupernaturales, quos quidam vbique inducunt, qui non ab obiecto, ſed à ſolo principio ſupernaturales ſint. Hos in genere omnes reieci in ſcholis, vt philoſophiæ, theologiæque valdè diſſentaneos, & quibus admiſſis nihil ſit in tuto. Nunc eos in præſentia excluſos volo; non enim principium, vel cauſa actum facit fidei, vel non fidei; nec ſcientia fides eſt, nec fides humana in diuinam trāſit, ac vice verſa, quidquid principia cuncta commutes, centumque ponas efficientes cauſas ſupernaturales. Ego verò fidem diuinam requiro, cuius eſſentia ſit Deo credere; imò quæ aliqua etiam obiecta ſupernaturalia, maximè verò Chriſtum Deo credat, vt decurſu conſtabit. Hanc fidem prorsùs ad ſalutem requiri, neceſſariamque eſſe neceſſitate medij vera Theologorum fert ſētētia; & contrarium, ſi quid mihi iudicare datur, meritò

Digitized by Google

ritò Canus in relect. affirmat erroneum, & fortè hæreticum; eneruat enim euangelium, & quidlibet quomodolibet prophanandi occasionem suppeditat.

Probatur ex Apostolo.

Hanc fidei necessitatem Paulus præsertim Apostolus tam disertè, tamque vehementèr multis in locis edocuit, vt haud difficiliùs, si placeat, me explicare possint, quam illum, desperandumque certè sit quid, quam scripturis conficere, si hoc non conficitur. Est in primis manifestum minax illud cap. 3. ad Galatas: *O insensati Galatæ, quis vos fascinauit obedire veritati?* Ecquod verò fascinum Galatarum? Dicam; aiebant, ex operibus legis posse homines iustificari, ac Spiritum sanctum accipere. Quid tunc Paulus? *Hoc solum volo à vobis discere: ex operibus legis spiritum accepistis, an ex auditu fidei? Sic stulti estis, vt cum spiritu cœperitis, nunc carne consummemini?* Et mox. *Qui ergo tribuit vobis spiritũ, & operatur in vobis virtutes, ex operibus legis, an ex auditu fidei? Sicut scriptum est; Abraham credidit Deo, & reputatum est illi ad iustitiam. Cognoscite ergo, quia qui ex fide sunt, ij filij Abrahæ: prouidens autem scriptura, quia ex fide iustificat gentes Deus, prænuntiauit Abrahæ, quia benedicentur in te omnes gentes. Igitur qui ex fide sunt, benedicentur cum fideli Abraham; quicumque enim ex operibus legis sunt, sub maledicto sunt; scriptum est enim, &c.* Ac mox. *Quoniam autem in lege nemo iustificatur apud Deum, manifestum est; quia iustus ex fide viuit.* Et post aliqua. *Sed conclusit scriptura omnia sub peccato, vt promissio ex fide Iesu Christi daretur credentibus, &c.* Euidentissimum Christianis est, & indubitatum, nullam legem naturalem, vel sine fide aliam sanctiorem, valentioremque esse vel ad iustificandum, vel ad saluandum lege veteri Iudæorum, cum eam ab ipso Deo datam, & credamus, & fateamur. Quæ ergo Paulus de illius legis insufficientia premit, comprehendant, necesse est, à fortiori leges alias omnes, ac religiones. At Paulus insensatos, fascinatosque illos perhibet, qui putabant, iustificationem, vel salutem ex lege illa, ac eius operibus sine fide haberi posse. Tu nunc vide; quid de illis dicturus foret, qui asserunt, ex sola legis naturalis obseruantia non solùm sine fide, sed cum fide, vel infidelitate etiam contraria, Christo aduersa, v.g. Mahometana, vel Iudaica,

669

Digitized by Google

daica, vel etiam Gentilica iuſtificationem, vel ſalutem contingere poſſe. Eos deindè ſolùm vult Paulus eſſe Abrahæ filios, qui ex fide ſunt; eos autem benedicendos, qui illius ſunt filij, quia in eo benedicendæ erant Gentes; at qui fide à nobis expoſita, & propoſita carent, non ſunt ex fide: dicamus clarè; Mahometanus, Iudaicus, idololatra non eſt ex fide. Ergo non eſt filius Abrahæ, nec benedicitur, ſed perit. De qua deindè fide Paulus agat, eſt apertum, ſcilicet, qua creditur Deo, atque Abrahamus crediderat ad iuſtitiam. Ergo reliqui omnes ſub maledicto ſunt.

670 Exponenda ſunt hæc magis ob duorum errorum confinium, vt vitetur vterque. Alter eſt ſectariorum, qui hoc ex loco Apoſtoli, ac ſimilibus (ſunt enim innumera) inferunt, ſolam fidem iuſtificare, & ſaluare; bona verò opera vel eſſe nulla, vel conferre nihil ad iuſtitiam, vel ad ſalutem. Alter erat tempore Pauli ſatis feruens, de quo ad Galatas, ad Epheſios, Romanos, Hebræoſq; ſcribit, dicentium, opera legis etiam ſeorſim à fide ad vtrumque illum finem iuſtificationis, & ſalutis valere, quin ideò fidem etiam condemnarent, ſed vellent hinc fidem, hinc opera ſimul legis tutari, defendereque, ſiue utramque conciliare, ac ſimul neceſſariam dicere; & fundamento quidem, ut uidebatur, non inhoneſto, cum lex quoque, ſicut fides, fuiſſet à Deo donata. Hunc Paulus errorem ita impugnat, ut nec in totum, nec in partem ea opera admittat ad iuſtificationem, ipſam circumciſionem præputio conferens, & utrique uim omnem denegans; nam *in Chriſto Ieſu neque circunciſio aliquid valet, neque præputium*; ſub præputio autem omnes alias leges, quæ præter Iudaicam eſſent, aut eſſe etiam poſſent, complectitur; an enim ibi non intelligas, neque Mahometiſmus aliquid ualet, neque hæreſis, nec lex naturalis? Vnicè ergo, & ex integro fidei adſcribit totam Prouinciam, ut patet tum in adducto, & ponderato loco, & ſequentibus capitibus 4. 5. & 6. in quibus id unum agit; tum multoties in reliquis citatis epiſtolis. Hinc ſectarijs occaſio deſipiendi, & opera bona remouendi. At uerò ultrò ijs libuit inſanire; Paulus enim opera quidem excludit legis, non fidei; ut ex innumeris eius locis patet, & in nuper adducto, *in Chriſto*

Ieſu

Digitized by Google

Iesu (inquit) *neque circumcisio aliquid valet, neque præputium, sed fides, quæ per dilectionem operatur.* Fidem ergo operantem requirit; fidem non operantem, ac charitatis vacuam inutilem edocuit, æri sonanti, ac cymbalo tinnienti contulit; *si charitatem non habuero, nihil sum*, inquit: charitatis, vel fidei per dilectionem operantis opera exposuit: quibus coronam iustitiæ adscriberet: opera porrò fidei illa sunt, quæ ab ipsa proficiscuntur, suntque ab illa vel præcepta, vel consulta. Sed nunc non de hoc tractamus, quod est euidentissimum; sed de excludendis operibus omnibus à fide, ab eiusque spiritu non promanantibus, quibus cum Apostolo vim omnem negamus ad iustificationem, & salutem.

Sed verò occurrebat difficultas, qua intentio tota 671
Pauli, tantaque probatio corrueret. Siquidem per legē, illiusque obseruantiam iustificatæ videbantur tot illæ Deo amicissimæ animæ, quæ tempore legis insignes extitere præclarissimis virtutibus. At occurrit Paulus, & ad Galatas, luculentiùs porrò ad Hebræos c. 11. hanc non modò oppositionem disiecit, sed denuò operum, quorumcumque, quæ fidei non sint, ad id finis inefficaciam, ineptitudinemque commonstrauit. Ergo ab Abele Adæ filio exorsus longam illam illustrium animarum seriem contexuit, omnes fide Deo placuisse contendens, scripturæque id testimonijs demonstrans, illamque statuens vniuersalissimam assertionem, *sine fide autem impossibile est placere Deo*. Imò verò, quod sapientèr notat Valentia disp. 1. quæst. 2. punct. 2. cum nihil de fide Enoch scriptum extaret, tamen tùm cæterorum inductione, tū ex vniuersali necessitatis fidei principio sanxit, eum quoque fide fuisse translatum; probat enim; *quia ante translationem testimonium habuit placuisse Deo*: minorem subdit: *sine fide autem impossibile est placere Deo.* Deindè cap. 3. ad Galatas ad credentiū Hebræorum reuincendum errorem de necessitate, vel valore legis, vt Chrysostomus ibi notat, consultò Abrahamum prodit, qui ante datam legem tantoperè Deo placuerat, non vtique ex lege, quæ nondum erat, sed ex fide, qua Deo crediderat. Hìc porrò ad Hebræos altiùs originem repetit ab Abele orsus, & Enochum etiā, Noemumque præmittens Abrahæ; tum. vt contra quā

exi-

Digitized by Google

existimabant, fidem lege priorem euinceret; tum vt indè concluderet, sicut priores, sic & cæteros temporis legis sanctos non legis operibus, sed fide, atque eodem fidei spiritu Deo placuisse.

672 Cum hæc ita sint, nullibique tam multus, tamque vehemens Paulus fuerit, ego planè non mirari, vel etiã commoueri non possum, quòd apud Christianos homines id nunc probare tenear, opera sine vlla vera fide vbicumque, & quomodocunque peracta ad iustificationem, & salutem non sufficere. Ergo Enochus placere Deo potuit, & inepta est argumentatio Pauli: ipse causatur, sine fide impossibile esse placere Deo: sed iam hi homines inuenerunt, qua ratione multi Deo sine fide placere queant; Paulus valeat; nam, quod plus est, inuenerunt, quo pacto non solùm sine fide, sed cum infidelitate etiã, quo pacto Hæreticus, Mahometanus, Iudæus, idololatra placere Deo, & Christo valeant.

673 Error, inquis, quem tanto orationis molimine oppugnat Paulus, haud erat, legem, eiusque obseruantiam ad iustificationem, vel salutem valuisse, sed erat, obseruantiam legis coniungendam simul esse cum fide, & ita credendum in Christum, vt simul lex retineretur: nihil ergo hinc sumere licet contra eos, qui non hoc dicunt, sed eum, qui ignorans Christum, legem tamen naturalem in religione sua obseruat, etiam sine fide saluandũ. Enimuerò sapientiores putant, duos fuisse errores, alterum hunc nuper propositum; alterum, quo dicebatur, legem, illiusque obseruantiam sufficisse: imò hic videtur origo fuisse alterius erroris. Sed error fuerit, quem voles: certè apertum est, Paulum, vbi illius authoritas integra erit, vtrumque stirpitus conuulsisse, siue quia, is duplex error extiterat; siue quia, licet vnus ille propositus extitisset, eum nullo ex principio euellere efficaciùs potuisset, quam demonstrans operum quorumcunque ex fide non prouenientium inutilitatem, eosque etiam ipsos, qui in lege Deo placuere, non lege, sed fide Deo placuisse, ostendens.

674 Licet his euidentissimè demonstrata videatur, & nostra, & Pauli asseuerantissima assertio, sine fide scilicet impossibile esse placere Deo, sine fide, inquam, illa verissima, theologica, & diuina, quam Paulus tantope-

Digitized by Google

re versat, & explicat, ne illusoria aliqua fidei appellatione nos hic distineant, ad maiorem tamen perspicuitatem, splendoremque alia ex eodem percurramus, vel eadem denuò vrgeamus. Ergo Paulus ad Romanos, ad Galatas, ad Hebræos, vt errores illos amputaret, eumdem ter textum resumpsit ex Abacuc Propheta cap. 2. *iustus autem ex fide viuit*; vnde qui ex fide non viuit, iustus non est: non viuit, sed mortuus est; qui item non ex fide, sed aliundè vel ex lege, vel vndecumque operatur, iniquitatem, non iustitiam operatur. Sicut itaque nos hoc aeris respiramine viuimus, sic iustus quisque spiritu fidei viuat, necesse est: nam vt vitam iustitiæ ducamus, opus est, moueamur, ducamurque æternis, futuris, & non visis, nec notis, sed solùm creditis momentis, cautisque. Hæc porrò aliud nunc esse non habent nisi fidei: hinc sublimis illa fidei definitio eiusdem Pauli, *sperandarum substantia rerum, & argumentum non apparentium*: nec enim sperata, & non apparentia illa bona, quibus solis vita iusti innititur, aliud nunc esse, fundamentum aliud, veritatem, consistentiamq; aliam habent, nisi quod ita ea esse, & fore, fides statuat, tradatque; qua proindè sublata, tota iustitiæ series corruit, vtque idem Paulus 1. ad Corinth. 15. premit, sperandarum rerum, ac resurrectionis sublata fide, *miserabiliores sumus omnibus hominibus*, nec vita iusti prudens, ac laudanda, eligendaque veniret, sed deploranda, si tamen, quod fieri nequit, ea subsisteret. Ergo vita iustitiæ est impossibilis sine fide. Obtrudat hic humanus fastus rationem illam suam naturalem, in qua Deus, & diuina, speranda, & non apparentia bona, quibus vita iusti ducitur, esse habeant; sitque tam magna illa ratio *sperandarum ipsa quoque substantia rerum, argumentum non apparentium*; & sileat Paulus. Hoc ex fastu, vt deploramus toties, in doctrinâ, moresq; mala multa deriuantur; iure naturæ iura omnia eliduntur, ratione naturali, ideſt, eo prætextu scripturæ omnes alterantur: ad Paulum accedunt, non vt credant, sed vt interpretentur; non vt illi rationem, sed vt rationi illum accõmodent, non tam deliberato cõsilio, quod scelus esset, quam facto. Verùm ab operis principio his vel rationalitis, vel naturalitis nos bellum indiximus; demon-

stra-

Digitized by Google

ſtrauimus rationis,& naturæ ſine fide inualentiã,ineptitudinemque ad diuina,ad æterna, ſumma,atque futura quæque: quorum proindè eſſe in ratione naturali ſola inconſtans, dubium, intricatum,plenumque erroribus, ac abſurdis foret, & fuit : nulla illorum ſubſtantia eſſet ratio ſola,nullum conſtans argumentum, imò vix accidens, quod abeſt,& adeſt, vocari mereretur. Vt ergo nulla religio, vt multis ſuperiùs oſtendimus, in ratione naturali ſola, ac ſine fide fundari poteſt, ſic nulla probitas,nulla iuſtitia in lege ſola naturæ ſine fide extruitur,niſi,quod abſonantius foret, velint, ſine religione etiam vlla iuſtitiam conſiſtere, & Atheiſtas quoque in tuto locare. Nobis tutiora ſectari placuit, & Paulum ratione conſequenti, quod quiſque facere tenetur, vt oſtẽdimus, auſcultare,& quæ dicit,credere,licet rationi noſtræ inintelligibilia forẽt, & aliud nobis videatur, nec probatio ſuppetat, imò neque explicatio, neque defenſio: nam alteri dabitur. Claudat ergo argumentationem totam Paulus nos viam noſtram edocens; *per fidem enim* (inquit) *ambulamus*: qui quippè ad ſalutem non ambulat, iuſtus non eſt: ſicut porrò omnis alia felicitas,& ſalus, quæ per ſpeciem non habebitur, commentitia prorsùs eſt, ſic omnis alia via,quæ fidei non erit,eſt planè omninò fictitia, ac parùm chriſtiana.

675 Fruſtrà eſſet, quod quamplura alia ex ſacris libris adijcerem, quæ ex dictis ſunt vnicuique obuia, & ſi adducta non valeant,nihil ſuffecturum exiſtimo. Qua etiã de cauſa Patres hìc omitto; licet mox in eamdem ſententiam cumulandos. Omnem certè tergiuerſandi locũ videtur demùm fuſtuliſſe Tridentinum Concilium:nam ſeſſ.6.cap.7. ait de fide, *ſine qua nulli vnquam contingit iuſtificatio;* & cap.8.*Cum Apoſtolus dicit, iuſtificari hominem per fidem,& gratis,ea verba in eo ſenſu intelligẽda ſunt, quem perpetuus Eccleſiæ Catholicæ conſenſus tenuit, & expreſſit,vt ſcilicet per fidem iuſtificari dicamur, quia fides eſt humanæ ſalutis initium,& radix omnis iuſtificationis, ſine qua impoſſibile eſt placere Deo, & ad filiorum eius conſortium peruenire.* Iam ſi iſta per illud *per ſe*,& *per accidens* libet eludere, libeat planè,ac peccatum originale, neceſſitatem gratiæ, charitatis, redemptionis, & ſacroſancta quæque diſtinguant,& prophanent.

Digitized by Google

Prima, quia extra Eccleſiam non eſt ſalus.

PRima. Soli ſaluantur, qui ſunt intra Eccleſiam: at nullus eſt intra Eccleſiam ſine vera religione, & fide, puer quidem ſine illa in habitu; adultus ſine illa in habitu, & actu: nullus ergo ſaluatur ſine vera religione, & fide. Sola maior videtur oſtendenda, vbi cætera tam ſunt manifeſta. Parabolæ primùm, quibus Eccleſiã Chriſtus ſuam deſignauit, eam euincunt, vt area tritici, vt ſagena miſſa in mare, congregatio decem Virginũ, & aliæ: nam nullum triticum niſi ex area illa legitur in horreum mitti, nulla piſcium electio, niſi ex ſagena, nullæ Virgines niſi ex decem illis ad nuptias deliguntur: nullus ergo ad regnum, niſi ex Eccleſia deſumitur. Eſt in eamdem ſententiam validus etiam, ac notus locus Petri epiſt. 1. cap. 3. *cum fabricaretur arca, in qua pauci, ideſt, octo animæ ſaluæ factæ ſunt per aquam. Quod & vos nunc ſimilis formæ ſaluat baptiſma.* Per arcam Eccleſiam intellectam volunt plerique omnes, in quam quiſque medio baptiſmate ingreditur, & admittitur, licet ſenſus Eccleſiæ (cui ſtandum eſt illibatè) præter baptiſmum aquæ, ſeu fluminis, baptiſmum quoque sãguinis, & flaminis admiſerit, at nullum in pueris ſine fide in habitu, nullum in adultis ſine fide in actu, ne nobis infidelium hìc, & Mahometanorum baptiſmum aliquem confingant. Sicut ergo in diluuio nemo non extra arcam perijt ſine vlla exceptione, ſic in mundo prorsùs nemo extra Eccleſiam non perit. 676

Rem Sancti Patres tamquam indubitatam confirment: Hilar Pictau. can. 13. in Matt. *ſedens in nauicula, &c. In parabolis enim erat locuturus, & facti iſtius genere ſignificat, eos, qui extra Eccleſiam poſiti ſunt, nullam diuini ſermonis capere poſſe intelligentiam; nauis enim Eccleſiæ typum præſefert, intra quam verbum vitæ poſitum, & prædicatum, hi, qui extra ſunt, & arenæ modo ſteriles, atque inutiles adiacent, intelligere non poſſunt.* Cyprianus nullibi tanta ſermonis mole diſſeruit toto lib. de vnitate Eccleſiæ: & aliàs, *an ſecum eſſe Chriſtum, opinantur, qui extra Chriſti Eccleſiam colliguntur? Tales etiam ſi occiſi in* 677

con-

Digitized by Google

confessione nominis fuerint, macula ista nec sanguine abluitur; inexpiabilis, & grauis culpa discordiæ nec passione purgatur: esse martyr non potest, qui in Ecclesia non est; ad regnum peruenire non potest, qui eam, quæ regnatura est, derelinquit. Grauis, pulchraque illa est etiam sententia; *habere iam non potest Deum Patrem, qui Ecclesiam non habet Matrem. Si potuit euadere quisquam, qui extra arcam Noe fuit, & qui extra Ecclesiam foris fuerit, euadit.* Dies me deficeret, si quæ Cyprianus hanc in sententiam contulit, vellem percurrere. Hieronymus in Ezech. lib. 7. in cap. 23. contestatur. Augustinus epist. 49. *Ita salus religionis huius, per quam solam veram salus vera, veraciterque promittitur, &c.* Item libro de patientia exponit patientiam, qua schismaticus, uel hæreticus, *ne Christum neget, persecutionem, pericula, carceres, vincula, tormenta, gladium, vel flammas, vel ipsam crucem patitur timore gehennarum.* Hæc non culpanda docet, sed laudanda; nihil tamen profutura ad regnum, secùs *ad extremi iudicij tolerabiliùs supplicium subeundum.* Mox anxius quærit, num donum Dei sit ista patientia? *ne fortè*, si asseratur, *hi, quibus inest, etiam ad regnum pertinere credantur.* Vide, quod Augustinus absurdum timeat, ne scilicet sequatur, aliquos extra Ecclesiam mortem etiam pro Christo passos ad regnum pertinere: sint interea, qui hæreticorum integros etiã populos nihil tale pro Christo passos ad regnum spectare tam vltrò credant. Augustinus patientiam illam concedit donum quidem esse Dei, at non filiorum illius Hierusalem, *quæ sursum libera est Mater nostra*: sed ex ijs, quæ filijs quoque concubinarum contingunt, *quibus Iudæi, Schismatici, vel Hæretici comparantur; quamuis enim scriptum sit; eijce ancillam, & filium eius: neque enim hæres erit filius ancillæ cum filio meo Isaac, & Abrahæ dixit Deus, in Isaac vocabitur tibi semen, vt intelligeremus, semen Abrahæ secundum Isaac propter Christum ad Dei filios pertinere, qui sunt corpus Christi, & membra, id est, Ecclesia Dei vna, &c.* Tamen *etiam filios concubinarum, quando à filio suo Isaac diuidit Abraham, nonnulla eis largitus est munera, ne relinquerentur omninò inanes, non vt tenerentur hæredes, &c.* Hinc inferas, vel Sanctissimos hos Patres, sapientissimosque fuisse, quod absit, audacissimos,

ac

Digitized by Google

ac temerarios, qui pro Christo etiam occisos condemnarint, vel eos, qui hic aliud sentiunt, & tam facilè saluant, esse, ne quid dicam acerbius, inconsideratissimos, & hac in parte ignorantissimos: quibus alios Patres proponere desino, si his obsistent, nihil planè profuturos. Cum itaque corpus Ecclesiæ fidelium fide coalescat necessariò, licet charitatem etiam modò superiùs declarato requirat, efficitur, omnes cuiuscumque alterius professionis, & religionis homines præter religionē Catholicam, nunc extra Ecclesiam esse, post extra regnum futuros.

Secunda ex persuasione fidelium.

Secunda ratio conficitur ex persuasione fidelium, 678
qui scriptum in cordibus habent verissimum illud actuū 4. *nec enim aliud nomen est sub cælo datum hominibus, in quo oporteat, nos saluos fieri*, quam apertissimam veritatem nec ipsa, vt supra vidimus, corruptissima Anglicana professio ausa est prophanare. Iam Missionarios omnes Apostolicos rogate, quærite, eccur in Iaponiam, in Indos, in Persas eant, tot maria, tot discrimina, mortes tam diras deuorent? Anne, vt illi barbari, indocti, rustici, ignorantissimi saluari queant facilius? Non hoc respondent, non hoc prædicant: religionem se afferre dicunt, sine qua, & extra quam omnes pereunt, seruetur nemo. Hoc, qui mittuntur, deprædicant; hoc, qui mittunt, habent persuasissimum, quia *non est datū aliud nomen sub cælo, &c.* nec apud Indos, nec Barbaros, nec vspiam terrarum. Illis, inquis, ignorantibus, & peccatoribus simul cum fide deserunt remedium facile Sacramenti pœnitentiæ, propter difficultatem charitatis alioqui perituris. Mirandum, quod hoc teneamur confutare. Primùm ergo, si quos inuenerint sceleris innoxios, eos relinquant, quibus non est tam difficilis futura dilectio. Omnes præterea dimittendi forsitan forent, nam cum fide, & Sacramento pœnitentiæ totam simul Christianam legem inuehunt, tam difficilem planè, & arduam, vt magna hinc illis salutis difficultas excrescat, nec fortè minor, quam quæ ad Dei dilectionem inerat, si illam sine fide, vt tam vltrò opinantur, habere valent. Quid si fortè Mahometani, ac barbari quoque alij, quibus ex legibus suis ea fermè cuncta licent, quæ appetunt, facilius, atque plu-

ries

Digitized by Google

riès leges illas seruant, quam seruarent Christianam? Si ergo sua eos excusat, vel saluat ignorantia, relinquendi fortè sunt, vel deliberandum, & nugandum in summa rerum, ac mensuranda hinc inde commoditas. Quid deinde, si citra veram fidem charitas haberi potest, cũ sectariorum populi haud tam ignari existant rerum diuinarum, atque sua illa humana, ac spuria, qualem exposuimus, fide ipsi quoque diuina bona meditentur, tã inaccessa eis dicatur Dei dilectio? His ergo quid verã fidem prædicemus? quid tot orthodoxorum leges adijciamus, quibus violatis non parùm impediantur? Ex terminis præterea ipsis est dissonum, fidem ad salutem non esse simpliciter, vt vocant, necessariam, sed ad facilius, vel ad melius. Absre porrò hic est necessitas præcepti; vt supponitur, patetque ex dictis. Quorsùm rursùs fideles tam impensas Deo nostro gratias habeamus pro fidei beneficio, tanquam alioqui perituri? Sensus ergo Ecclesiæ incorruptus hac fine fide gentes saluandi inania planè pronuntiata condemnat.

679 Tertia sic extruitur. Sine gratia Christi iustificatur, vel saluatur nemo. Ergo sine fide Christi iustificatur, vel saluatur nemo. Antecedens inter fidei dogmata sancitum est. Porrò consequens eædem omnes causæ commonstrant. Si namque scripturas lubet consulere; haud expressiùs, nec pluries gratiæ, quam fidei Christi necessitas prædicatur. Si Concilia, si sanctos Patres auscultes, non aliud alio magis assueueratum inuenias, vt hactenus dicta fidem facere videntur. Age porrò aliqua ex infinitis alijs ad abundantiã conferamus. Ioan. 15. *Hæc est vita æterna, vt cognoscant te solum verum Deum, & quem misisti, Iesum Christum.* Ioan. 3. *Sicut Moyses exaltauit serpentem in deserto, etc. ita exaltari oportet filium hominis*: in quem precor finem? an vt solum omnibus gratiam mereretur? respondeat Ioannes; *vt omnis*, inquit, *qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam æternam*; oratio est planè, nisi eludatur, exclusiua. Huc pertinent quod Christus fundamentum esse asseritur, uia, veritas, ostium. At fundamentum aliud inuentum est, scilicet lex naturæ, via alia, eaque vera, aliud demùm ostium, per quod ad pascua quis ingrediatur, confingitur. Verùm Paulus, euangeliũ, & scriptura

Tertia à paritate gratia.

Digitized by Google

tura vniuerſa reſiſtit. Pro neceſſitate gratiæ nihil eſt in ſcriptura expreſsiùs; nihil, quo magis Concilia, & Patres eam ſtabiliuerint, eo textu: *ſine me nihil poteſtis facere*. At pro neceſſitate fidei in Ieſum Chriſtum non minus vrgentia loca ſuppetunt, v. g. *nec enim aliud nomen eſt ſub cœlo datum, &c.* ad Galat. 2. *ſcientes, quod nõ iuſtificatur homo ex operibus legis, niſi per fidem Ieſu Chriſti*: Ioann. 3. *qui non credit in eum, non iudicatur*: nec enim indiget iudicio, cum in ipſa non fide condemnationem, ac ſententiam afferat, licet pro quantitate pœnæ determinanda iudicandus ſit: qua verò ratione qui credit, iam fuerit iudicatus, hùc non pertinet declarare contra ſectarios.

Hoc genus infinitis omiſſis vnum adiungo vtram- 680
que & gratiæ, & fidei in Chriſtum neceſſitatem connectens teſtimonium, niſi fallor, apertiſſimum ex cap. 15. Ioan. *Sicut palmes non poteſt ferre fructum à ſemetipſo, niſi manſerit in vite, ſic nec vos, niſi in me manſeritis. Ego sũ vitis, vos palmites, &c. quia ſine me nihil poteſtis facere.* Et hucuſque non magis gratiæ, quam fidei neceſſitas expreſſa eſt: audiamus ſubſequentia. *Si manſeritis in me, & verba mea in vobis manſerint, quodcumque volueritis, &c.* & demùm; *in hoc clarificatus eſt Pater meus, vt fructum plurimum afferatis, & efficiamini mei diſcipuli*. Palàm eſt, hanc totam eodem reſpicere orationem; eos in Chriſto manere, in quibus verba eius manent; eos Chriſto inſertos afferre fructum plurimum, qui ſine ipſo nihil poſſunt efficere; ac demùm idem eſſe, ſi palmes ſis vitis Chriſti, ſi diſcipulus, ſi illius in te verba manſerint, nam idem ſignificatur, geminaturque trifariam. Tu nũc vide, an diſcipulus ſit Chriſti, qui in Chriſtum non credidit? qui, an Chriſtus ſit, vel fuerit in mundo, prorsùs neſcit? Num in eo maneant verba Chriſti, à quo nihil audiuit? Num demùm ſit palmes vitis Chriſti, membrũ Chriſti aliquis non Chriſtianus? vno verbo, Mahometanus aliquis, Iudæus, hæreticuſue aliquis, vel ſi placet, Gentilis aliquis, vel etiam Atheiſta? nam ignorat inuincibiliter Deum, vt de Chriſto vos aijtis. Haud, credo, tam ſunt irreuerentes in Mahometum ſui, qui dicant, illius prorsùs ignaros ſaluari, niſi qua parte quidam eorum, religionem quamlibet ſufficere, dictitarũt.

Si

Digitized by Google

Si natura, lexque illius in Magisterium asciscitur, id euangelium prohibet iteratò dicens Matth. 25. vnum esse Magistrum nostrum, scilicet Christum: alij, si placet, alias scholas conquirant; nos eos solùm seruari dicamus, in quibus Pater clarificatur, Filij discipulos.

681 Illud deindè quæro, an hoc in loco manifestior sit necessitas gratiæ, quā fidei Nouus nūc Pelagianus prodeat: non per se, & ex cōmuni lege, sed per accidens tñ aliquos, vel aliquem à necessitate gratiæ eximat. Quid verò tunc? Scripturas profers; at attulimus pro fide clarissimas: Tridentinum Concilium adiecimus de sensu perpetuo Ecclesiæ contestans: Mileuitanum præterea, & Arausicanum, à quibus necessitas gratiæ potissimùm sancita est, locis scripturæ paritèr de fide attestantibus vsa sunt, vt illo ad Eph. 2. *gratia saluati estis per fidem, &c.* Sanctos quoque Patres contulimus asseuerantissimos. Hieronymus præterea in c. 1. ad Ephes. *non ante* (inquit) *filij esse possumus, nisi filij eius Iesu Christi fidem, & intelligentiam recipiamus.* Cyrillus Hierosol. cath. 4. *cum alios inscitia, alios verò occupatio quædam impediat, ne ob inscitiam animam perdas, in paucis versibus vniuersam fidei doctrinam comprehendimus.* Greg. lib. 7. epist. 47. *ipsa quoque per se veritas dicit, qui non intrat per ostium, sed ascendit aliundè, ille fur est, & latro: qui paulò post subijcit dicens. ego sum ostium. Ille ergo ad ouile ouium intrat per ostium, qui intrat per Christum: ipse autē per Christum ingreditur, qui de eodē Creatore, & Redemptore humani generis vera sentit.*

682 Augustinus deniq; assertiones nostras confirmet denuò lib. de præd. sanct. c. 8. *Proindè ipse vnus Magister, & Dominus, cū dixisset, quæ supra cōmemoraui, hoc est opus Dei, vt credatis in cū, quē misit ille, in eodē ipso sermone paulò post ait: omne, quod dat mihi Pater, ad me veniet. Itē paulo post: nolite murmurare, &c. Omnis, qui audiuit à Patre, & didicit, venit ad me. Quid est, omnis, qui audiuit à Patre, & didicit, venit ad me? Nisi nullus est, qui audiat, & discat à Patre, & non veniat ad me. Si enim omnis, qui audiuit, & didicit, venit, profectò omnis, qui non venit, non audiuit à Patre, nec didicit, nam si audisset, & didicisset, veniret: neque enim vllus audiuit, & didicit, & non venit, sed omnis, vt ait veritas, qui audiuit, & didicit, venit.* Et infra: *non*

Digitized by Google

enim fallitur, aut fallit, qui ait, omnis, qui audiuit à Patre, & didicit, venit ad me. Absit ergo, ut quisquam non veniat, qui audiuit à Patre, & didicit. Iam fiet, qui ex ingenio saluent quemquam, qui ad Christum non venerit.

Quid porrò de ingorantis syluicola, ac similibus?

CAsus est pridem à Diuo Thoma propositus: *si aliquis nutritus in syluis ductum rationis naturalis sequeretur in appetitu boni, & fuga mali*, quid de illo? Ad hoc punctum tota quæstionis huius moles reuocatur; nec fidem, nec Christum vnquam audijt: pereatne? At durum id planè, in quo enim peccauit? Ergo pauci illi Theologi, quibuscum lis est, alij eum iustificant, haud tamen demum sine fide saluandum: alij sine vlla fide etiam saluant. 683

Sed enim quid Paulo Apostolo, quid Augustino, quid Thomæ, ac magnis quibusque viris visum fuerit, videamus. Ergo Paulus ad Rom. 10. casum proponit; probat primùm fidei in Christum necessitatem: *ignorantes enim iustitiam Dei, & suam quærentes statuere, iustitiæ Dei non sunt subiecti: finis enim legis Christus ad iustitiam omni credenti; Moyses enim, &c. Quæ autem ex fide est iustitia, sic dicit, ne dixeris in corde tuo, quis ascendet in cælum, hoc est, Christum deducere? aut quis descendet in abyssum, hoc est, Christum à mortuis reuocare? Sed quid dicit scriptura? Prope est verbum in ore tuo, hoc est, verbum fidei, quod prædicamus: quia si confitearis in ore tuo Dominum Iesum, &c. dicit enim scriptura, omnis, qui credit in illum, non confundetur; non enim est distinctio Iudæi, & Græci, &c. Omnis enim, quicunque inuocauerit nomen Domini, saluus erit.* Bn definiram, probauimque fidei in Christū necessitatem. 684

Iam immediatè sibi nnet Paulus obijcit. *Quomodo ergo inuocabunt, in quem non crediderunt? aut quomodo credent ei, quem non audierunt? quomodo autem audient sine prædicante: quomodo verò prædicabunt, nisi mittantur? &c.* Sed verò, Paule, hos, qui nihil audiere, à fidei necessitate 685

Digitized by Google

ſtrate excipito; non hoc reſpondet: *ſed dico* (inquit) *numquid non audierunt? & quidem in omnem terram exiit ſonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorũ*; & mox: *Iſaias autem dicit: inuentus ſum à non quærentibus me; palàm apparui eis, qui me non interrogabant.* Longè Paulus abeſt, vt non audientes vllos excipiat; caſum potiùs negat; inuenitur quippè Chriſtus etiam à non quærentibus; quanto magis ab eo, ſiquis eſt, qui ductum rationis ſectatus fuerit; & ſi quis demùm eſt, qui nihil audijt, culpa ſua non audijt, vt exponetur.

686 Mox Auguſtinus dignam Theologo ratiocinationem ſubiungat ep. 49. ad Deo gratias. *Tamen ab initio generis humani, aliàs occultiùs, aliàs euidentiùs, ſicut congruere temporibus diuinitùs viſum eſt, nec prophetari deſtitit, nec qui in eum (ideſt Chriſtum) crederent, defuerunt ab Adam vſque ad Moyſem: & in ipſo populo Iſrael, qui ſpeciali quodam myſterio gens prophetica dicta eſt, & in alijs gentibus, antequam veniſſet in carne. Cum enim nonnulli commemorantur in ſanctis Hebraicis libris iam ex tempore Abrahæ, nec de ſtirpe carnis eius, nec ex populo Iſrael, nec ex aduenticia ſocietate in populo Iſrael, qui tamen huius Sacramenti participes fuerunt, cur non credamus, etiam in cæteris hàc, atque illàc gentibus aliàs alios fuiſſe, quamuis eos commemoratos in ijſdem authoritatibus non legamus?* Ecce nunc concluſionem. *Ita ſalus religionis huius, per quam ſolam vera ſalus verè, veraciterque promittitur, nulli vnquam defuit, qui dignus fuit: & cui defuit, dignus non fuit.* Conſultiſſima plane argumentatio à notis ad ignota; inuenit Auguſtinus in lege naturæ, & ſcripta, populum Dei, & iuſtos quoſque Sacramenti Incarnationis participes; inuenit in media gentilitate Iobum, ac alios Redemptoris, Chriſtique ſub hac, vel æquiualenti voce conſcios, inſtitutos; Sybillarum tot de eodé vaticinia. Mox ſubdubitat. Quid ſi in cæteris hàc, & illàc gentibus aliqui recta omnia ſecuti ſint? Infert ex notis, eos proculdubio eiuſdem Sacramenti factos participes, licet ſcripti non ſint, cum non cuncta conſcripta fuerint. Quomodò verò eos dignos vocet, mox ſubdam.

687 Quid nunc Thomas reſponderit, audiamus de ver. quæſt. 14 ar. 11. *certiſſimè tenendum eſt* (agit de illo

Digitized by Google

in ſyluis enutrito) *quod ei Deus vel per internam inſpirationem reuelaret ea, quæ ſunt credenda, vel aliquem fidei Prædicatorem ad eum derigeret.* Tantumdem factum cum Clemente Romano, Iuſtino, Hilario, Taumaturgoque legimus, qui veritatis inueniendæ auidiſſimi in Apoſtolos, Angeloſue Inſtitutores inciderunt; & ſimilia recentiores etiam Indiarum hiſtoriæ commemorant: atque de Cornelio, Lydia, & Eunucho ſtatim dicetur. Ex quo, denuò conſpicitur, qua Deus via homines iuſtificet, & ſaluet, ſcilicet fidem communicando, *quæ eſt radix omnis iuſtificationis*; de Chriſto inſtituendo, quia *non aliud nomen ſub cælo datum*. At quidam inſigniter Metaphyſici locum hiſtoriarum dedignantur; & ò vtinam etiam ſcripturas non dedignentur! Sed verò contemnendi ſunt, vel miſerandi, ſi qui ſunt, tam ignorantes rerum. Tu id dicis rarum, quod tam paucæ huius generis hiſtoriæ inueniantur, cum in toto mundo innumeri fermè ſint ea extraordinaria inſtitutione adiuuandi. Verùm ſi de illis eſt agendum, de quibus tractamus in præſentia, qui nimirùm ductum rationis naturalis impigrè ſectati ſunt, illi non multi, ſed pauci, ac rari contingunt. Vbique enim valet à minori ad maius negatiua argumentatio: Chriſtianos videas permultis ſingularibus auxilijs, fide, doctrina, ſacramentis ad probitatem adiutos; ex quibus tamen perpauci inueniuntur, qui contra legem etiam ipſam naturalem numquam deliquerint. Quid ergo à Gentilibus, barbariſque ſperandum?

At autem occurrendum ijs quoque, inquis, qui ad 688
vſum rationis egreſſi mox intereunt, quorum magna proculdubiò multitudo quaqua verſum inſtituenda ſuperſit; quibus ſi non occurritur, vel ſine fide ſaluantur, vel ſine culpa pereunt; ſi porrò occurrendum erit, coginur perpetua miracula geminare, quibus Prædicatores fidei hùc illùc transferantur. Hoc in loco alij ad peccatum originale confugerint, alij ad alia. Mihi expeditiſſima eſt ſolutio in D. Thomæ doctrina, quam, cum pridem in animum induxiſſem, veriorem in dies inuenio. Ergo docet, hominem, cum primum ad vſum rationis, ac perfectæ deliberationis peruenit, ante omnia de ſemetipſo deliberare debere, ſeque in ſuum finẽ dirigere; ex hoc enim tota eius vitæ rectitudo pendet;

& qui

Digitized by Google

& qui nihil de se deliberans hanc vitam capessit, mihi stulto cuiquam cõparandus videtur, qui Neapoli proficiscens nihil de fine itineris præstituisset, ac rogatus, quò vadat, omninò ignoraret; quam oscitantiam, vel stultitiam in summa rerum ecquis non absurdissimam habeat, ac grauitèr malam? Non itaque hanc nunc Theologiam eligimus, vt in obiectione facta adsit solutio, sed illam hìc, & semper arbitramur verissimam, ac Christianis institutis maximè consentaneam. Ergo quilibet pro conditione, ac mensura cognitionis, qua eò temporis gaudet, tenetur efficacitèr, & vero corde ad bonum, ac Deum conuertere, dirigereque se, & vitam suam: sin minus, peccat grauissimè. Cum itaque hoc non tam multi efficiant, haud occurrit tanta illa instituenda multitudo. Pro instituendis porrò ad nullum cogimur miraculum: Deus enim, cum eos probitatis amatores mox obituros præuideat, citra vlla miracula modis inuumeris casus istos præoccupat, si velit immisso hominibus consilio belli, pacis, negotiationis, peregrinationis, legationis, seruitute, tempestate, alijsq; modis, vt facto ipso constat. Quæ multoties negotia, quam auaritiam in multorum salutem non conuertit gloriosus Deus? His itaque vijs occurrit persæpè: aliquando etiam extraordinaria aliqua prouidentia vtitur, vt suam salutis nostræ curam demonstret, inque fines alios. Imò verò ipsa etiam miracula, vel in hoc genere, vel in alijs debita esse, non absurdum, sed verum puto; nec enim esse potuit, quod Deus nullum vnquam patraret miraculum: quod explicare temporis, & argumenti huius haud est.

689 . . . Exponendum superest, quo pacto hos rationis naturalis sectatores strenuos, dignos fidei Augustinus nũcupauerit? Nimirùm, quidquid nunc ante fidem aliquod opus vndiq; bonum admittamus, id sanctum est, maximè verò in Augustino, fidei nullum præcedere meritum, eam semper nondum dignis conferri, esseque illam omnis meriti principium: quæ hùc minimè pertinentia, non mouenda, sed supponenda sunt. An fortè ille legis naturalis cultor, licet non ipsam fidem, externã tamen illius propositionẽ, & prædicationẽ, (quæ naturale aliquid est) suis illis qualibus qualibus meritis pro-

Digitized by Google

promereatur, vt de felicitate temporali Romanorum idem Augustinus, aliique significant? Alijs iudicium, & sententia suato. Multi meritum ponent, non quidem condignum, sed congruum ex supernaturali gratia precedens. Hæc lib. de nat. & grat. tractanda hic omittamus. Eos itaque dignos dicamus, non quidem, quibus retribuat Deus; sed quorum misereatur: misereatur autem certissimè, vt ex ipsius tot promissionibus liquet, quorumcumque facientium, quod in se est.

Quid de Cornelio, Lydia, & similibus?

DVo hucusque statuta sunt, nimirùm necessitas veræ religionis in vera fide fundatæ, & necessitas determinatæ religionis Christianæ, ac veræ fidei in Christum. De prima nihil hìc mouemus. De secunda porrò, vt diuersa sentirent, pronuntiarentque, exempla Cornelij, Lydiæ, & Eunuchi Candacensis compulerunt viros doctissimos. Quos inter Melchior Canus docet, fidem vtique explicitam, ac expressam Christi post eius Aduentum ad secundam salutem, hoc est, ad beatitudinem esse necessariam, secus ad primam, ideſt, ad iustificationem, nam Cornelium putat iustificatum, antequã expressè conscius Christi fieret. Etenim, vt nunc de Cornelio præsertim agamus, de quo maior difficultas occurrit, actu 10. ille vir *religiosus* dicitur, *ac timens Deũ cum omni domo sua, faciens eleemosynas multas plebi, & deprecans Deum semper*. Mox ei Angelus apparet, ac dicit: *orationes tuæ, & eleemosynæ tuæ ascenderunt in memoriam in conspectu Dei: & nunc mitte viros in Ioppem, & accersi Simonem quendam, qui cognominatur Petrus*. Is Petrum accersit, à quo de Christo institutus cum multis alijs Spiritum sanctum accipit, & baptizatur. Videtur planè, Cornelium ante hanc de Christo institutionẽ iustum extitisse: nec enim alioqui tantopere eum scriptura extolleret, nec peccatorem compellaret religiosũ, nec peccatoris preces, ac eleemosynæ ascendissent in memoriam in conspectum Dei. Aliundè verò, *si ille* 690

posset

Digitized by Google

posset sine fide Christi esse salutis, non ut eum adsciscendum, mitteretur architectus Apostolus Petrus, ait Augustin. de præd. sanct. c. 7. Hic ergo videtur audiuisse à Patre, ac didicisse, & post venisse ad Filium; vt superiùs differebat Augustinus, ideſt, iustificatus antea: ac subindè saluatus per Christum; cui sententiæ suffragatus videtur Augustinus eo cap. 7. Alij cum Valentia nolunt inter veramque salutem distinguere; tamen credunt, eo tempore, quo nondum fuerat euangelium sufficiètèr euulgatum, sufficisse fidem solum implicitam Christi quantum ad necessitatem medij; vt de cæteris ante aduentũ Christi docet communis sentẽtia; Petrum nihilominùs, qui de Christo instrueret, accersitum ad Cornelium, tum propter necessitatem præcepti; tum quia haud multò post erat futura necessaria necessitate quoq; medij fides expressa Christi.

691 Neutra porrò distinctio mihi placuit, nec Cornelium puto iustificatum ante fidem expressam in Christum. Etenim Petrus eum instituens inter alia: *huic* (inquit) *omnes Prophetæ testimonium perhibent remissionẽ peccatorum accipere per nomen eius omnes, qui credunt in eum*. Ergo nondum erat Cornelio remissum originale, nondum reliqua, siquæ grauia commiserat. Disiocerct alioquin Cornelius facto ipso Petri prædicationem; quid Prophetæ perhibeant accipere per nomen eius remissionem peccatorum, cum mihi nullo audito eius nomine remissa iam fuissent peccata? Rursùs, dum Cornelius de accersendo Petro ab Angelo instituitur, Petrus cœlitùs de conuersione gentium edoceretur linteo illo magno, *in quo erant omnia quadrupedia, & serpentia terræ, & volatilia cæli*: Petrus occidere, & manducare iussus recusat; *absit Domine, quia numquam manducaui omne commune, & immundum*. Notum est hoc in linteo Gentiles omnes inclusos, quos inter & Cornelium, de quo specialiter tractabatur, comprehensum quis dubitet? Ergo Cornelius nondum inter homines, & iustos numerabatur, sed inter peccatores conuertendos. Mundas quidem fecerat iam Deus gentes omnes, hoc est, Sacramentorum, ac mysteriorum capaces, Iudæi, & Græci antiqua distinctione abolita, & hoc sensu omnibus in Ecclesiam euocatis: idcircò ad Petrum dicitur;

quod

Digitized by Google

quod Deus purificauit, tu commune ne dixeris: vt quippè notissimum est, & August. tract. 5. de diuersis notat, *tunc magna quæstio inter Iudæos, & Gentes versabatur, id est, inter eos, qui de Iudæis, & eos, qui de gentibus crediderant, vtrum euangelium ministrandum esset incircumcisis? Erat inde magna cunctatio, cum mittitur Cornelius. Interim admonetur Petrus, &c.* Idcircò dicitur; *& dum intra se hæsitaret Petrus, quidnam esset visio, quam vidisset, ecce viri, qui miseri erant à Cornelio.* Patet hac in visione de Cornelio, & specialiter Cornelij causa institutum Petrum: & Petrus quidem id nouit; *vos scitis* (ait) *quomodo abominatũ sit viro Iudæo coniungi, aut accedere ad alienigenam: sed mihi ostendit Deus, neminem communem, aut immundum dicere hominem.*

Hinc clarus est sensus, cur Aug. & alij Corneliũ mũdũ, & mũdatũ vocitẽt, antequã Petrũ euocasset, ideſt, ad euangeliũ fine circũcisione admissum, &c. Ergo Cornelius, & cæteri, tunc iustificati sunt, cum *loquente Petro hæc verba, cecidit Spiritus sanctus super omnes, qui audiebant verbũ.* Quæ verba? Postremã planè fuere illa; *huic omnes Prophetæ testimonium perhibent accipere remissionem peccatorum in nomine eius omnes, qui credunt in eum.* Crediderunt vtique, & tunc remissionem peccatorum, ac Spiritum sanctum acceperunt. Sedenim quandoquidem Augustinus nobis obiectus fuit, ipse lib. 4. quæstion. sup. num. quæst. 33. sententiam nostram confirmet, atque explicet, vbi multa ad præsens accõmodata prætereo. *Quomodo erit ex hoc immundus, qui mundus acceſſerat, cinere*, scilicet *iuuencæ. Nisi quia & ij, qui sibi videntur mundi, in fide Christiana se agnoscunt, quia omnes peccauerunt, & egent gloria Dei, iustificati gratis per sanguinem ipsius.* Et mox. *Credo, quod illius cineris congregatione, & repositione in loco mundo, si hæc spiritaliter intelligantur, iam intrinsecus vult intelligi fuisse mundatum; sicut Cornelius audiens, & credens, quod prædicauerat Petrus, ita mundatus est, vt ante visibilem baptismum cum suis, qui aderant, acciperet Spiritum sanctum.* Nec contradicit, cap. illo 7. de præscr. sanct. sed admittit bona opera, non iustificationem Cornelij ante fidem: nam filijs etiam concubinarum, vt eatenus erat Cornelius, aliqua Dei munera largiebatur supra Augustinus: 692

Digitized by Google

ſtinus : didicerat quippè aliquid à Patre, aut diſcere incæperat, antequam veniret ad filium. Et hoc ſolùm euincunt laudes ſcripturæ : ex his quippè ille fuerat, quos ſupra laudauimus, probitatis amantiſſimis : quorum proculdubio miſeretur Deus, iuſtuſq; planè extra religionem Chriſtianam tum ſibi, tum alijs videri potuiſſet: atque hinc ibi ſupra denuò confirmantur. Ex tota præterea quæſtione neceſſitas, quam hic adſtruximus, fidei expreſſæ Chriſti commonſtratur. Nec cohæret illa Cani diſtinctio; diuinatoria eſt ea alia Valentiæ: in quo, cum dicta ſufficiant, alia multa dicenda omitto. Ad ea nunc diſſoluenda veniamus, quæ contra doctrinam quæſtionis principalem obiecta ſunt, & obijciunt.

Aduerſariorum intentio, & probatio nimia, & nulla.

693 TOta itaque Aduerſariorum intentio, ac præcipua probatio propoſita fuit, obiectaque quæſtionis principio. Eam hactenùs commonſtraui falſiſſimam multis de cauſis. Nunc eam dico nimiam, ac proindè nullam ex regula de nullitate nimiæ probationis. Nimirùm probat, vt vidimus, fidem non ſimpliciter, ſed ad meliùs, atque faciliùs eſſe neceſſariam ad ſalutem : quo nihil abſurdiùs, ac Pelagianiſmo conſonantiùs. Eam rursùs multorum ſectariorum blaſphemiam magna ex parte verificat, de qua quæſt. præc. tractatum eſt, ſaluari ſcilicet vnumquemque in quacumque etiam non Chriſtiana religione, ſi rationem naturalem ſectetur; licet enim differentia quædam in eo poni poſſe videatur, quod alij id dicant eſſe ſecundum ipſam legem Dei: alij id ex ignorantia potiùs legis ſubnaſci; re ipſa tamē, & de facto ſaluant ſectarij, ſi ſe ritè gerant, Chriſtianos quoslibet; hi alij etiam non Chriſtianos, Mahometanos, Iudæos, Gentiles. Si porrò omiſſis populis, & ignorantibus ad ſolos doctos reuocetur controuerſia, apud Iudæos, Mahometanos, Gentileſque perpauci occurrunt: nec tanti eſt de Doctis nunc hæreticis litigare,

Digitized by Google

quos etiam ipsos, sicut populos per insciti am, per errores inculpabiles excusare, in promptu est. Hinc parùm curandum, quam quis religionem teneat; eò toto conatu incumbendum, vt ritè se gerat quisque. Hinc denuò, cum non magis, nec adeò ex scripturis liqueat necessitas veri Sacramenti Pœnitentiæ ad remissionem peccatorum, quam veræ fidei in Christum ad iustitiã, & ad salutem; sicut in confícta religione ritè se gerens saluatur, sic remissio peccatorum obtinebitur in confícto Sacramento confessionis Sectariorum, vel Mahometanorum, quæ soli Deo confitentur. Hùc illa summæ ignorantiæ, diuinæ misericordiæ, ac similia patrocinia adducantur.

Hoc genus omissis absurdis, quæ probationem aduersam nimiam ostendunt, iam breuiter eam elidamus. 694
Misericordiam diuinam obtendebant. Probè olim Tertull. lib. 1. aduersus Marcio. cap. 25. *Deum*, dixit, *non de sola bonitate censendum*; & à schola Epicuri haustam à Marcione eam sententiam, *qua remouit à Deo seueritates, & iudiciarias vires*. Puerum recens natum, ac baptizatum, qui nihil boni gesserit, donat Regno: alium, qui annos sexaginta in eremo ieiunauit magis, quam vixit, propter vnam turpem admissam cogitationem trudit ad Inferos. Adeò nobis haud licet nec blãda, nec dura, sed vera, & quæ ipse præscripsit, scrutari, sectari. Si nihil nobis loqui, præscribereque voluisset Deus, tolerandum quoquo modo foret misericordiam, iustitiamque eius nostro ingenio mensurare, ampliare, restringere. At cum modo legem habeamus scriptam, quorsùm noster fastus superbiat? Hinc olim origo magna errorum, quibus ab inferno etiam ipso, vbi nulla est redemptio, quidam redimere inciperent iam misericordes, iam Christianos omnes. Hùc ducit via isthæc. Ergo dedimus legẽ Dei scriptam de nullo fine fide iustificando, nec saluando. Ignorantias quoque inuincibiles obtrudebant. At has quæst. seqq. remouebimus. Ac deindè haud ipsi benigniorẽ Deũ tuẽtur; nam quib' ipsi sine vera religione, nos cum illa simul salutem concedendam tutamur. Addebant, nulli vnquã negandam veram religionem, si ad salutem tam esset necessaria. Verùm non hoc sequitur, sed illud, nulli scilicet negari sut-

Digitized by Google

sufficientiam ad veram religionem inueniendam; sicut, etsi salus ad salutem sit necessarissima, non omnibus illa conceditur, sed sufficientia ad illam. Deus quidem, quod infra exponã, *vult omnes salvos fieri*, sed hac cõnexione, & lege; *& ad agnitionem veritatis venire*, vt ex hoc ipso nostra denuò comprobetur doctrina. Dilectionẽ Dei super omnia sine fide possibilem inducebant. Sed hoc haud probatio est, sed nouum absurdum, vt ex dictis patet, & vbi de natura, & gratia scribemus, tractabitur, declarabitur, confirmabitur.

695 Sed ais, saltem fidem in Christum haud esse necessariam, cum Paulus ad Heb. 11. hæc duo sola requisat, *accedentem ad Deum oportet credere, quia est, & quia inquirentibus se remunerator est.* Verùm qui hæc posuit, alia haud exclusit necessaria ab ipso ibi, & toties geminata. Multa hìc dicunt Theologi planè sufficientissima. Non improbo, sed curro, & prætereo cuncta. Sensum credo esse, eum, qui ad Deum, ac fidem accedit, in ipso accessu, & quasi prima ordine credendorum illa duo debere credere; nam eorum fides disponit optimè, & confert ad credendum mox faciliùs incarnationem, resurrectionem, & mysteria cætera. Et ipsa certè vox accedendi hanc nobis aptam intelligentiam suppeditat.

QVAEST. XXXVII.

Vtrum ergo aliquis inuincibiliter, & sinè culpa ignoret veram religionem?

696 AD vnam euellendam obiectionem hanc addere cogimur quæstionem. Facilè quidem erat, in ea diffundi plurimùm, ijs hùc adductis, quæ Theologi de inuincibili ignorantia Dei, cuius, & religionis tam existunt causæ connexæ, latè prosequuntur. Enimuerò cum de ignorantibus satis multa quæstionibus proximis dicta fuerint, ne

Digitized by Google

consimilium rerum tanta tractatione fastidiosior contingeret disputatio, visum est, rem expedire perpaucis ad defendendum magis, respondendumque, quam ad probandum ratione, ac demonstrandum instituto consilio. Nimirùm si noster hic labor quidquam euicit, satis est, si hoc ex doctrina fidei consectarium tutari, defendereque sciamus: quamquã probare nesciremus.

Ergo quæsitum est, anne aliquis inuincibilitèr, & sine culpa veram religionem ignoret? Neque eam hùc culpam euoco, ex qua mala omnia emanarunt; inter cætera porrò vulnus illud ignorantiæ altissimum, scilicet peccatum originale. Haud ignoro, propter illud Deum potuisse nos omnes, vti regno, ita vera quoque religione priuare: sed hæc explicandi, tractandique, & Augustini maximè exponendi dies alius, locusq; Quamobrem tutam hìc, & communem Theologiam supponamus, Deum nemini adultorum propter solum peccatũ illud sufficientiam ad salutem denegasse; de quo quæst. sequent. venit quippè Dei Filius, vt ab illo maximè nos omnes redimeret, sufficientiam saltem illam, & meruit, & obtinuit, cum exauditus legatur; pueris etiam natis ea salutis potestas, cum in se non possit, saltem in parentibus, vel alijs efficitur. Quæstio itaque de culpa personali, & actuali est, an scilicet aliquis citra omnem suam actualem culpam veræ religionis notitia destituatur? 697

Non est quæstio de originali.

Plurimi sunt, quos recensere frustrà foret, qui vbique vltrò, citroque ignorantias inuincibiles intrudant, qui ab omnibus excusent, qui absoluant, saluentque omnes: Dei etiam, quod plus est, inculpatam ignorantiam admittunt; à fortiori verò de vera religione idem dicent, quæ difficiliùs agnosci, faciliùsque ignorari, & latere posse videtur; & est planè in mundo notior Deus, quam orthodoxa religio. Quo autem id persuadeant, vix aliud habent, quam decantatum illud de extrema multorum ineptitudine, atque ignorantia. 698

At nobis contrarium est tenendum, illudque ex quæstione proxima consectarium. Nimirùm constitutum est, sine vera religione saluari neminem: at iuxta nos simul, atque aduersarios, omnibus salutis obtinendæ potestas conceditur; ergo & veræ religionis habendæ; 699

Negans responsio.

Digitized by Google

dæ; vt ergo nemo nõn culpa sua salute caret, nemo non culpa sua caret vera religione. Rursùs quisquis is erit inculpabiliter ignarus, vel nullum crimen admisit, vel secùs? Si primum dicas, quæst. præc. ostensum est, illũ certissimè de veritate instituendum. Si porrò crimen aliquod commisit? iure meritò hac de culpa cognitione veritatis destitui poterit. Nemo ergo sine culpa veram religionem ignorat, inquam, sine culpa, quæ eam ignorantiam communicandæ alioqui veritatis, & mereatur, & causet, conseruetue. Deus itaque gloriosus omnium, & singulorum prouidentiam gerit: omnes in finem suum dirigit, in quem condit: præscripsit verò veram religionem esse viam. Homo inuincibilitèr Deũ ignorans est chimæra; homo sine fine, stultum stulti opus artificis; *imò hæc summa delicti* (aiebat supra Cyprian.) *eum nescire velle, quem ignorare non poteras*: & perindè est homo inuincibilitèr viam ignorans. Promptum erat, hæc ex diuina prouidentia confirmare: sacris textibus stabilire: aureum est planè hanc in sententiam totum caput 6. Sapientiæ. Deus (aiunt) vult omnes homines saluos fieri. Sed vult simul eosdem in agnitionẽ veritatis venire: nec Deus huic suæ voluntati defuit: ergo nos homines desumus: ergo qui ignorat veritatem, ille deest, non Deus, vt quæstion. seqq. exponetur. Atque hæc in comprobationem sufficiant.

700 Iam hanc tantam ignorantiam, quam protegunt, ostendamus, & declaremus vincibilem, culpabilemque. Nimirùm in quo aliqui æquiuocari videntur, vt ignorantia sit inuincibilis, non satis est, vt res ignorata nũquam tibi in mentem venerit: possunt esse culpabiles, ac vincibiles ignorantiæ rerum, quarum nec speciem habuimus, nec nomen audiuimus, nec quoquo modo nouimus. Ecce religionem ingredior, & voueo, quam rẽ vtiqne magnam esse apprehenderam saltem, ac dubitaueram: vltra tamen quidquam explorare destiti; dedi me totum vel regendæ valetudini, vel fabulis Roldani perlegendis; & decurro per omnia, vt occurrunt, ac viuo. Dicite, an legum violatarum reus habẽdus sim, & etiam iudicandus? an profutura sit mea mihi ignorantia? *Explicatio.*

701 Age iam hominum in hac vita curas, & studia per- *Cõprobatio.*

Digitized by Google

percurramus breuiter ambo. Haud aliud cernitur, quã vitiorum densus fumus, vt Clemens loquitur; quam *concupiscentia carnis, concupiscentia oculorum, & superbia vitæ*; ait Ioannes; non est, *qui faciat bonum*, inquit Regius Vates: atque similia alij, & alij sine numero contestantur, ò vtinam non tam vera, eoque deploranda magis? Verum eam hic tibi offerrem splendidoris styli, ac pristinæ eloquentiæ memorem epistolam Cypriani ad Donatum primam. *Paulisper te crede subduci in montis ardui verticem celsiorem: speculare inde rerum infra te iacentium facies: tam sæculi & ipse misereberis. Cerne tu itinera latronibus clausa, maria obsessa prædonibus, cruento horrore castrorum bella vbique diuisa; madet iam orbis mutuo sanguine; & homicidium, cum admittunt singuli, crimen est: virtus vocatur, cum publicè geritur; impunitatem sceleribus acquirit, non innocentiæ ratio, sed sæuitiæ magnitudo. Iam si ad vrbes ipsas oculos tuos, atque ora conuertas, celebritatem offendas omni solitudine tristiorem.* Mox cruenta spectacula insequitur: duella quoq; nostrorum repone: *vt quis possit occidere, peritia est, vsus est, ars est: scelus non tantum geritur, sed & docetur; disciplina est, vt perimere quis possit; & gloria est, quod perimit.*

Scenas mox percurrit, & tragedias; *admonetur* 702
ætas omnis audita, fieri posse, quod factum est; numquam æui senio delicta moriuntur; numquam temporibus crimen obruitur; numquam scelus oblitione sepelitur: exempla fiũt, quæ esse iam facinora destiterunt. Adulterium discitur, dum videtur: & lenocinante ad vitia publicæ authoritatis malo, quæ pudica fortasse ad spectaculum matrona processerat, de spectaculo reuertitur impudica. Hinc cubiculorum secreta scrutatur, vbi *quo secretior culpa, eò maior audacia. Sed tibi post insidiosas vias; post dispersas orbe toto multiplices pugnas; post spectacula vel cruenta, vel turpia: post libidinũ probra, vel lupanaribus prostituta, vel domesticis parietibus obsepta, forum fortasse videatur immune: plura illic, quæ detesteris, inuenies; inter leges ipsas delinquitur, inter iura peccatur; innocentia nec illic, vbi defenditur, reseruatur. Sæuit inuicem discordantium rabies, & inter togas pace rupta forũ litibus mugit insanum. Quis inter hæc vero subueniat? Patronus? Sed præuaricatur, & decipit. Iudex? Sed sententiam vendit. Qui sedet crimina vindicaturus, admittit,*

Digitized by Google

tit, & vt reus innocens pereat, si nocens iudex. Flagrant vbique delicta; hic testamentum subijcit: ille falsum capitali fraude conscribit: hic arcentur hæreditatibus liberi, illic bonis donantur alieni. Inimicus insimulat, calumniator impugnat, testis infamat, &c. Consensere iura peccatis, & capit licitum esse, quod publicum est. Quid plura? Hæc, inquis, Concionatores deprædicant? Prædicent vero Fabri Ferrarij; tu magnus Metaphysicus obsistito: *Hæc testimonia quantò vera, tantò simplicia; quantò simplicia, tantò vulgaria,* disserebat Tertullian. num. 17. atque, *de trinio, de compito, de textrina*, pro veritate testimonium euocat.

Hinc tete consulo, quid in mundo aliud facturi
703 plerumque essent homines, si in hanc solam eos vitam condidisset, direxissetque Deus? An ædes extruerent superbiores? An pecuniam auidiùs conquirerent, cumularent? Maiora subirent in bello, marique discrimina: vt vrbs vna regno, vel familiæ fundus vnus accresceret? Plurea mouendæ lites? motæ diligentiùs promouendæ? An magis mundus fernè totus in mundo occupandus, immergendus? Vix equidem crediderim. At omnes in mundo vident, sese non hìc habere permanentem ciuitatem: ad futuram inquirendam nos conditos pleriq; omnes scimus: cæteros fama saltem aliqua peruasit; nulli nec in India barbari ignari prorsùs futurorum occurrunt: animam saltem post funera superstitem vel norũt, vel dubitant. In dubio porrò præstaret benè viuere, vt Clemẽs disserebat, vel quærere. Quod ergo vices mutẽt homines, quod aliud agant, vel nihil, vel contra, volũtariũ est: culpabile est in sũma rerũ. In hac vniuersalissima causa necesse est, mala multa, inconuenientia magna, ignorantias plurimas inuolui, assumi, deuorari: si non aduertunt, nolunt intelligere, vt benè agant. Ergo in hac saltem vniuersalissima causa est cunctis voluntaria, culpabilisque veræ religionis, aliorumque ignorantia. Nemo deindè nescit, probitatem pluris faciendã, quam cætera illa, quæ curant tantopere; ex inuersis ordinibus vident rerum omnium, ac vitæ totius inuerti rationem, & modum: indè nasci, quòd quisq; cum probus esse debeat, nequam euadat. Et tamen præferunt cætera illa virtuti, tempore, affectu, studio. In hac ergo

rur-

Digitized by Google

rursùs causa ignorantias plurimas deuorant: sunt ergo illæ voluntariæ in causa; quod ex vera theologia ad culpam sufficit.

Vt præterea ex Tertulliano, Cypriano, Minutioq; ponderatum fuit, naturales omnium voces illæ sunt: *ô Deus! Deus videt: Deo commendo; quod velit Deus, &c.* in malis, in periculis Deum inuocant: & naturaliter de eo satis omnes institutos edocuimus; alios Iouem, Martem, Saturnum appellant; Deum non nisi Deum vocant vniuersi, vt idem Cyprianus notauit: *illic vocabulis opus est, vbi proprijs appellationum insignibus multitudo dirimenda est*, idem Doctor aduertit lib. de idol. van. *Dixit* quidem *in corde suo insipiens, non est Deus*; at fortè in corde, non corde dixit, vt intendit Anselmus: si qui sunt deindè tales, *insania ista paucorum est*; inquit August. ser. 10. de verbis Domini: *sicut enim magna pietas paucorum est, ita & magna impietas nihilominùs paucorum est.* Et tamen impietas est, quia voluntaria est; *Præmisso enim versu:* (differit August. in psal. 52.) *dixit imprudens in corde suo, non est Deus, tamquam causæ quærerentur, vndè hoc possit dicere imprudens, subiecit: corrupti sunt, & abominabiles facti sunt in iniquitatibus suis.* Cum itaque par esset, quòd Deo, diuinisque sese potissimùm dederent homines, crimen est, adeò ordinem rerum, ac prætia commutare, peruertere. Hinc insipiens cor illorum obscuratur; sunt tamen inexcusabiles, vt Paulus Apostolus ad Rom. 1. contestatur. At multi eos excusant, inquis, & opinio eos ista liberabit. Sed notum; tritumque est, in ijs saltem, quæ necessitate medij necessaria existunt, opiniones nostras prodesse, efficereque nihil. 704

Sedenim exponamus magis, si possumus. Ecce Romæ dego: scio, aut dubito, me illic eo fine adductũ, vt Mediolanum abirem: nihil ego de eo cogito, nec exploro: totum me dirigo in Siciliam; proficiscor, abeo. Numquam planè perueniо Mediolanum; imò verò nec toto itinere via occurrit, quæ Mediolanum me duceret, nisi regrederer. Accusor. Anne ignorantia mihi mea proderit? Vias vltrò commutaui; veram ignoraui quidem, sed oscitans, sed nolens. Ergo me Deus in iudicio conueniat: violatæ religionis reus fiſto: ignorantiam profero. At arguor; anne ignorasti, animam pluris esse, 705

Alia explicatio.

quam

Digitized by Google

quam corpus? virtutem præhabendam pecunijs? Deum mundo? Animæ porrò tantùm ne tibi ſtudium, atque victus? an dimidium? Homines itaque in hac extrema ſummarum rerũ tranſmutatione ignorãtiam religionis, atq; alias voluntariè contrahunt. Illa, inquis, nec in mẽtẽ venerat vnquam. At oſtenſum eſt, hoc haud requiri, vt res aliqua voluntariè ignorata dicatur. Si Rex, ſi Princeps nihil regimen curet, mala multa eueniunt, quorum in ſpecie nulla ad eum notitia peruenerit; quis tamen eum idcircò excuſet? Omni ætate, ex omni gẽte veram religionem aliqui inuenere. Hoc demonſtrat, cæteros quoque inuenire potuiſſe, ſi voluiſſent; ſi quod in ipſis fuerat, effeciſſent. Et quandoquidem vel Deus, vel homines culpandi veniunt; in hominibus porrò extremam oſcitantiam, & quem neſcio ſtuporem videamus, euidens eſt, culpandos planè, condemnandoſque ſine dubio homines: nec enim *per Deum abeſt*. Gentilis homo teſtimoniũ adhibeat: *aſt in mundo* (ait Salluſtius) *vbi per ſocordiam vires, tempus, ingenia defluxere, naturæ infirmitas accuſatur, ſuam quique culpam actores ad negotia transferunt. Quod ſi hominibus bonarum rerum tanta cura eſſet, quanto ſtudio aliena, ac nihil profutura, multùm etiam periculoſa petunt, neque regerentur magis, quam regerent caſus, & eò magnitudinis procederent, vbi pro mortalibus gloria æterni fierent, &c.*

706 Scitè in Recogn. Clementis veritas legitur tecta velamine charitatis: non quidem, vt charitas propria, perfectaque haberi ante veritatem queat. De charitate inchoata, quam inchoatam iuſtitiam Auguſtinus lib. de nat. & grat. vocat, ſermo eſt, de probitatis, veritatiſque ſtudio maximo; de eo, de quo Clemens 1. Recogn. effatur: *inerat mihi comes optima, quæ me quieſcere non ſinebat, immortalitatis cupido*. Quid porrò ſecutum? *Vt poſt rerum exitus docuit, & gratia omnipotentis oſtendit, hæc me animi intentio ad inquiſitionem veritatis, & ad agnitionem veræ lucis adduxit*. Hac par eſſet cupidine omnes eſſe ſolicitos: hoc ratio naturalis dictat: hanc vt negotiorum ſummam proponit. Si negligunt nihilominus, quid ſuam quique culpam actores ad negotia, ad Deum transferunt. Nimirùm ſapientia, ac veræ religionis cognitio *præoccupat, qui ſe concupiſcunt, vt illis* *Comprobatio.*

Digitized by Google

se prior ostendat. Qui de luce vigilauerit ad illam, non laborabit: assidentem enim illam foribus suis inueniet, sap. 6. Ac mox: *initium enim illius verissima est disciplinæ concupiscentia: cura ergo disciplinæ dilectio est*. Hac dilectione, quam impensissimam omnes habere obligamur, contecta est veritas: eam, qui habent, inueniunt: qui non habent, multum planè culpandi,

At velles, inquis, vt aperta vniuscuiusque, ac reserata hìc conscientia hanc omnium culpam suaderem, aut ex principijs physicis, vel metaphysicis statuerem. Cæterùm hoc est non desiderãda desiderare. Quorsùm vniuscuiusque conscientiam ex Physica, vel Metaphysica aperiam? Quid insanius? Significaui nihilominùs aliquid ex rectitudine diuinæ prouidẽtiæ, quod ad Metaphysicam quoquo modo reuocatur. Conscientias tu intimus inspector explora. Haud forte ero temerarius ego, si illud hic adiungam, mortalium vix futurum aliquem auri, salutis ignarum, siquæ Deus gloriosus pro vera religione vulganda gessit, pro auro, salute, immortalitate conferenda effecisset. Quòd uero his sapientiam, & ueritatem homines posthabeant, culpa est; illius non inuentæ causa est. Illius ergo ignorantia inuincibilis, inculpataque non est. 707 708

Sed quid, inquis, Deus oscitantes etiam homines, ac dormientes ueritatem non docet? Hæc iam stultitia sequentibus quæstionibus proterenda est.

QVAEST. XXXVIII.

Vtrum Deus voluerit, omnes homines ad agnitionem veritatis, & veræ religionis venire?

NEgant impiorum permulti: fideles multi uix conquiescunt. Tamen ipse palàm per Apostolum affirmat. Porrò & negandi, & affirmandi fundamenta potissima, magnarumque rerum qualem qualem explicationem sequẽtibus quæ- 709

stionibus

Digitized by Google

stionibus sensim dabimus. Nunc præludij fermè loco breuissimam hic quæstionem præmittimus; in qua asseuerantissimè affirmamus, voluisse utique Deum, vt omnes, & singuli ad agnitionem ueritatis uenirent.

710 Hæc persuasio est cuicumque religionem aliquam ritè professuro perneccssaria. Si namque Deus de me ueritatis certiore reddendo nihil uoluit, nihil curauit, de nullius ego ueritate legitimè persuadear: omnium quippe probationum robur fundatum est in Dei erga ritè quærentes prouidentia: quod si erga aliquos nulla est Dei in eo prouidentia, quid, vel undè me exceptum scinerim? At si Deus de me nihil in eo curauit, nec uoluit, fortè in toto hoc opere, ac veræ religionis probationibus somnio; tu quoque: idemque singuli timeant, probaui nimirùm quæst. 4. nisi probationes nostræ ad Deum Autorem denique reducantur, nihil nos iudicare posse, neque concludere. Habet ergo Deus erga omnes, & singulos prouidentiam: ergo uoluntatem: vult scilicet, & iubet ab omnibus veritatem quæri; non planè frustrà, nec tyrannicè. Omnibus ergo eam, si ritè quærant, vult concedere: vt & salutem. Quam orthodoxam veritatem vniuersa planè scriptura, atq; Ecclesiæ sempiterno sensu Theologi passim demonstrant. Id nunc sufficiat dicere, ex contrario errore iri ad Academismum primùm; mox in Atheismum: singuli enim veritatem quærere desistant, si eam à singulis inueniri Deus non uoluit; in incertum currere desinent, & aerè verberare; idcircò religionis doctrinam in incerta, ac dubia rationis naturalis inuestigatione consistere non posse, commonstrauimus quæst. 6. & 7. Quicumque itaque aliquid momenti pro salute sua præstituro necessariæ sunt hæ maximæ: *si voluero, & quod in me est, gessero, saluabor; si ritè & vt debeo, veritatem quæsiero, inueniam: si quæsiui, inueni: per Deum nec abfuit vnquam, nec aberit:* riteque Petrus Apostolus in Recognit. Clementis id primum præcognoscēdum ueritatis inquisitori statuit, quid sit scilicet quærenti *inuenire possibile*. Vndè qui salutem, vel ueritatis cognitionem alicui, vel aliquibus impossibilem adhuc obstrepunt, vt dicam ingenuè, vel pessimi, vel ignorantissimi mihi videntur, & ad salutis, religionisq; curam omnem deponendam homines de-

Digitized by Google

ducunt: satis verò ab alijs conuicti sint, si sapere volent.

Deus ergo glorioſus voluit proculdubio, vt omnes, ac ſinguli ad ueritatis cognitionem uenirent; & qui hoc non credunt, nequeunt planè quidquam ritè, & ex animo, nec ſpe firma orare, vel poſtulare; eoſque vel vnus ille pſalmus 118. quem quotidie recitamus, apertè proſternit. In eum Deus finem ſatis mundo legem ſuam promulgauit. 711

Primùm itaque hominem de limo condens, eum legis, religioniſque doctrina inſtruxit cumulatiſsimè, ex quo ad filios, & poſteros nullo ea negotio promanaret. Ille mox ſui, quam Dei amantior labitur; lapſique ſumus omnes in illo, & peccauimus. Hìc iam pluribus librum clauſum, quidam ineptiunt. Error eſt ſanè pinguis: non nunc, quid Deus agere potuerit, ſed quid egerit, tractamus: erit de eo diſputãdi locus alius. Nullum ergo idcircò à Regno, vel ſalute, vel à ueritatis cognitione excluſit Deus, non Adamum, non poſteros: niſi qui ex naturæ potius ordine, & defectu antè obeunt, quã naſcãtur. Reliquos omnes ad ſalutem hortatur inuitas, etc. quod ſi aliquos excluſiſſet, & omninò abieciſſet, declarare eos debuerat; nam alioquin mũdus in cõfuſionem conijcitur, utque dicebã nuper, timebit quiſq; ſibi fortè ſalutis uiam, & facultatem omnem negatam, & omnia redduntur incerta, & Atheiſmo amplum oſtium aperitur. 712

Denuò ergo Deus de homine ad priſtinum reuocando tractauit; at corrupit citò omnis caro uiã ſuam: reliquis mox abſumptis diluuio, ad paucas illas cum Noemo animas reductum genus humanum, illaſque legis Dei, ac religionis apprimè conſcias; ex quibus denuò ſine addiſcendi, uel inueniendi labore quaſi hæreditario iure tranſiret ad poſteros notitia diuinorum. At ab ipſis adhuc Noemi filijs, & Nepotibus cæptum inſanire: eoque in uiuis ſuperſtite libuit Nino ſecundo Aſsyriorum Regi inſignitèr deſipere, ac Nemrodum Patrem, ſeu Belum Deum edicere diuinis aſsignatis honoribus. Hic ille Gentium Saturnus, Hebræorum Baal, cateruæ origo Deorum, & idololatriæ, falſarumq; religionum principium: hinc ſubortæ ſuperſtitiones, & 713

fabulæ,

Digitized by Google

fabulæ, delyratumque ab hominibus, quasi non in aliũ à Deo finem facti fuissent, quam vt delyrarent, ac furerent. Secuta Philosophorum excelsa ingenia: vanitas à multis agnita; at euanuerunt in cogitationibus suis, nec gratias egerunt; obscuratum ideò insipiẽs cor eorũ.

714 Sed verò Deus interea deligit sibi populum, Prophetis, miraculis, prædictionibus illustrissimum, cuius, & veræ simul religionis fama mundi regna, Regumque Curias omnes peruaderet, Assyrios, Persas, Ægyptios, Macedones, Romanosque: quorum scilicet Principes tantarum rerum fama permoti, vel reparando templo misere auxilia, vt Darius, Artaxerxes, Demetrius; vel illud saltem non sunt ausi uiolare, vt Alexander, & Pompeius. Inter ipsam mediã gentilitatem Iobum, & alios quaqua versum aliquos, etsi raros, suscitauit sui amicos, ac ueritatis conscios, qui ostenderunt, quid cæteri potuissent, si voluissent: Sybillæ etiam floruere, quæ gentibus tanto forent in pretio, & quæ si veram religionem non tradiderunt, talia dixere tamen, quibus gentes ad eam quærendam moueri possent, si illam tãti fecissent, quanti aurum, abiectioraq; alia. Eumdem in finẽ Abrahamum, aliosq; ueritatis conscios peregrinari, disposuit Deus, Iosephum vendi Ægyptijs, suumq; populũ semel, ac iterùm captiuum duci; *per quos* scilicet (cap. 18.) *incipiebat incorruptum legis lumen sæculo dari*. Hùc & sepulchrum illuc pertinet, quod S. Tho. 2.2.q.2.ar.7. memorat: hùc Trismegistri, Platonis, & aliorum tanta diuinorum cognitio, ex Prophetis hausta proculdubio; nisi quod illam erroribus mox suis prophanarunt. Vbique adfuit Deus: deseruit planè neminem. *Ita salus religionis huius, per quam solam vera salus vera, veraciterque promittitur, nulli vnquam defuit, qui dignus fuit; & cui defuit, dignus non fuit*: nemo, vt nuper ostendimus, illius cognitione caruit nisi culpa sua.

715 Iam porrò post Christi seruatoris aduentum res est dilucidior; nihil enim aliud egit in mundo Deus actuosiùs, quam vt fidem, religionemque suam quaqua versum euulgaret, missis in mundum vniuersum Apostolis, discipulis, ac mox alijs, tantis quaqua versum gestis, iteratisque miraculis, tot martyrum tribus integris sæculis continuato testimonio, fortitudine, patientia,

trium-

Digitized by Google

triumpho. Quæ, ac ſimilia innumera cuiq; obuia fruſtrà hìc retexerem: multaq; addentur quæſtionibus ſeqq.

QVAEST XXXIX. recuſata.

Vtrum ſit concordia prædicti amoris, & ſapientiæ, ac potẽtiæ Dei cum permiſſione tot hæreſum, & errorum?

716 ALia hoc in mundo mala vocantur: alia mala ſunt, & vocantur. Vulgus quidem ignorans ex vtroq; Dei erga nos amorem, ipſius potentiam, atque ſapientiam, ac uniuerſam uno uerbo prouidentiam uel criminatur, uel negat, uel ſaltem conqueritur. Fruſtra porrò eſſet, quod de ijs hìc malis tractarem, quæ malà non eſſe, non ſolùm Chriſtiani ſapientes norunt, & probarunt: ſed ipſi quoque Gentium Philoſophi ſolo naturæ lumine aſſecuti ſunt: quo in genere ſunt mors, infirmitas, paupertas, ſeruitus, peſtis, fames, bella, cæteraque huiuſmodi. Hæc ſcilicet cuncta in pœnam ſaltem induci, amariq; à Deo Authore poſſunt: ac proindè mala pleno ſaltem uocabulo dici nequeunt: ea rursùs finem hominum, fœlicitatemque niſi noſtra culpa, & abuſu non impediunt, quin multoties etiam promouent: res autem omnes bonæ, uel malæ exiſtunt ex proportione ad finem, & res utique noſtræ ex ordine ad finem noſtrum. Quo in loco horum defenſio malorum tam eſt expedita, ac facilis, ut difficiliùs ſit utique, ea bona eſſe tutari, quæ bona tanta rerum ignoratione mundus uocat, atq; proſequitur; diuitiæ namque, & honores, & hoc genus reliqua impedimento ſolent magis eſſe, quam iuuaminis ad finem. Regna ideo confert Deus bonis, & malis, & id genus cætera, qui non arcam implet, ſed pectus, vt pulchre Auguſtinus ediſſerit. Hos ergo criminatores omnes omittamus, deſpiciamuſque, qui nomina ultrò cõmutant, errantque tam ultrò, quam abſurdiſſimè, ſuntque toties à magnis Viris potriti.

Malorum diſtinct.o.

Sunt

Digitized by Google

717 Sunt mala alia, ueriſſimè quidem talia, quæ à Deo eſſe prorsùs nequeant, nec ad finem conferre, ſed impedire plùs, uel minùs: quæ omnia ad intellectus ignorantias, & errores; & ad uoluntatis peccata opere conſumata, uel non conſumata reuocantur. His porrò ex locis totus ferè mundus uel conqueritur, uel obmurmurat. Cur tot in mundo ſcelera, ignorantias, hæreſes, errores totidem Deus permittat? Sed quoniam de omnibus nunc uirtutibus non ſcribimus, ſed de ſola uera religione, illæ maximè accuſationes educendæ ſunt, quæ uidentur conuincere, Deum aut noluiſſe, aut non potuiſſe, aut non ſciuiſſe omnes ad agnitionem ueritatis deducere: etſi omnium eadem fermè ſit accuſatio, una defenſio.

De quibus malis tractãdum.

Illius concordiæ difficultas ingens.

718 ERgo dicunt. Si Deus voluiſſet, omnes vtique ad agnitionem veritatis veniſſent, cum Deus quæcumque voluit, fecerit in cœlo, & in terra. At non omnes venerunt. Ergo noluit. Nemo rursùs voluntati eius poteſt reſiſtere. Veniſſent ergo homines, ſi Deus voluiſſet. Ergo noluit, vel non voluit. Idcircò electorum à Deo perit nemo; quia ipſa Dei electione in tuto ponuntur electi quique; non ergo dubium, quin omnes eſſent futuri conſcij veritatis, ſi Deus voluiſſet. Quorsũ ergo vniuerſa ſancta ſcriptura hanc Dei voluntatem deprædicat?

719 Quod ipſum multiplicitèr deuuò premamus. Vel Deus poteſt, ſcit, & vult omnes veritatis cognitione donare, vel ſecus? Si vult, nequit tamen, vel neſcit, Deus non eſt. Si ſcit, & poteſt, non vult tamen, crudelis ſit, neceſſe eſt; cum eam veritatem, ſine qua perituri proculdubio ſumus, non vult donare, cum facillimè poſſit; quæ namque Deus poteſt, facillimè poteſt, in quem difficultas nulla cadit, magis quam impotentia. At Deus crudelis Deus non eſt, qui ſi eſt, iuſtus, & miſericors eſt, ac benignus.. Author deindè, & Pater humani generis ne-

Digitized by Google

nequibit esse: quis enim Pater, quam nullo negotio posset, negaret filio ueritatis cognitionem, sine qua perituru sit? imò si mille haberet filios, omnibus eam citra deliberationem libens, uolensque impenderet, nec alios eligeret, alios omitteret. Sed Deus non ità facit; imò pauciſſimos eligit, docetque. Inuidus est ergo, & crudelis. Quis deindè ex toto humano genere tam perditus, qui si sine sudore posset, nõ omnes homines ueritatis cognitione, cœloque donaret? Hoc tu faceres, hoc ego; quin permulti eum in finem labores, & pericula, morteſque deuorant plurimas. Deus ergo uel scit, potest, & uult, uel secus? Impotentem, uel nescium Deum hinc tollito. Potens ergo, & sciens, non uult tamen. Crudelior est ergo quocumque hominum.

Inducunt Theologi famosam illam uoluntatis an- 720
tecedentis, consequentisque distinctionem, qua una superent, uincantque hanc absurdorum molem tantam. Voluntate antecedenti, aiunt, uult Deus omnes ad cognitionem ueritatis uenire; consequenti non omnes, sed aliquos; huic uoluntati nemo resistit; at antecedenti resistunt, quotquot haud ueniunt. Cæterùm nihil hinc uidemur habere præter uocabula; & dicta omnia redeunt. De illa ergo uoluntate tracto, cui nemo obsistat: uel Deus potest, & scit ea omnibus ueritatem donare, uel secùs? Si impotens est, aut nescit, non est Deus. Ergo cum possit, & sciat, non uult tamen tuta illa uolũtate omnes certiores reddere: quod nec tu faceres, nec ego, nemo hominum. Voluntas deindè antecedens uidetur nugatoria. Si namque syncerè, bonoque animo Deus agit, quid loco eius aliam illam efficacem, tutamque, cum facilè possit, non concipiat? Quid deindè, cũ modos habeat infinitos, quibus Turcas ad ueritatem ducat, ijs omissis, ea media eligit, quæ præscit nihil planè profutura. Videtur certè homines ex industria dãnare, atque in eum eos finem condere, ut perdat: quod quis, precor, Tyrannus nullo sui commodo efficeret?

Nec idonea uidetur ea Pauli de figulo compara- 721
tio ad hanc expediendam causam. Quid enim luti interfit, ut in uas honoris, uel contumeliæ instituatur? At homini summa rerum est ueritatis certiorem fieri, &

salua-

Digitized by Google

sa'uari. Lutum præterea in utrumque illum usum est indifferens, imò paratiùs ad abiectiora. Homò verò in suum finem, ideſt, beatitudinem à natura ipsa directus, vel ab Authore conditus. In eum ergo dirigendus est, atque seruandus. Rursùs si lutum sensus capax foret, & figulus illi beneuolus, minimè illud vltrò, citroque in contumeliam dirigeret, si id saltem sine incommodo posset, nec essent ei necessaria vasa contumeliæ; vti Deo non sunt necessarij homines impij. Quod si dicamus, non quoquo modo acceptam à Paulo massam humani generis, sed vt massam perditionis, infectam, & peccatricem, & cui proindè contumelia potiùs deberetur propter peccatum origineum, sitque ideò non argenti, vel auri, sed luti, & figuli instituta comparatio. Primò quidem hoc peccatum infidelis deridet; quid enim peccare potuimus, cum nondum essemus? mouetque hoc circa, difficillimas lites alias. Eo deindè trãsmisso secundum Christianos plerumque non contumelia, & perditio, sed exclusio à Regno, ac priuatio illud propter scelus debetur. Rursùs post illud etiam, vel Deus cõdit homines, vt eos perdat, vel vt seruet? Si primum? meliùs sanè fuisset, si eos nõ effecisset: est id præterea extrema sanè crudelitas. Si porrò nos, vt seruet, efficit: ergo id vel potest, & scit, & vult? & facta argumenta resumo. Cur præterea peccatum illud non præpediuit? Certè vel nec sciuit, nec potuit; vel non voluit? Sacra denique scriptura ad nos iam peccatores alloquitur: nobis peccatoribus Dei misericordiam, amoremq; deprædicat. Ergo non nos exclusit propter illud; imò venisse ad nos dicitur, vt saluum faceret, quod perierat. Supereſt ergo, quod vel blandis nos verbis decipiat: vel id facere nequeat, vel nesciat, quod vult. Sed verò Paulus eo loci videtur apertè conteſtari, Deum nolle; nam *cuius vult*, inquit, *miseretur*: ergo cuius non miseretur, non vult misereri: & quos veritatem non docet, non vult docere.

722 Augustini etiam illa sententia, quam lib. 1. de prædest. sanct. cap. 8. & aliàs quoque tradit, non tam expedire videtur, quam confirmare murmur insipientium. Ait enim eo modo omnes esse docibiles Dei, eumque velle omnes ad agnitionem veritatis venire: quo sensu

Vna Augustini explicatio.

Digitized by Google

integrè loquimur, cum de aliquo litterarum Magistro, qui in ciuitate solus est, dicimus: omnes iste litteras docet: non quia omnes discunt, sed quia nemo nisi ab illo discit: ita rectè dicimus, omnes Deus docet venire ad Christum: & paulò post eorum facta mentione, qui salui fiunt, ait: *hos omnes docet venire ad Christum Deus; hos omnes vult saluos fieri, & in agnitionem veritatis venire.* Dicent enim, hoc esse fateri ingenuè Deum nolle omnes omninò homines veritatis reddere participes: & resumunt superiora incommoda. Addunt: ergo per Deum abest: ergo perditio Israelis etiam ab eo; ergo non pro nobis omnibus tradidit illum, ideſt, Christum: suntque hoc genus sexcenta haud hìc producenda. Nec Augustinus alijs in locis negat, sed fatetur palàm vniuersaliſſimam illam erga omnes Dei voluntatem pientiſſimam.

Ianſenij vanitas.

Tamẽ nõ pridẽ placuit Ianſenio deſipere, Chriſtũq; dicere pro ſolis prædeſtinatis mortuũ. At verò, vt omittamus reliqua, patet ex euangelio nõ omnes vocatos eſſe electos; vocatio autem gratia eſt Dei, vtique per Chriſtum: patet, Deum velle, vt peccator conuertatur, eique conuerſionem præcipere: vult ergo illius conuerſionem, & pœnitentiam, quam qui negligit, peccat contra eius voluntatem: ergo voluntas Dei erat, vt pœniteret, ac proindè, vt non periret, ſed ſaluaretur. Sed verò hæc nunc ſupponenda ſunt magis, quam probanda; vbi ſcilicet illa Dei voluntate ſecũdum verum orthodoxorum ſenſum ſuppoſita, de illius potiùs cõcordia agimus cum permiſſione errorum, & hæreſum. Hìc etiam illi frigent quam maximè, qui concedentes Deum conferre quidem omnibus gratiam, vt veritatem dignoſcere, ſaluarique ualeant, interea negare uidentur, Deum eorumdem uelle ſalutem; ac rogati, ad quid Deus conferat gratiam non electis, reſpondere ſolent, ut ſcilicet poſſint ſaluari. Neque enim expediunt difficultates. Omnium deindè ore tritum eſt, potentiam eſſe propter actum, potentiam ſaluandi propter ſalutem; nos uocari, non ut uenire poſſimus, ſed ut ueniamus; nobiſq; à Deo præcipi pœnitentiam ipſam. Omnibus ſimilitèr notũ eſt, media applicari, non ut obtineri poſſit, ſed ut obtineatur finis; gratiam eſſe medium ad gloriam naturæ ſuæ; non ergo Deus nobis auxiliatur, ut pœnitere, ut

723

ſal-

Digitized by Google

ſaluari poſſimus, ſed ut ſaluemur, pœnitentiāque, ut ipſe iubet, agamus.

734 Iam denique, reſponſis aliis neglectis, communis noſtra omnium illa ſolutio nihil uidetur ſatisfacere. Dicere enim ſoliti ſumus, Deum omnibus largiri auxilia, mediaque ſufficientia, & ſatis utique ualida, ut ueritatē agnoſcant omnes, ſaluenturque, ſi uelint; eum in eo maximam conferre gratiam, nec, ut plus præſtet, obligatū: nos deindè, cum poſſimus, ſalutē negligere, nec noſtras explere partes: per nos proindè abeſſe, quominus uel ueritatem, uel ſalutem aſſequamur; Deum idcirò de nobis iuſtiſſimè conqueri, nos de illo nonniſi impudentiſſimè, &c. Hoc, inquam, totum uidetur inſufficiens ad placandos quæſtus, reuincendaque murmura.

735 Etenim tranſmittamus modò, nos etiam eſſe hac in parte culpandos, qui, cum poſſimus, nihil, uel non, ut debemus, ſalutem curamus. At aiunt, magis culpandum Deum, ipſumque minùs, quam nos, ſalutem noſtram uel amare, uel deſiderare. Nemo ſcilicet hominum tam eſt iners, qui non ſe ſaluaret, ſi abſque ullo labore poſſet: Deus autem ita poteſt; & tamē ſaluat pauciſſimos. Quidquid ergo homines nolint, minus multò uelle uidetur Deus.

736 Hùc deindè ueniunt difficultates illæ, quas omniū ſubtiliſſimè Anſelmus de caſu Diaboli proſequitur, teſtatus cap. 2. ſe, ut meminit, numquam ſolutionem uidiſſe. Nimirùm Dei etiam eſt facere, ut uelimus; nolumus ergo, quia ipſe non facit, ut uelimus. Accuſamur quidem tamquam negligentiſſimi; at ipſius eſt nos diligentiſſimos reddere: ergo homines ueritatem nō agnoſcunt, quia nolunt, quia negligunt: at nolunt, & negligunt: quia Deus eos nolentes, diligenteſque non præſtat. Ipſam rursùs uoluntatem, & diligentiam habere nequeunt niſi Deo donante: *quid enim habes, quod non accepiſti?* Prorſus nihil. Non ergo habent, quia non accipiunt; nec accipiunt, quia Deus non donat; nam ſi daret, acciperent, nec habere quidquam poſſunt, niſi acceptum. Deus, inquis, uult utique donare; at nolūt homines accipere. Verùm redimus ad idem: nam hoc ipſum, quod accipere uelint, & quidquid ulteriùs in infinitum reflectetur, & excogitabitur, nequeunt homi- *Ex Anſelmo replicatur.*

Digitized by Google

nes habere nisi acceptum, nec accipere nisi donatum, nec donari demum à Deo potest nisi præuolitum: vnde origo prima malorum ea videtur tandem, quod Deus nolit bona concedere. Vbi denuò rogant: vel potest, & scit; & si neges, aiunt, eum non esse Deum: vel sciens, & potens, tamen vltrò non vult? Et iam dicta iterant, queruntur, murmurant.

Illud demùm, quo quisque iure terreatur, proferunt, scilicet nos credere, Deum hominem factum, crucifixum, mortuum, tot illas tragœdias passum, vt mundum redimeret, vt lux esset mundi, illuminaretque omnem hominem venientem in hūc mundū, ac saluum faceret, quod perierat. Et interea minimam vix mundi partem illuminat: quasi ad sanandam manum venisset, & vix saluaret digitum vnum, cum extra Christianos nemo non pereat; ex Christianis etiam saluentur pauci. Si nequit, aut nescit, Deus non est. Si potest, & non vult: quid ergo moritur, ac tanta patitur. Deus præterea videtur nobis illudere; ecce qualia dicat? *sic Deus dilexit mundum, vt filium suum vnigenitum daret*, pro mundo vtique, quem dilexit, quod ipsum denuò testatur Ioannes etiam ep. 1. cap. 2. At factis, cum tamen facilè valeat, illius non mediam partem, non quartam, non centesimam saluat; & ò vtinam saluaret millesimam! Implicatio ergo videtur hæc Dei pro mundo mortui, & totius fermè mundi ignorantis, errantis, damnatique coniunctio. Quibus certe per nescio quas prioritates, & signa, & decretorum Dei inuolucra, ac magna molimina nihil dignum responderis. Et hæ causæ potissimæ admirationum, quæstuum, murmurum. 727

Causæ quæstionem in præsentia recusandi.

Vniuersalis causa recusandi.

CAusas eas facilè quisque videat, qui antecedentiū quæstionum doctrinam, seriemque agnouerit. Nimirùm quæst. 8. & 9. contra Gentiles, atque Hæreticos statutum est, vbi de vera agnoscēda religione tractatur, amouendum examen & rerum, & mysteriorum; ac rursus 728

Digitized by Google

sus num. 244. intulimus, nulli quantalibet etiam sapientia prædito licere mutare religionem, aut de illa dubitare, quia res aliqua sibi visa sit euidenter, etiam impossibilis. Ergo veræ religionis agnitio, deque illius veritate sententia haud pendet ab hoc nobis obiecto examine diuinæ prouidentiæ, cur tam paucos saluet, &c. Nos legitimis medijs veritatem catholicam commonstrauimus: ergo illa tenenda est sine murmure, sine questu; deuorandaq; sunt etiam si nihil intelligantur, quæcumque illa docet de amore Dei erga homines, de illius prouidentia perfectissima cum omnibus, & cum singulis. Ecce Triados mysterium nihil intelligimus, & vix quoquo modo, certè rusticissimè explicare scimus: nemo intereà Christianorum tam est procax, qui ideò de Deo murmuret, vel queratur: tam insanus nemo, qui ineptiat: *ò qualem habemus Deum, quem intelligere non possimus? eccur non talis extitit, qui à nobis capi, qui comprehendi valeret?* Imò tam ignorans est nullus, qui nesciat, talem esse oportere Deum, si Deus est; nam si intelligere potuisti, non Deum, aliud quidpiam intellexisti, vt latè Augustinus perorat.

729. At fortè dicas, aliud Deum, aliud Dei esse opera: Deum quidem à nobis intelligi non posse: hæc verò, quæ apud nos ab eo geruntur, cur non intelligantur? paucos saluari, pleroſque damnari intelligit quisque facilè: à Deo homines diligi, nemo etiam, quid significet, non satis intelligit; id tamen chimæra est, inquis, vnicuique patens, perire eum, quem Deus diligit, & quem seruare nullo poterat negotio. Cæterum Dei opera, eorumque ordo, cohærentia, & causæ intelligi nequeunt, nec iudicari, nisi diuina intelligantur, atque iudicentur; necesse quippè est diuinam sapientiam, potentiam, voluntatem, diuina consilia cuncta ad examen, tribunalque vocare, vt inter obijciendum factum est. Si ergo absurdum est, si ineptia, si fatuitas est, diuina intellecta velle, haud minor est fatuitas de Dei operibus, deque eorum incohærentia iudicare. Infinita in hanc sententiam planè aurea Sancti Patres nos docuere: in reliquorum specimen, vbi nec perstringere multa consilium nostrum patitur, speciosissimum illud proferam ex mirabili enarrat. psal. 148. Augustini. *Cum*

Stabilitur.

Digitized by Google

enim cæperimus disputare de operibus Dei, quare hoc, quare illud, & non debuit sic facere, malè fecit hoc, ubi est laus Dei? & mox: *quasi si intrares in officinam fortè Fabri Ferrarij, non auderes reprehendere folles, incudes, malleos. Et da imperitum hominem nescientem, quid quarè sit, & omnia reprehendit. Sed si non habeat peritiam artificis, & habeat saltem considerationem hominis, quid sibi dicit? Non sine causa hoc loco folles positi sunt; artifex novit quare: etsi ego non novi. In officina non audet vituperare Fabrũ: & audet reprehendere in hoc mundo Deum?* Hoc vnum omnia soluit: quare tam pauci saluantur, cum tamen omnes diligantur, ipse nouit quare, quomodo, cur, vbi, & quando.

Triplex alia recusandi causa.

Quæ omnia, licet tam consulta sint, magis tamen confirmemus, & exponamus ex eminentia operantis, ex ineptitudine nostra maxima, ex perfectione operis, de quo ferimo est. Operans nimirùm Deus est: & sicubi modus operandi, vt Philosophis est in proverbio, modum sequitur essendi, satis vtique est euidens, modum operandi incomprehensibilis Dei oportere esse, nobis planè incomprehensibilem magis multò, quam modus operandi maximorum Principum sit rusticissimis Pastoribus inaccessus. Nostra ergo de operibus Dei, deque eorumdem ordine sententia nulla est, nihil probat, ridendaque est magis, quam audienda. Dicebamus quæst. 2. nulla in re credendum, nisi peritis in arte: quid piscator iudicet in re militari? quid in Theologia Mathematicus? quid in Musica Grammaticus? Sed vero iudicent: ecquis non prorsus imprudens non rideat? At in arte mundum gubernandi, saluandique homines, sumus nos ignorantissimi, vt est euidens: & patet: quia opus hoc commensuratur sapientiæ, potentiæque Dei, quæ infinitum nostræ scientiæ, potentiæq; supereminent, exiltimusque nos eo in genere magis ignorantes, quam Grammaticus in re Theologica. Ergo ridendi sumus, si quid contra iudicamus, haud secus, quam puer de sancta Trinitate balbutiens. 730

Eminentia operantis.

Sapientia Dei magnitudo inintelligibilis.

Vt deindè in eminentia operantis de sola illius sapientia nonnihil dicam, necesse est, illius opera esse nostris dissimillima, illius rationes nobis inaccessas, causas impenetrabiles, consilia inscrutabi- 731

lia,

Digitized by Google

lia. Quò enim sapientia est maior, eò est profundior, incomprehensibilior; eò dissimiliora cæteris illius consilia. Hinc iam pridem noto, excelsioris ingenij, ac sapientiæ homines paradoxos plerumque haberi: scilicet non approbant, non appetunt, non laudant, quæ reliquus vulgus, id est, mundus fermè totus approbat, appetit, laudatque: quod vtique ita esse, necesse est, haud secus, atque necesse est, pueris, & viris alia, & alia placere, probari, appeti. Idcircò rari illi sapientissimi, uel ingeniosi plerumque, vt dixi, paradoxi habentur; non semel etiam stolidi iudicantur: extrauagantes enim sunt, nec cæteris consentiunt: aliquandò ideò ad regimen etiam inhabiles censentur: vbi uerò id ita magis iudicabitur, plus vulgi esse, necesse est; porrò ex terminis est euidens, sapientiam malo quidem regimini obesse; recto non obesse, sed prodesse; sin minus Deus gloriosus omnium primus excludendus veniret. Præuideo quid futile reponere queant, sed ad nostra perganus. Ex his palàm consequitur, modum operandi infinitæ sapientiæ nostro modo dissimillimum esse, & vix extãta distantia non contrarium; illius consilia esse extrauagantissima, ac nobis plerumque ratione antecedenti scrutantibus improbanda. Abundant planè rationes, vbi facta comprobant. Ecce sapientia ipsa Dei incarnari, & apud nos habitare dignata est: quid mundo uisum de eius agendi ratione, vita, morteque? Iudæis quidem scandalum; gentibus stultitia. Ipsamet rursùs Dei sapientia in mundi regimine alijs fatum uisum est, alijs casus, & temeritas: adeò pugnant uicissim, desipiuntq; stolida corda mortalium. In eamdem superiùs sententiam annotaui etiam, Dei nos populum esse, minimè consilium, senatumue: quorum proindè non est illius scrutari consilia, sed humillimè reuereri.

732 Atque de operãtis eminentia hæc de multis pauca. De nostra porrò ineptitudine, ac rusticitate permulta quæstionibus superioribus dicta sunt; numquam tamen dicetur satis ad hominum retundendum fastum, miserandum planè, & ridiculum. Nemo hominum, vt dicebam superius, vel vnam muscam nouit ex integro, pulicem unum nemo: quid mundum nouerint, eiusque regimen? Est planè nobis, si sapere placet, ignorantia no-

Hominum ineptitudo.

Digitized by Google

noſtra palpabilis in quacunque re, vt neceſſe non ſit hoc circa orare impenſius. Illam ignorantiæ cauſam maximam haud præterierim; ſcilicet vt quis de partibus ritè iudicet, oportet, totum ipſum agnouerit. Irenæus, Auguſtinuſque in muſica exemplificant; Auguſtinus itidem in comedijs, in ſyllaba, & in alijs alij. Hanc ex omnibus litteram C ſolum agnoſceres: cum illa nihil planè ſignificet, & ignorares, quanto reliquis coniuncta vſui futura ſit, illam certè inutilem, abſurdamq; diceres: ex comedia actum extremum ſine cæteris audis; ignoras, eum alijs correſpondere; & cum ſolum iudicas, delyrium dicis, & ipſe delyras. Pingitur gigas; manum ſolam uides; nimis illam magnam dicis, & ineptis; nam ſi totam picturam uidiſſes, manum gigantis iuſtam diceres.

Hæc aperta ſunt, manifeſtá ſunt: *totum attende, totum lauda*, inquit ea enar. Auguſtinus: nec enim laudauerit, qui totum non attendit; fœdas partes plurimas inueniat, ex quibus conſurgat tamen totum pulcherrimum. At mundum totum nemo noſtrum nec concipere quidem animo poteſt: habet, habet etiam intellectus, vt reliqua agentia, ſuos terminos maximos, & minimos, ſupra, & infra quos nihil conceptu poſitiuo concipere valeat in quantitate, in loco, in tempore: hinc orantibus mentalitèr illud conſilium, vt res conſiderandas haud procul poſitas meditentur; eò enim fatigatur mens ampliùs, quò diſtantiora contemplabitur: omnis porrò virtus, quæ operando, uel ſic operando fatigatur, terminos habet: quò deindè maiora animo complectimur, eò eſt confuſior conſideratio. Vndè totius mundi nulla eſt vna in nobis conſideratio; & ſiqua demùm erit, nonniſi confuſiſsima. Quid ergo de partibus iudicemus, qui totum mente haud capimus? Supplere quoquo modo hũc defectum ſolemus velociſsima quadam ad partes potiſsimas mentis tranſcurſione: ſed verò minus multò ualemus hoc in genere, quam ualeam ego in arte fabricatoria. 733

Dictum etiam fuerat, conſiderandam, agnoſcendamque ſingulorum partium ad ſingulas, ſingularum ad totum, totius ad ſingulas proportionem: quo pacto præſentia futuris reſpondeant, & utraque præteritis, ſum- 734

Digitized by Google

ſumma infimis, prima medijs, poſtrema primis: ſciues, præſentiſſimas habeas ſcientias omnes, hiſtorias cunctas; minima hæc pars ſunt; ſuperſunt occulta, inuiſibilia, cœleſtia, futura: vniuerſa fermè ſuperſunt: omnium ſapientiſſimus plus multò ignorat, quam nouerit; plus multò, quam Theologiæ ſtudioſus primo ſtudiorũ menſe ignoret de Theologia. Vna ſola relicta eſt via, nonnihil ſciendi, ſi nimirum is ipſe, qui mundum fecit, qui homines ſaluat, nobis aliqua enarrauerit; nos verò credamus promptiſſimè, ac mox ab eodem deductus ad intelligẽdum, quæ credidimus, humilis animus pergat, vti ſupra expoſitum eſt, ac demonſtratum. Cur in mari pluit, in Getulia non pluit? icit montem innoxiũ fulmen, præterit ibi latronem? Diſiecta ſunt hæc vaniloquia multoties à quamplurimis. Nunc nos in eo inſiſtimus, nullum, vt hæc, & ſimilia rogent, ius eſſe niſi Dei diſcipulis, priuſque credentibus.

735 De perfectione, præſtantiaque operis, de quo obiectus eſt ſermo, iam aliquid adiungamus. Agitur in ſumma de operum diuinorum præſtantiſſimis, de Incarnatione, morteque Filij Dei, de aliquorum ſaluto, de cæterorum ſatis quidem vocatorum, tamen venire nolentium perditione; de operibus profectò illis, quæ cum omnium ſint præſtantiſſima, ſint hoc ipſo magis nobis inacceſſa; magis eo ipſo reſeruata Authoris ipſius conſilijs; quæ, cum ſint etiam notis hiſce, vſualibuſque noſtris rebus diſſimillima, ſint eo ipſo nobis plus peregrina, inſolita, mirandaque magis, & laudanda, quam cõprehendenda. Ipſe deindè totus rerum ordo illarum, quem Theologi ſupernaturalem vocãt, eſt dignationis, & gratiæ, qui non naturæ, ſed alijs regitur legibus: nos ergo naturæ aſſueti legibus, illas alias ægrè intelligimus; vix non etiam damnamus: vt ijs accidit, qui patriæ placitis ſoliti alia regna adeunt, legeſque inueniunt alias. Soliti ſumus pluuiam, & calorem; æſtatem, & hyemẽ; ſolem, & vmbram, cæteraque id genus habere etiam nihil orantes, curantes nihil; vellemus, vt ſimiliter ſalus quoque ſtertentibus nobis contingeret: cum noui tamẽ ordinis lex illa ſit, quod violenti ſolùm cœlum rapiant. Eſt paritèr naturæ ordo vniformis; quod fuit, hoc erit, & nihil ſub ſole nouum. At ordo gratiæ non his tenetur

Ordinis gratiæ præſtantia.

Digitized by Google

tur legibus; non eam beneficia, & gratiæ requirunt cõsequentiam, ordinem, seriem, vniformitatem: ipsa aliquando irregularitas decet. Ac denique, quod valdè obseruandum est, fructum fermè totum naturæ in hac vita capimus, videmus, ex quo illa vtilis, vel inutilis; tanta, vel quanta quoquo modo innotescat, mensureturque, & iudicetur. At ordinis gratiæ bona quæque in futurum seruantur, quæ nemo vidit, & quæ in nullius cor ascenderunt. Tanta fortè sit vnius beati fœlicitas; vt pro illa iustè reliqui mundi damnatio permittenda, forte, atque toleranda foret. Quis sciat? Quis mensuret? Quis ergo iudicet, accuset, vel damnet? Tam hæc non nostra, sed Authori relinquenda, nisi quid ipse dignetur nobis edicere; idcircò Paulus nos ante tempus iudicare prohibet. Et in quacumque planè facultate, & arte illius quasi summa, & præstantissima vulgo professorum non innotescunt; paucis quibusdam, ac præstantissimis reseruantur. Cum ergo ex toto genere nos ineptissimi, balbutientesq; vix pueri simus in arte regiminis mũdi, quid illius præstantissimos, ac summos summi ordinis apices assequamur? Vide, quantis de causis nostrum examen, sententiaque nostra nihil sit, recusetur que in præsentia.

Ex tota priori doctrina comprobatio.

736 Quamplurima præterea in hanc fermè sententiam quæst. 5. 6. & consequentibus dicta sunt de insufficientia, ac ineptitudine humanæ inuestigationis; de necessitate doctrinæ Dei; de illa non examinanda, sed credenda. Illa deindè rationis antecedentis, & consequentis inducta, explicataque distinctio. Examen rationis antecedentis, imperantis, præscribentis exclusimus; rationis consequentis, credentis, peditisque admisimus, laudauimus: & quo pacto sit iucundum, explicauimus; quare illa his, & hæc illis, & singula singulis conueniant, & à sese vicissim firmantur.

Exemplum Prophetæ resumptũ contra pertinaces.

737 Enimverò cum tanta sit hominum ad iudicandum libido, atque temeritas, resumere denuò placuit superiùs à Clemente acceptum, explicatumque Prophetæ exemplum, quo pertinacissimus etiam quisque videtur frangendus. Ecce tanta illa difficultatum mole insolescis, Deique erga nos amorem, vel potentiam, sapientiamque traducis, garris, triumphas. Iam verò tibi

Pro-

Digitized by Google

Prophetarum, vel Apostolorum aliquis sistitur, v. g. Ioannes: se à Deo missum dicit, atque illius afferre doctrinam; inter cætera porrò testatur, *sic Deus dilexit mundum, vt filium suum vnigenitum daret*: ac rursùs: *sed & si quis peccauerit, Aduocatum habemus apud Patrem, Iesum Christum; & ipse est propitiatio pro peccatis nostris: non pro nostris autem tantùm, sed etiam pro totius mundi* (ep. 1. c. 2.) & in hanc eamdem sententiam infinita cumulat ex scriptura vniuersa. Deindè testatur, multos quidem vocatos, tamen electos paucos; sine fide placeri Deo non posse, salutemque impossibilem: perire proindè omnes quaqua versum gentes, quæ fide carent, & extra arcam sunt Ecclesiæ.

738 Hæc tu dicis repugnantia, & impossibilia; atque propositas illas, & alias rationes educis, responsum postulas, concordiam quæris, & clamas. At Ioannes, Propheta sum ego, inquit, qui doctrinam Dei affero, quæ credenda sit illibatè, neutiquam examinanda. Dicas fortè: etsi doctrina sit Dei, illius scilicet, quem falli, aut fallere repugnat, ego tamen credere nolo, vel non possum, vel non teneor. At patet euidenter, hanc esse stoliditatem extremam. Supereſt ergo, vt respondeas, eam haud esse doctrinam Dei, nec Ioannem missum à Deo. Verum ille factis fidem soluere pollicetur: cæcis sese visum restituturum promittit, suscitaturum mortuum, suscitaturum quatriduanum, imperaturum ventis, & mari; futura, & occulta dicturum, prædicturumque distinctè; vbique gentium (addit) eam cum legatis legem esse acceptam, vt ille suæ quidem legationis probationem sufficientem exhibeat; de cætero quæ ille nomine Principis proponit, tamquam à Principe dicta suscipi: hanc cum ipso seruandam legem; seruatam in materia religionis vbique: se autem legationis suæ offerre probationem.

739 Annę recuses legem? Insanis planè. Acceptas ergo. Tota ergo hæc quæstio ad superiores reuocanda est: ibi egimus, ibi tractauimus, abundeque probauimus, doctrinam religionis Catholicæ diuinam esse. Ergo sine murmure, sine questu credenda est vniuersa, nec ad has nouas assuendas lites est cuiquam quantocumq; ius ullum. Hoc multum, hoc durum dicis. Sed Paulus

Digitized by Google

obiurgat iustissimè: *O homo tu quis, qui respondeas Deo? Numquid dicit figmentum ei, qui se finxit, cur me fecisti sic?* An cum Deo disputet homo? An ignorantem sapienti, creaturam Creatori, ignorantiam sapientiæ credere multum, an dutum, an vrbanitas? *Visio quam locutus est vir, cum quo est Deus,* (Prouerb. 30.) *& qui Deo secum morante confortatus ait. Stultissimus sum virorum, & sapientia hominum non est mecum. Non didici sapientiam, & non noui scientiam Sanctorum. Quis ascendit in cœlum, atque descendit? Quis continuit spiritum in manibus suis? Quis colligauit aquas, quasi in vestimento? Quis suscitauit omnes terminos terræ? Quod nomen est eius, & quod nomen filij eius, si nosti?* Hæc planè scientia Sanctorum, qua si careas, stultissimus sis hominum.

Aptè Nazianz. orat. 16. de paup. amore. *Nec res* 740
huius vitæ propterea temerè, atque inconditè gubernantur; quia exploratas earum rationes non habeamus. Quin potius, vt animi nostri affectum imagine quadam exprimam, non multùm ijs, qui nausea, & vertigine laborant, dissimiles sumus, qui omnia sursùm, deorsùmque versi, putant, cum ipsi vertantur.

QVAEST. XL. admissa.

Vtrum sit nihilominus à nobis etiam intelligibilis, ac propugnabilis concordia amoris, potentiæ, sapientiæque Dei cum permissione tot hæresum, atque errorum?

ERgo age; quæstionem omnium fortè difficillimam nunc admittamus, eam tamen ratione cõsequenti iuxta præscriptas regulas examinandã; *ne compendium præscriptionis* (vel etiam recusationis) *vbique aduocatum diffidentiæ deputetur,* vt Tertullianus lib. 1. aduersus Marc. scribit: atque Augustinus supra permittebat, de aliquibus velut principalioribus & hanc 741

Digitized by Google

& hanc ipsam nostram quæstionem admittere. At autē consultum est, vt quam quæstionem, & quo eam sensu admittamus, præscribamus priùs: non enim est quæstionum omnium vna ratio, & scopus; suntque aliæ ad probandum institutæ, aliæ ad exponendum dumtaxat ordinantur: cuius rei inconsideratio nimia, vt iure Canus dolet, de rationibus D. Thomæ tot lites, & controuersias parturijt, paritque quotidie. Aliæ porrò nō ad probandum, nec ad exponendum quidem præcipuè, sed ad respondendum, & propugnandum diriguntur. Huius verò generis præsens quæstio est, in qua non ad probandum, sed ad respondendum obligamur. Nimirū Theologorum communis illa lex iusta est, vulgataque satis, in rebus fidei, & à Deo dictis, nos minimè ad probandas illas obligatos: satis esse, si multas dignè, ac probabilibus solutionibus defendamus; non conuincamus quidem, nec conuincamur tamen: quæ duo quantum discrepent, nemo non videat. Sed verò pertinacissimorum etiam quisque, credo, concesserit, satis, superque esse, si arcana illa consiliorum diuinorum series, qua nihil planè difficilius, sit nobis ita intelligibilis, vt defendi dignè queat. Siquid verò etiam probabimus, ad abundantiam erit.

Quæstionis scopus, & intentio.

Quædam de diuinæ prouidentiæ præstantia ad defensionem præmittuntur.

An Deus teneatur ad optimum?

742 DIsceptant, quidem, vertuntque Theologi, an Deus teneatur ad optimum? quo ex principio mea sanè sententia pendent in theologia permulta alias à nobis educenda. Cum porrò in præsentia etiam ad non Theologos loquamur, induci nequeunt scholarum eius quæstionis illæ explicationes, ac distinctiones exactæ, agendumque est ita, vt à cæteris quoque intelligamur. Ergo Deus gloriosus mundum hunc fecit, qui totum quoddam sit ex creaturis omnibus, velut ex partibus coalescens; vt homo ex partibus suis vnum quoddam totum resultat. Haud est planè quæstio de partibus separa-

Digitized by Google

paratim acceptis, quæ cum aliæ alijs præstent, non dubium, singulas seperatim optimas non esse; atque in homine præstantior est facies, quam pes; in mundo præstantius cælum, quam terra, ac in inuisibili mundo præstant vtique beati damnatis. De ipso itaque toto, de ipso composito, de ipso toto opere quæritur, an Deus mundum facturus, teneretur illum optimum facere, ita vt nec fieri quidem ab ipso, nec cogitari à nobis melius constitutus posset?

Theologorũ sententiæ.

Negant plerique: pauciores affirmant, quos inter dignus ille Theologus Montoia, vbi certè loca Theologica valent, rem mihi videtur demonstrare. Et quidẽ illi, qui prouidentiam diuinam incusant, supponunt, Deum vtique se ipso digna, & optima efficere; indeque ab eo facta, vel gubernata negant, quæ sibi optima haud videntur: & licet multa dicant non solùm minùs bona, sed etiam mala existere, plerumque comparatiuè loquuntur, & respectiuè ad melius; & si quid sibi melius occurrat, cum à Deo optima edenda supponant, haud immeritò mala vocant, quæ optima non putant; quod enim optimum esse debuit, si non sit, malum est. Qui verò à Deo minùs bona fieri posse contendunt, conciliari, placarique prophanis nullo negotio poterunt; si scilicet taciti saltem consentiant, ea, quæ illi criminantur, meliora futura, vt ipsi volunt, quam vt à Deo facta sunt: supererit mox quæstio, in qua fortè cedant facilè prophani, an illa minus bona non solum minus bona sint, sed etiam mala? Nam comparatiuè mala esse eis conceditur, nec aliud forsitàn velint. Deindè quam boni, & mali mensuram accipiant? Vix certè constiterit: de quo alias plura. Quod si de facto, & de possibili distinguas, mundumq; de facto optimum quidem dicas, quo melior esse non potuerit; at de possibili secùs esse potuisse. Supererit, vt ad solas authoritates recurras: quibus tamẽ faciles sit, eas ipsas adhibere distinctiones, ac explicationes, quibus mundum minùs bonum ipsi tuentur. Hoc nunc de his satis. 743

Quæ pars vera?

Ego quidem dubitare numquam potui, Dei optimi optima esse opera, valereque hanc illationem: *Deus hoc fecit: ergo optimum est*; & vice versa: *hoc sic esset optimum; ergo sic à Deo factum est.* Partes quidem seperatim 744

accep-

Digitized by Google

acceptas concessi nō optimas; at cum partes sint propter totum, vt omnis facultas supponit, & tradit, in his potissimum illud est, quòd partes sint; sic verò nec partes meliores facere potuit Deus, quam fecit: cum totū meliorum partium melius sit proculdubio. *Aut verò vsque adeò desipiendum est* (inquit Augustinus lib. 1. contra aduersl. legis, & Proph. c. 14.) *vt homo videat, melius aliquid fieri debuisse, & hoc Deum vidisse, non putet: aut putet, vidisse, & credat, facere noluisse: aut voluisse quidem, sed minimè potuisse? Auertat hoc Deus à cordibus piorum.* Ac rursùs: *Quod tibi vera ratione melius occurrit,* (idem Aug. lib. 3. de lib. arb. c. 5.) *hoc scias fecisse Deum.* Ac rursùs: *melius hoc fieret, quam illud, si verum dicit, & videt, quod dicit, in illis, quibus connexa est, rationibus videt. Credat ergo Deum fecisse, &c.* Vt tantas nunc veritatis huius probationes præteream, documento sit nobis noster Rex Alphonsus cognomento sapiens; quem haud crediderim diuinam Prouidentiam crimmatum; at dixisse tamen fertur, inter iocos proculdubio, & ludrica, hominesque, coelosque melius sic, vel sic disponendos. Huic inconsiderationi tributa ab historicis illius à Sanctio Filio, aliisque ad extremum accepta mala. Quandocumque certè Deus esset in mūdo, erubescerem ego, timeremq; valdè, timeret, credo, quisque illud vel corde, vel ore solùm efferre: *bonus quidem est mundus; at melius sic, vel sic effici potuisset.* De facto certè, vt possibilium nunc curam omittamus, quidquid Deus aliter; vel aliter eum construere omninò potuisse creditur; videtur esse in confesso, mundum hunc optimum constitutum, si mala tollas, quæ à nobis, non à Deo prouenere; in sapientia cuncta facta; in numero item, mensura, ac pondere; singula quidem bona; cuncta valdè etiam bona, vt scitè Augustinus distinguit, ac notat; taliaque vniuersa, vt effusa super illa ipsamet Dei sapientia dicatur: omnibus ille rerum ordinibus viget naturæ, gratiæ, hypostatico; &, quò nihil maius, Deum etiam hominem habuit, & bona proculdubio omnia cum illo.

Deus

Digitized by Google

Deus in numero, mensura, & pondere cuncta fecit, & permisit.

ILlis quidem, qui de diuina Prouidentia conquerun- 745
tur, vel etiam obmurmurant, quibuscum est nobis hic potissimum colluctatio, haud ingrata erit præscripta lex, & doctrina de Deo optima, & optimo modo operante: cum indè accrescant potiùs vires eorum oppositionibus, ac nosmet obligemus ad tuendum, illa cuncta, quæ obiecere, non solum boni, sed optimi quoque esse, & sapientissimi regiminis. Verùm, quia ità illis occurrendum est, eaque capessenda defensio, vt interea orthodoxos, aut pios alios minimè offendamus, insinuãda, delibandaque fuit illa tam tuta, tamque magnis fundamentis statuta Dei ad optimum siue lex, siue obligatio, siue præscriptio, siue quocunque id alio nomine nuncupare libebit.

Principium defensionis.

Indè verò illud generale principium videtur de- 746
duci, a Deo eam certè mensurã gratiæ hominibus cõcessam de facto, neque maiorem, neque minorem, quæ optimo, sapientissimoque mundo, ac mundi regimini congrueret: ea permissa peccata, eas transmissas ignorantias nec plures, nec pauciores, quæ decerent regimen optimum. Video, ab ijs etiam Doctoribus, qui Deum optima infallibilitèr operari tutantur, distingui quidẽ inter opera, alia, in quibus terminus demùm est aliquis, optimumque aliquod, in quo sistatur; alia, quæ in infinitum vergant, & nihil sit optimum, & dato quolibet sit possibile melius. An huius generis dicturi sint quãtitatem gratiæ, ac permissionem numeri peccatorum? Ignoro planè: an in rebus alijs hic processus adstruendus sit? hìc neutiquam curo. Mihi certè sub cæterorũ iudicio videretur, esse in quantitate gratiæ, esse in numero peccatorum modum, qui optimo regimini, optimoque mundo congruat, & cuius alteratio, vel mutatio non tam congruat, vel omninò non congruat.

Deus

Digitized by Google

747 Deus ergò dicitur cuncta feciſſe in numero, menſura, & pondere: quod à multis multiplicitèr explicatum inuenias. Naturalis porrò videtur explicatio, ſi dicamus, res omnes in eas tres claſſes diſtribui, vt aliæ ſint numerabiles, vt milites: aliæ menſurabiles, vt pannus; aliæ ponderabiles, vt ferrum: eſto interea eædem ſint ſimul menſurabiles, ac ponderabiles. Diſputent certè Philoſophi, an res quantitatis expertes, vt Angeli, numerum efficiant? Ariſtoteli negare placuit: & planè, ſi quæ quantitate carent, intra eamdem ſpeciem multiplicari nequeunt, Ariſtotelis doctrinæ locus aliquis eſſe poteſt. Hæc porrò parùm ad nos; Angelos numeramus, peccata numeramus; gratiam dicimus tantam, vel tantam. Deus ergo, quæcumque fecit, fieriue permiſit (nam eadem eſt ratio) diſpoſuit in numero, menſura, & pondere; mundum condidit in ea mole, quæ ſummæ perfectioni concineret; tot Angelos, tot homines, tot herbas, piſces, aquas, terram, elementa, cuncta profectò, ac ſingula, quot, & quanta optimo operi, optimo regimini, ſapientiſſimo Artifici congruerent: omnes quippè noſtri capilli capitis numerati ſunt.

Quomodo facta omnia in numero, menſura, & pondere.

748 Accidit ſanè, quod noſtros nos defectus inconſideratè Deo adſcribamus; eos verò faciliùs, qui minimi ſunt, vixque dignoſcuntur. Notus error eſt, Deum magna curare, minima negligere ineptientium: videt quiſque facilè hûc errorem, & vitat, nec miratur minùs Dei in minimis, quàm in maximis ſapientiam. Nihilominùs ex hoc tanto errore irrepit nonnihil inconſideratioribus; ſolent enim homines, licet magna curent, & parua, haud tamen ea curare æqualiter, nec defectus quidam in minimis conſiderari ſolent, vel vitio verti; & hoc genus aliquid videmur de Deo non tam opinari, quã non aduertere. Ecce ſi dixero; tot cœlos Deus fecit, quot debuit, nec plures, nec pauciores præſtantiſſimo mundo ita ſaltem congruerent, miratur planè nemo. At miraris, ſi dixero, tot muſcas, totue arenas procreauit, quot optimo mũdo perfectiſſimè congruerent. Quid hoc eſt, quam Dei prouidentiam, ſapientiamque non tantam æſtimare in rebus abiectis, & minimis, atque in ſummis, ac nobilioribus? Cum interea Deus omnia, magna, & parua in numero feciſſe dica-

In minimis error facilis

Digitized by Google

tur, quæ ad numerum pertinent: honi vtique, quòd numerabilium sit certus numerus, quæ nulla laus foret sapientiæ, vel operis; sed quòd in eo sint numero, qui oportuit. Ac rursùs, si ad compositionem muscæ, vel arenæ, vel herbæ infinitam sapientiam requiram, consentis facilè; at si ad earum recularum numerum tantã peritiam postulauerim, nimium tibi videatur, & vltrò dixeris, earum numerum nullius planè esse sapientiæ, vel laudis, sed voluntarium, ac arbitrarium.

Pinguis cognitio nostra

Quo circa aliud hic periculum est detegendum. 749
Scilicet quò est cognitio, sapientiaque minor, eò pauciora distinguit: & plura, ac minutiora, quò ea est præstantior. Obtusi visus vix nisi maxima corpora discernunt; perspicaces notant athomos, ac minutissima quæque. Est planè cæcutiens humana omnis quantacumque sapientia, & vix nisi maiuscula quædam discernit, præteritque innumera. Est vtique in rebus naturalibus maximum, & minimum; quænam tamen ea sint, nos latet. Est in numero magnum, & paruum: in pondere graue, & leue: transitum tamen illum, quo paruus numerus fit magnus, ponduſq; leue in graue abit, ignoramus: graue quidem iam maius effectum agnoscimus: paruum minus discernimus; minimum graue, maximũ leue; numerum magnum minimum, ac paruum maximum distinguit, dignoscitque nemo. Haud secùs planè transitus hic accidit, atque crescit homo, crescunt animalia, crescunt viuentia cuncta; quæ continuò quidem crescunt ob oculos nostros: nec discernimus tamen; & tunc demùm dignoscimus, ea creuisse, quando multùm creuere: quod exponendi alia identidem exempla supererant.

Hinc nobis ignorantibus tantum opinandi arbi- 750
trium: hinc tanta arbitrio boni viri relicta passim in paruitate materiæ, in furto, in collationibus, in confessionibus, in circumstantijs, atque hoc genus sexcentis, quibus Moralistarum scatet facultas, ijque plerumque arbitrantur liberiùs, qui obtusiores sunt, ignorantque maximè, quia nisi inter magnum bonum, & magnum malum vix distinguunt, & malum paruum bonum existimant, milleque eos circumstantiæ prætereunt. Hinc item in numero, mensura, ac pondere communissima

illa

Digitized by Google

illa noſtra locutio, *plùs, minùſue, fermè*, ac ſimiles. Hò verò hæc noſtra hebetudo fit manifeſtior, quod numeri omnes, pondera, menſuræque omnes etiam innominatæ, & incognitæ ſpecie differant; nos autem, quod mirandum minus foret, non ſolùm diuerſitas numerica ſub eadem ſpecie comprehenſorum, verùm tot etiam diuerſitates ſpecificæ prætereunt. Indè etiam, vt alia transmittamus, tanta illa cum medijs extrema, cum extremiſque media confundendi facilitas, quam ad Ethicam notant, experimurque paſſim: ac virtutum nomina vitijs, ac verſa vice tribuimus. Indè tanta illa inter alia diuinarum legum media ſingula præſcribentium, docentiumque neceſſitas.

751 Multas harum pingues imperfectiones eſſe, ac à Deo proindè remouendas, nemo, credo, non videt. At autem alias, eaſque ſubtiliores, nolent fortè aliqui, imperfectiones eſſe, vel fateri, vel aduertere, dicentque in numero, v.g. arenarum, aut herbarum intereſſe nihil, quòd centum plus minus exiſtant. Et certè haud multum litigarem nunc de arenis, niſi indè ad maiora veniretur. Nimirùm, vti ſuperiùs referebamus Catholicum à Manichæo captum, & quia culicem vnum à Deo non factum, incautus conceſſit, coactum gradatim demùm, vt idem de cæteris rebus omnibus concederet, idem quoque periculi ſubimus in præſentia; nam ſi in numero arenarum, muſcarumque nulla ars, laus ſapientiæ nulla, ex muſcis ad apes imus, indè ad paſſeres, ac demùm ad homines; ex hominibus porrò ad cœlos, ad Angelos facilè, nec mala conſecutione ibitur: vndè in nullo numero vlla Dei ſapientia, nulla gloria ſuperſit; adeò nullibi ſpernenda modica, ne in magna labamur.

Abeſt Deus ab his labibus.

752 Quid quod exploratum eſt, eſſe numerum tandem arenarum exceſſiuum proculdubio: alium ſimiliter nimis modicum, qui optimo mundo minimè congruant: quo ergo ab his extremis magis diſtatur, eò ſapientior eſt numerus. Hinc accipitur, eſſe demùm determinatum numerum, qui ſit ſecundum ſummam ſapientiam, & artem. Eſſet quippe v.g. numerus exceſſiuus arenarum mille: numerus defectiuus centum: ſi non ſit numerus determinatus, in quo medium artis conſiſtat, forent

Minutiſſima quæque in numero.

Digitized by Google

ſane multi numeri, quorum quilibet æqualiter cõgrue-
ret, & quos inter infinita Dei ſapientia nullum præfer-
ret: procreet ergo centum quinquaginta potens æquali
ſapientia procreare centum quadraginta: iam tunc li-
ceret dicere, decem arenas eſſe inutiles, fruſtraque, ac
nulli bono creatas. Rursùs inter eos numeros multos,
quos omnes optimos volunt, non omnes æque ab ex-
tremis diſtant, ſed plùs, & minùs; ergo ſeſe excederent
in hac ab extremis diſtantia: ergo in perfectione; at re-
pugnat optimum ab optimo excedi; repugnat ergo
hæc poſitio. Ac denique ſi homini ſaltem per Dei re-
uelationem innoteſcerent ea extrema, & videret nume-
rum à Deo factum, vt vident forte beatæ animæ: inue-
nirent autem numeros alios plùs ab extremis diſſitos,
corrigere Dei opera poſſent, dicereque, *hic à Deo electus*
numerus ad extremum magis vergit, quam hic omiſſus:
vno hìc gradu diſtat magis, &c. At ineptia eſt dicere,
opera Dei poſſe eſſe correctionis, & emendationis ca-
pacia, non ſolùm, qua ſiue corrigantur, ſiue emenden-
tur errores, ſed qua in meliùs dirigantur: vices planè
ſubiret Deus diſcipuli, quorum opera emendare ſolent
Magiſtri, nec ſolum errores corrigunt, ſed etiam rite
facta dirigunt in meliùs, & in optimum. Ergo, ſicut
in virtutibus eſt medium determinatum, licet noſtræ
ruſticitati ægrè notum, Deo tamen glorioſo notiſſimũ,
ſic in rebus omnibus, in numero, menſura, ac pondere
ſunt determinata, & indiuiſa media, nobis quidem la-
tentia, Deo tamen patentiſſima. Et certe ſi rerum
mundi potiſſimarum, vt elementorum, ac ſimilium, erat
determinatus numerus optimo mundo congruens, ex
his potioribus partibus naturali neceſſitate, & conſecu-
tione reſultat tantus determinatus numerus rerum mi-
nutiorum, arenarum, culicum, muſcarum, &c. Vnde
magnarum rerum determinatus numerus optimus in-
fert minimarum optimum identidem numerum.

Solent plane homines pro diuerſis rebus vti diuer- 753
ſiſſimis menſuris, ac ponderibus; modo item numeran-
di diuerſiſſimo. Res exigui pretij, ac viles quoquo mo-
do, & maioribus menſuris, ac ponderibus menſurant, ac
ponderant: in quibus ſcilicet interſit parùm, quod fal-
lamur nonnihil. Porrò ad res pretioſiores bilãces quæ-
runt

Digitized by Google

runt minutissimas, exactissimasque, ne vel in minimo fallantur; in quibus scilicet rebus error quilibet magnus est, et si excogitare scirent, ponderibus, mensurisque vterentur vel Mathematicis, vel Metaphysicis. Aurum videas tam accurato, minutoque labore ponderatum: nummos æreos plenis saccis ponderant instar ferri: plũbum, ferrumque pingui certè studio, & vix non tumultuario opere. At glorioſi Dei noſtri alia eſt ratio; omnia magna, & parua numerat, menſurat, ponderat eadem ſuæ infinitæ ſapientiæ ſtatera, quam nec athomus una, nec apex prætereat, ſiue fallat: ſunt deindè Deo creaturæ quæque ſuæ pretioſæ, quæ nimirùm tota ipſius ſapientia, potentiaque conſtitere. Optimi prætereà artifices optimam quidem materiam conquirunt; at ſi vilior aliqua, ineptiorque eſſe contigerit, in ea nihilominùs totam ſuam peritiam exerunt: imò eò plus artis multoties inſumitur, quò ineptior materia. Res itaq; mundi omnes habent, quòd res tales ſint, & ſic multæ videntur eſſe abiectiſſimæ quidem, & ineptiſſimæ: habent prætereà, quod partes ſint ingentis, præſtantiſſimique operis, artificijque plane diuini. Hinc nulla nõ pretioſiſſima, nulla non minutatim, exactiſſimeq; menſuranda, ponderanda, exquiſitiùs planè multò, quam ab hominibus numerentur, ponderenturque res quæq; pretioſiſſimæ. Quod ergo nobis inutiles arenæ, Deo artifici res ſunt ingentis pretij, & artificij. Nihil ergo non numerat, ponderat, menſuratque minutiſſimè, infinita vtique ſapientia, eſtque in omnibus glorificandus.

Creaturæ omnes pretioſæ Deo.

Omnes exactè numerat mẽſurat, ac ponderat.

754 Diuinam hìc libertatem, diuinumque arbitrium perditum putant multi. Eam tamen libertatem exponendi, & cum ſapientia conciliandi locus hic non eſt; ſcribemus aliquando, ſi dabit Deus, de natura, & gratia; tuncque eam Prouinciam perlibenter ſubibimus. Nunc tuta eſt Theologia, Deum teneri ad optimum: ſatis porrò eſt, quod, credo, negauerit nemo, ſi ea, eiuſq; generis ſit Deo libertas, & arbitrium ad numerum arenarum, quod ad mundi fabricam, ordinumque illius productionem: nec hoc circa addendum nunc aliud.

Diuinæ libertatis explicatio non hùc attinet.

Nolim verò, tam mo putes ineptum, qui ad vnã horam, vel diem, vel annum, vel ſæculum eos diuinæ ſa-

Obſeruatio neceſſaria.

Digitized by Google

ſapientiæ numeros, menſuras, ponderaque affigẽ. Scio equidem, vno anno plus herbarum, ventorum, niuium, fructuum, & hoc genus cætera corruptibilia exiſtere: imò æſtate integra ſingulis annis non ningit: hyeme ningit abundè, &c. quodque in tempore, hoc in locis etiam contingit. Sicut ergo partes mundi reliquæ vnũ totum, & mundum compingunt: ſic tempora, ſic loca omnia unum locum, tempuſque conſtituunt, ex quibus denique conſtet uelut ex partibus inter cæteras mundus. Hæc omnia, & omnium, & ſingulorum ordo, cõcinitas, cohærentia nos quidẽ fugit toto cœlo: at Deus res rebus, tempora temporibus, loca locis: res locis, & temporibus; præterita præſentibus, præſentia futuris, & omnia omnibus aptauit tam exacto conſilio, tam minuta prouidentia, tantaque demùm ſapientia, ut in ſtuporem rapiendus eſſet profectò quiſquis tanti ordinis partem aliquam magnam conſpiceret. Hinc tam iucunda diuinorum operum conſideratio, dulciſque ſuper mel, & fauum. Hinc tam frequens illa Auguſtini phraſis, *prout viſum eſt congruere temporibus.* Vt itaque homo non uno die, non uno anno perfectiones ſuas nãciſcitur, ſed perfectiones, imperfectioneſque uariat, & iam puer reptat, ineptit; iam uir ſapit; iam ſenex delyrat; ſic mundus uices habet, & tempora mutat, & hoc, & illo tempore uarias perfectiones, ac imperfectiones uariat: iam bello furit, iam contagio flagrat, fructibus abundat, caret, &c. Dei utique iudicio, iuſtiſſimo certè, ſed occultiſſimo.

Obiecta concordiæ defenſio.

Aduerſariorum quæſitũ diminutum.

TOta itaque concordiæ difficultas eò demum refe- 756
rebatur, ut quærerent, an Deus poſſet, ſciret, & uellet omnes agnitione ueritatis donare, nullumque errorẽ permittere, nec hæreſim; an vel neſciret, nec poſſet, uel nollet? Hùc tota cauſa reuocatur: hùc totus aduerſariorum impetus dirigitur.

Et ego planè reſpondeo, interrogationem non in- 757
tegram, non iuſtam eſſe, ſed diminutam: addendum quippe fuerat, an ſciret Deus, poſſet, & uellet, an etiam ex-

Digitized by Google

expediret, & oporteret? Tunc que dico, non expedire, non oportere, vt nulli errores, hæreſes nullæ permittãtur. Eos ergo errores, tunc & ibi permittit, quot, vbi, & quando expediunt. Plura porrò ſcimus, & poſſumus, quam expediant. Poſſet quidem, & ſciret Dominus Prorex vænalium fœminarum multitudinem, qua vrbs iſta fœtet, vel ad exilium totam mittere, vel etiam in laqueum: at, ſi fides aliqua mundi Rectoribus, non expediret, non oporteret; nec, vt creditur, ageret prudẽter; nec Deus proindè, ſi Regnum ſe ſolo adminiſtraret, ita decerneret. At, inquis, Deus poteſt omnes bonos efficere. Idem reſpondeo: poteſt vtique: at non expedit: ſunt verò homines ipſi in cauſa, ne expediat; vt quæſt. ſeq. dicetur. Si cunctis vtique tantam gratiam contuliſſet, quantam ſuæ Matri ſanctiſſimæ, peccaſſet fortè nemo; conferre illam potuit, ſed non oportuit. Quemadmodum omnes, vt Matrem ſuam, præſeruare à peccato originali potuit quidem, ſed non oportuit; & de hoc, cum eadem tamen ſit ratio, conqueritur nemo. Fortè conquerimur magis de peccatis perſonalibus, à quibus multi vel præſeruantur, vel ſaltem liberantur: de erroribus item religionis, quorum immunes orthodoxi omnes exiſtimus; & hæ multis conceſſæ gratiæ viderentur omnibus concedendæ. Verùm nullus hinc queſtibus locus; vt enim in originali vnam ſolam præſeruari oportuit, cæteros præſeruare non ita; ſic in cæteris peccatis, & erroribus, ut totidem liberarentur, expedijt; & id optimum eſt, quod Deus uel fecit, uel permiſit.

An Deus velit, quæ nõ oportent.

758 Ergo, inquis, Deus non uult omnes eſſe ueritatis conſcios, ſiquidem non id oportet: uel quod abſonum foret, uult Deus, quæ non oportent. Dico; Deus uult omnes reddi conſcios ueritatis, ut oportet: at oporteret, ut ijs medijs, eaque gratia, quam plus, uel minus concedit omnibus ſufficientiſſimam, redderentur certiores ueritatis uniuerſi, eumque in finem eam omnibus impertit, ut ſalui fiant, & ad ueritatis cognitionem ueniant. Non ergo Deus ſolùm uellet, ſed uult; nec ideò uult abſurda, & quæ non oportent, ſed conſonantiſſima, conſultiſſimaque. Vult quidem omnes trahere; nec tamen ita uult, ut ad incongrua, & inopportuna ex eo cogatur. Ideò non quia omnes uult trahere, de-

Digitized by Google

debet omnes tanquam Paulum uocare, nec extraordinarias gratias ordinarias facere.

Iuuat nonnihil idem Domini Proregis exemplum: 759
non enim ſolùm vellet, ſed vult, idque ſeriò Chriſtianiſſimus Princeps, ne vllum committeretur in vrbe peccatum, idque oportunis omnibus medijs procurat; nec tamen ideò ad abſurda cogitur, vt vel urbem ſuccendat totam, omneſque ne peccemus, perimat; vel meretrices omnes ſuſpendat: eas quidem modis alijs adiuuat; ſi quæ reſipiſcunt, curat eas ali; etc. impedirentur fortè multa ſcelera ſaltem ob perſonæ reuerentiam, ſi quandoque eas ipſe alloqueretur, hortaretur, & hoc genus alia gereret minutiora: haud tamen expediret. Non ergo vellet ſolùm, ſed vult: at non modis non congruis, non ſapientibus; ſed oportunis, conſultiſque. Maiora plane, & quorum nulla ſit ſimilitudo, gerit glorioſus Deus pro ſalute noſtra; continuò vocat; largitur gratiã per athomos, per momenta: ſtat ad oſtium, pulſatque, & repulſat: maioribus medijs aperiret ipſe, ſi ea concederet: at non expedit, non oportet, niſi huius menſuræ, ac ponderis gratiam concedi hominibus. Nec tamen ideò non vult; utique vult, ſed his medijs, his auxilijs, hac menſura gratiæ, quæ ſapientiæ ſuæ oportuna viſa eſt, vt mox diſtinctiùs explanabo.

Eam ergo gratiam, quam nulli non concedit ſuffi- 760
cientiſſimam, non, vt ſaluari poſſimus, donat, ſed vt ſaluemur. Idcircò, vt Theologi ferè omnes, & grauiores quique concedunt, vult Deus ſalutem, fidemque omniũ voluntate, quam uocant antecedentem, eaque ſeria, uera, ac minimè illuſoria. At, quod temporis huius explicare non eſt, pauci eam uoluntatem antecedentem exponunt ritè: S. Thomas digniſſimè, pleniſſimeque rem aperuit, omnem antecedentiam, & conſequentiã à Deo remouens, ad volita reijciens, modumque amandi diuinum, qui à noſtro diſcrepat toto cœlo, altiſſimè tradẽs; nihil enim ſerium, & graue per illas neſcio quas alias uolitionum diuinarum ſeries, anfractus, inuolucraque habueris. Itaque uoluntas antecedens fidei omnium, eaque veriſſima eſt in Deo, ſed Deo digna, à noſtro modo differens, pridem à nobis expoſita, & quæ, & qualis à D. Thoma traditur. Atque hoc hìc pro Theologis ſa-

tis

Digitized by Google

tis ; non Theologi porrò hanc annotationem transiliant, quæ nihil ad ipsos .

761 Ad nostrum itaq; stamen redeamus. Si itaq;vt nuper statuebatur,est in rebus cæteris etiam minutissimis, in herbis, in muscis, in arenis numerus certus , qui non ex solo arbitrio , sed ex sapientiæ diuinæ consilio existat, non dubium , quin idem à fortiori in hæresibus, in erroribus , in peccatis omnibus, quorum numerus reginen mundi magis concernit , sit planè tenendum.

Sapietiæ diuinæ congruens numerus errorum permissus.

762 Ideò hac in re tantus in sanctis libris recursus ad altitudinem diuitiarum sapientiæ, & scientiæ Dei , ad incomprehensibilia iudicia, ad inscrutabilia consilia,ad inuestigabiles vias . Video sanè , hæc à multis , citra discussionem tamen, & vltrò,reuocari ad diuina decreta, non ex speciali quidem sapientiæ dictamine cõcepta, sed vltrò, citròque,cum contrarium æquè potuisset, à Deo formata.At mihi interea liceat pinguiùs sapere, &per consiliũ consiliũ,per iudiciũ iudicium,per sapientiam sapientiam simplici modo intelligere . Decretum quidem ex consilio habitum , eique magis conforme, quam suum contrarium, appelletur vtique consilium, appelletur iudicium,vt supra disseruimus de voluntatis, & intellectus vicissim communicantibus denominationibus: sin minùs, planè non est, quare consilia cum decretis confundamus.

Exponitur.

763 Et quidem de occultis Dei iudicijs effamur passim omnes,ad eaque confugimus à sanctis libris edocti, quoties vel hæresim aliquam vigere multum , vel sanctissimum aliquem labi, uel similes magnos effectus cõspicimus . Sensus porrò non est, quid Deus voluerit; sunt quippè iam tunc nobis non latentia, sed patentia decreta, atque in effectibus ipsis manifesta . In his ergo supponimus , aliquid esse in diuina sapientia nobis absconditum,latens aliquod consilium,ex quo effectus eos vel permitti, vel disponi oportuerit; & ideò perpetuò dicimus, *quis cognouit sensum Domini ?* aut consiliarius eius fuit? ò altitudo sapientiæ ? &c. Atque horum multa sanctis suis referat Deus iuxta illud, *incerta , & occulta sapientiæ tuæ manifestasti mihi* : & similia . Hinc Sanctus Thomas, ac eius schola prædestinationem per intellectum definit:imitantur alij:nec S. Augustinus in-

Digitized by Google

tellectum præterijt. Adeò non solum quia vult, & ex solo libito, vt multi philosophari videntur, ac citra sapientiæ exquisitas leges, ac rationes mundum gubernat Deus, aut homines.

Quædam secundum se, & nobis ignotissima.

Itaque duo genera rerum, vt sapientes notarunt, 764
sunt nobis incomprehensibilia, & vel prorsùs, vel plurimùm ignota, per excessum entitatis alia, per defectum alia. Deus glorioſus, cum sit natura omnium notissimus, est tamen nobis ignotus valdè propter excessum infinitæ perfectionis: a contrario, vt S. Thomas obseruat, indiuisibilia sunt secundum se, & nobis etiam ignotissima propter entitatis defectum. vix, aut ægrè perceptibilia: hinc proculdubio tanta illa continui exponendi numquam superata arduitas: est ob idem ignota plurimùm materia illa, ex qua omnia fiunt, & appellant primam Philosophi: & tamen, quæ est libido hominum, de nullis rebus tot mouent, tot quærunt, disputant, docent multi: vt otiosi alij de nullis magis inquirunt, quam de futuris. De Deo quidem, licet nobis ignoto, natura tamen notissimo, quique multa de se nobis enarrare dignatus est, alia est ratio, ac præ omnibus eum meditemur, oportet; tamen, quod toties commendauimus, secundum ea, & ex ijs, quæ ipse nobis ignorantibus, nec alioqui quidquam profecturis reuelauit, humilibus vtique, & sua maximè ipsi credentibus.

Ignota opera sapientiæ Dei per excessum.

Hinc in operibus similitèr duo genera sunt nobis 765
incomprehensibilia, ignota, inscrutabilia: scil. quæ nulla, & quæ maxima sapientia fiunt; & omnium ea demùm sunt difficillima, quæ nulla, & quæ infinita sapientia constant propter excessum, & defectum. Ideò nobis ignota sunt prorsùs, quæ casu fiunt, vt iactus talorum, & cur coenses potiùs prodierint, omninò nescimus; & quis numerus sequenti vice proijciendus sit, ignoramus prorsùs: quia in his saltem nobis cognitis causis nulla est ratio, nulla connexio; pendentque ex variationibus motuum minimis nos omninò latentibus. A contrario per excessum artis, & ordinis (excessus vocatur comparatiuè ad nos) ignota sunt nobis, & inscrutabilia opera Dei; inuestigabiles viæ; quæ etiam propterea semitæ non semel appellantur, propter subtilitatem scilicet; nec

ineptè

Digitized by Google

ineptè diuinam ſapientiam quoad hoc rectiſſimæ lineæ comparaueris, quæ torqueatur, quæ flectatur nullibi, & quæ ſine flexibus, ſine obliquitatibus etiam minimis procedat rectiſſima, attingens à fine vſque in finem fortiter, diſponenſque omnia ſuauiter. Hinc mediocris ſapientiæ, mediocrium librorum lectores, ſectatoreſq; in mundo plures: magni ingenij Principum, Ducumque magnus in hoſtibus timor.

766 Haud porrò tot hæc de diuina ſapientia ediſſerens reijcio eam Pauli de luto, & figulo ſimilitudinem: haud illas ſententias remoueo, ſed admitto, & firmiſſimè credo, *cuius vult, miſeretur*, nempè Deus: *quem vult, indurat*, atq; ſimilia permulta quæſt. ſup. inſinuata ſunt. Dicat quis hanc etiam ipſam orationem demùm deductam à Paulo ad altitudinem diuitiarum ſapientiæ, & ſcientiæ Dei, & ad incomprehenſibilia iudicia, cap. 11. eiuſdem epiſtolæ. Enimuerò in rebus ſanè verſamur maximis, delicatiſſimiſque, in quibus vix citra hæreſim errare queas. Quare præter morem aliqua mihi cautio neceſſaria videatur. Viſum erat, re altiùs ducta, duplicem Dei electionem diſtinguere, mea quidem ſententia, diſparem, quarum alteram cap. 9. ad Rom. alteram deſcribit Paulus cap. 11. At timui, ne labores addens laboribus, vbi perſpicuus eſſe deſidero, redderer obſcurior. Quibus proindè in diem alium remiſſis, inualuit apud aliquos à Nominalibus pridè vſurpata conſuetudo recitatiuè, vt vocant, & non aſſertiuè, nec affirmatiuè, ideſt, proponendi magis, quam ſtatuendi.

Aliqua pure Dei arbitrio relicta.

767 Hunc ego Nominalium morem, quem in D. Thoma, alijſque præclariſſimis Doctoribus vix vſurpatum inuenio, vt nec alia eiuſdem illius ſcholæ placita, & vias probare ſanè non potui. Vt porrò aliquandò rarò id facerem in rebus his præſertim ſummis, eaſque *non affirmando, ſed quærendo* tractarem, *in libris maximè, quos diuina commendat authoritas, in quibus temeritas aſſerendæ incertæ, dubiæque opinionis, difficilè ſacrilegij crimen euitat*, hæc mihi Auguſtini uerba, & exemplum lib. de Gen. ad litt. imperf. cap. 1. animum faciunt, authoritatemque conciliant.

Cautio.

768 Fateor itaque id, quod figulo, eſſe Deo arbitriũ, vt hunc eligat, hunc reijciat: diligat Iacob nondùm

Figuli cum Deo apta collatio.

Digitized by Google

natum, odio habet Esau. At figulo sapientèr operanti non illud est arbitrij, vt vasa cuncta in contumeliam efficiat, cunctaue in honorem; vtrisque enim opus est hominibus. Sic *necesse est, vt veniant scandala*; oportet, vt peccata permitttãur; quæ opportunitas, ex quo primitùs nascatur, quæst. seq. declarabo: quod porrò me, vel alium permittat labi, Iacobum præferat Esau, Paulum vas electionis cõstituat, Petrum Ecclesiæ præficiat, Iudam, quem præficere paritèr valuisset, ex Apostolo in Traditorem abire permittat, hanc vnius ad alterum prælationem nullum fortè multoties dictitat diuinæ sapientiæ consilium, sed integrum electioni permittit, nec responsionem habet aliam, quam *ò homo? tu quis es, qui respondeas Deo? Numquid dicit figmentum ei, qui se finxit, cur me fecisti sic?* Idcircò nullius in particulari prædestinatio, vel electio causam habet aliã, nisi quod Deus, *cuius vult, miseretur*. Perditio porrò, & condemnatio habet.

Peccatum originale haud præter mittendum.

768 Quidquid verò Theologi quidam contra Augustinum obstrepant, negare ego minimè possum, hoc loco, vbi prædestinationis, & electionis vniuscuiusq; forma potissimùm exprimitur, à Paulo acceptam massam humani generis iam infectam peccato originali, vt massam peccatricem, & cui contumelia deberetur. Quamobrem de facto saltem (quippe de possibilibus nihil curo) neminem reprobat Deus nisi iam peccatorem; & ex massa iam infecta, *cuius vult, miseretur*; cui proindè immensam efficit gratiam; *quem vult, indurat*, seu relinquit, cui proindè nullam facit iniuriam; sed maximam potius gratiam: nullum tamen ita relinquit, cui sufficientissima media non tribuat, quibus, si velit, saluetur; in reprobatione proindè non quid prætermissum est peccatum originale, sed cuius maxima consideratio habeatur, & ex quo occasio multarum permissionum facta sit.

Cur illud permiserit?

769 At mox imus ad peccatum ipsum originale, cur Deus sciens, potens, volensque, ne illud eueniret, tamen permiserit? Respondeo; quia oportuit: ita Sancti Patres mox referendi respondent, variasque rationes exhibent, quibus id summæ Dei sapientiæ consonum ostendant.

Opor-

Digitized by Google

Oportet ergo & hæreſes eſſe.

770 ECce ille ipſe Deus, qui vult omnes ad agnitionem veritatis venire, teſtatur nobis interea per Apoſtolum ſuum, *oportet & hæreſes eſſe*, & item, *neceſſe eſt, vt veniant ſcandala*. Haud ergo mirùm, ſi eas eſſe permittat. Quid ergo alij obmurmurant, miramurque alij? Nec intereſt, ſi hoc loco Chryſoſtomus, & alij nomine hæreſis non tam hæreſes, quam diſſidia ad cœnã conuenientium intelligant.

Conditio præſentium temporum (ſcribit Tertull. lib. de præſcript. cap. 1. *etiam hanc admonitionem prouocat noſtram, non oportere, nos mirari ſuper hæreſes iſtas, ſiue quia ſunt; futuræ enim prænuntiabantur: ſiue quia fidem quorumdam ſubuertunt; ad hoc enim ſunt, vt fides habendo tentationem, habeat etiam probationem. Vanè ergo, & inconſideratè plerique hoc ipſo ſcandalizantur, quòd tantum hæreſes valeant, quantum ſunt; cum quid ſortitum eſt, vt omnimodò ſit, ſicut cauſam accipit, ob quam ſit, ſic vim conſequitur, per quam ſit, ne eſſe non poſſit. Febrem deniq; inter cæteros mortiferos, & cruciarios exitus erogando homini deputatam, neque quia eſt, miramur; eſt enim: neque quia erogat hominem; ad hoc enim eſt. Proindè hæreſes ad languorem, interitumque fidei productas, ſi expaueſcimus, hoc eas poſſe: priùs eſt, vt expaueſcamus, hoc eas eße: quæ dum ſunt, habent poſſe; &, dum poßunt, habet eſſe.*

771 *Sedenim febrem vt malum, & de cauſa, & de potentia ſua, vt notum eſt, abominamur potiùs, quam miramur, & quantum in nobis eſt, præcauemus. Hæreſes verò mortẽ æternam inferentes, malunt quidam mirari, quod hoc poſſint, quam deuitare, ne poſſint. Cæterùm nihil valebunt, ſi illas tantùm valere, non miremur. Etenim, dum miramur, in ſcandalum ſubminiſtrantur; aut quia ſcandalizantur, ideo mirantur, quod tantum valeant, quaſi ex aliqua veritate veniant. Mirum ſcilicet, vt malum vires ſuas habeat; niſi quòd hæreſes apud eos multùm valent, qui in fide non valent, &c.* Adeò inconſideratio, admiratioque ipſa eorum, quæ non mirari, ſed abominari deberemus, nocet incautis.

Non

Digitized by Google

Nec mirari errores debemus; nec de permissione murmurare

Non est ergo, cur vel miremur, vel queramur, vel obmurmuret quis, quia fiat hæreses. Nimirùm miramur de insolitis, inopinatisque rebus. At hæreses satis visitatæ sunt, & prænunciatæ, prędictæque. Murmuramus deindè de ijs, quæ non oportent: at hæreses esse oportet; *vt, qui probati sunt, manifesti fiant in vobis*, inquit Paulus ea ep. 1. ad Corinth. cap. 11. Ineptum est ergo murmur: nostraque apta responsio supra data, non oportere, vt Deus alijs medijs vtens omnes ad veritatẽ adduceret.

Errorũ opportunitas.

Solùm negare prophani possunt eam hæresum cõ- 772
gruentiam, & opportunitatem. Quam nũc ideò statuere est animus. Primus itaque differat Augustinus lib. de vera rel. cap. 8. *Sed quoniam verissimè dictum est, oportet, multas hæreses esse, vt probati manifesti fiant inter vos, vtamur etiam isto diuinæ prouidẽtiæ beneficio. Ex his enim hominibus haretici fiunt, qui, etiamsi essent in Ecclesia, nihilominùs errarent. Cum autem foris sunt, plurimum prosunt, non verum docendo, quod nesciunt; sed ad verum quærendum carnales, & ad verum aperiendum spiritales Catholicos excitando. Sunt enim innumerabiles in Ecclesia sancta Deo probati viri, sed manifesti non sunt inter nos, quamdiù imperitiæ nostræ tenebris delectati, dormire malumus, quam lucem veritatis intueri. Quapropter multi, vt diem Dei videant, & gaudeant, per hæreticos de somno excitantur. Vtamur ergo etiam hæreticis, non vt eorum approbemus errores, sed vt Catholicam disciplinam aduersus eorum insidias assumentes, vigilantiores, & cautiores simus.* Atque similia alijs etiam in locis scribit. Ergo oportet hæreses esse.

Alia oportunitas.

Cyprianus lib. de vnit. Eccles. *Oportet, & hæreses* 773
esse, vt probati manifesti sint in vobis. Sic probantur fideles; sic perfidi deteguntur: sic ante iudicij diem hìc quoque iam iustorum, atque iniustorum animæ diuiduntur, & à frumento paleæ separantur. Idircò fortè, qui non credunt, iam iudicati dicuntur.

Multas porrò hæresum, atque errorum pijs qui- 774
busque vtilitates contingere, ob quas expediat eos à sapientissimo Deo permitti, illi solùm negauerint, qui parùm res considerant. Differo nunc alias malorum omnium generales congruentias, mox producendas.

Pri-

Digitized by Google

Prima vtilitas exhibita est à Paulo. Addita alia ab Augustino, vt per hæreticos de somno excitemur. A Cypriano adiuncta alia, vt perfidi, qui contecti, & quoquo modo orthodoxi plùs offeciissent, iam per hæresim detecti nocere valeant minùs. Nunc percurramus alias.

775 Expedit certè, tunc fidem diuinam, in qua vera religio fundatur, tum ipsam veram religionem, vt cæteras quoque virtutes, ad omnem perfectionem in aliquibus saltem deduci ab Authore suo sapientissimo, procurariq; in omnibus. Est verò specialior etiam præ alijs virtutibus de fide ratio; quæ nimirum, cum excisura sit, nec in cœlo, vt pleræque virtutes, remansura, nequit, vt illæ, ad perfectionem, complementumque duci in alia vita. Omnis ergo illius perfectio hac in vita procuranda venit, à Deo, nobisque simùl impendenda.

776 At multiplex perfectio, eaque eximia, nisi errores, & hæreses essent, accrescere fidei non potuisset de facto. Nimirùm fidei quasi manus, & perfectio vltima est martyrium: martyres autem sine erroribus non essent. Vide, quæso, quale decus, quæ gloria Deo, Ecclesiæ, ipsisque inuictis martyribus excreuerit ex tot illustribus martyrijs? Ecce nisi fuissent errores, Ecclesia non habuisset Stephanos, Laurentios, Catherinas, Agathas, & hoc genus innumera in omni sexu, in omni cõditione, ætateque præclarissima, & admiranda planè ornamenta, documenta, exempla: licet hæc, nisi homines defuissent, suppleri potuissent aliundè, vt quæst. seq. dico.

777 Hùc tu reuoca, quæ omnia oratione complecti non possumus, innumera errorum causa ab hominibus edita facinora: occurrunt scripti libri, in quibus vel vnus Augustinus quantum decus Ecclesiæ? reliquorum Sanctorum Patrum quantus honos? tot peragrata itinera, victa pericula, exilia, ærumnæ, carceres: nostris etiam ætatibus fermè infiniti Indos, Iapones, Chinenses, Persas, aliasque hàc illàc gentes errorum euellendorum, veritatisque annuntiandæ causa petunt quotidiè: quibus exemplis, præclarisque gestis locus sine erroribus non esset. Verùm hæc tanta nihil sunt: illud

mi-

Digitized by Google

mirandum, magnoq; futurum solatio, quòd citrà errores Dei nos Filius morte illa pretiosissima redimere haud potuisset. *O felix culpa!* exclamat Sancta Mater Ecclesia, *quæ tantum, ac talem meruit habere Redemptorem*. Fœlices ego errores, propitiosque ex euentu vocauerim, sine quibus Dei Filius morte nos sua haud redemisset.

Alia mox occurrit errorum, ac hæresum opportunitas ingens. Scio equidem, per paleas commixtas frumento, per superseminata tritico zizania plerumque non errores, nec hæreses, sed fidelium alia peccata intelligi. At nuper Cyprianus per paleas hæreses significatas accipit: Tertullian. zizanijs idem intelligit citato libro, & aliàs; item Aug. lib. 9. in Matt. cap. 11. & alij. Et certè omne genus peccati, vel peccatorum per paleas, per zizania, per virgines fatuas, &c. congruentèr intelligas. Nunc ecce in consilio Deus, & homo; ideſt, Paterfamilias, & Agricolæ. Quid visum Agricolis? *Serui autem dixerunt ei; vis, imus, & colligimus ea?* Quid Patrifamilias?? *Non: sinite vtraque crescere vsque ad messem, & in tempore messis dicam messoribus, &c.* Matth. 13. Hæc ipsissima nostra quæstio. Homines dicunt, ò si nullæ essent hæreses, errores nulli? cur non eos Deus eradicat? cur permittit? Et tamen Deo aliud videtur, permittitque innumeros; *sinite utraque crescere usque ad messem*, ait: sed primitùs quidem ab alio superseminata zizania. Mirùm scilicet, quantum creuerit fides, quàtum virtutes aliæ creuerint concussæ, probatæque hæresibus. Si fides ijs aliqua, qui Germaniam, qui Angliam hoc seculo reuiserunt, maior ibi orthodoxorum, & fidelium deuotio: haud ibi templa colloquijs, turpiloquijs prophanant, & in omni genere virtutum præstant, facientes cum tentatione prouentum. 778

Nunc quidem Italiæ, Hispaniæque nullis erroribus fœdantur. Quid verò si fortè, furente Diocletiano, placebant Deo magis? Quid si magis nunc Anglia, quam ante casum Henrici, quando tot boni orthodoxi tanta in bonis, in alijsque passi sunt, atque etiam patiuntur propter fidem? Quis hæc mensuret palmo, uel numeret digitis? Adeò hæc supra nos. Nimirùm plus Deo gloriæ, plus perfectionis Ecclesiæ accresci ex uno optimo 779

Digitized by Google

tino Christiano, quàm ex duobus mediocribus, & quã ex centum forsitan. Plus est vnum librum optimum componere, quam mediocres mille: plus laudis nactus est Apelles ex pictura vna, quam alij ex infinita multitudine. Quis illud crederet? quod tamen ille ait, qui nec fallit, nec fallitur, Luc. 15. *Dico vobis, quod ita erit gaudium in cælo super uno peccatore pœnitentiam agente, quam super nonaginta nouem iustis, qui non indigent pœnitentia.* Quid si fortè, quod quemque multùm iure terreat, ab Ambrosio tamen asseritur lib 2. de pœnit. cap. 10. pœnitentia tam difficilis sit virtus, tamque rara, vt facilius inueniatur, *qui innocentiam* (quod tam rarum est) *seruauerit, quam qui congruè pœnitentiam egerit?* Meritò ergo tantopere gaudeat cœlum *super uno peccatore pœnitentiam agente.* Meritoque Deus malit paucos Christianos optimos, quam mediocrium multitudinẽ ingentem.

780 Hæ sunt errorum opportunitates aliquot: alias libens prætereo. Haud tamen illam subticebo, quæ mea sententia valdè cordi sit Deo nostro, & occasio maxima summæ attentionis, & alterationis in vniuerso regimine Dei. Fastum illum dico mortalium, illam insanam, cum homineque ipso natam elationem, quæ attrita licet toties, tantisque refracta casibus, nusquam discit, videturque ipsis etiam pœnis insolescere. Heu quot mala permisit ab initio Deus huic curando malo opportuna? & vix quidquam profectũ est. Errores percurramus. Annis plus minus quatuor millia siuit gentes pœnè omnes delyrare in summis quibusque rebus: eccur verò ità? Paulus testatur, quia euanuerunt in cogitationibus suis, nec gratias egerunt. Idcircò obscuratum insipiens cor eorum, traditique in reprobum sẽsum. Et didicitne orbis? Venit utique ipse Dei Filius nos edocturus. Et quid effectum? *Et mundus eum non cognouit: & sui eum non receperunt*: Iudæi una, & Gentes eum cruci affixerunt; illius sapientia, factorumque series scandalum Iudæis visum, visa Gentibus stultitia. Sic superbit, insolescitque mundus.

Potissimùm euellenda superbia.

Quanta à Deo ob id permissa?

Parũ tamen didicimus.

781 Sed verò accepta demùm a plerisque illius doctrina. Accepta vtique: sed quomodo? quanto honore? *Alij de vnaquaque dispositione disceptant* (fatur in alios

Doctrina Dei modicus honos.

Digitized by Google

alios Tertull. lib. de anima) *hi statum aliorsùm abduxit, prout aut Platonis honor, aut Zenonis vigor, aut Aristotelis thenor, aut Epicuri stupor, aut Heracliti mœror, aut Empedoclis furor persuaserunt.* Aristotelis adhùc, vt satis ab operis ferè principio dolemus, amplum in mundo regnum. Sibi quidem relictæ tot sæculis gentes insanierunt planè. Conqueruntur multi tandiu eas à Deo ferè neglectas. At Deus singulos quidem, sed mundum maximè gubernat. Quid porrò tot experimentis profectum? Post tanta illa Pelagius quidam prodijt, dixitque, naturam se sola ad veri cognitionem citra omne Dei adiutorium sufficere. Auditusne in mundo? Planè auditus, sectatoresque nactus tam innumeros, vt Ecclesiam Dei haud parùm oppugnauerint, turbauerint.

Multorum vanitas.

Quid insolescimus? Voces illas, *ius naturale, ratio naturalis,* quò à doctrinis, iuribusque omnibus tam liberè appellatur, quantum nondum sanati vulneris, fastusque argumentum? Dicat sanè alius, nondum satis errorum permissum: viles adeò, procacesque creaturas abijciendas prorsùs à Deo, vt desipiant, delyrent, furant. Alij adhuc artes magicas colunt, & sese Cacodœmoni vouent; ex astris diuinant alij: religionibus ipsis Cardanus genituras cudit; vbique domus comedijs, tragœdijs, fabulis scatent; Virgilius super astra extollitur: Cicero è celo delapsus plauditur. Et quanta interea diuinæ doctrinæ lectio, consideratio, scientia, vsus? Ne quem offendamus, maiora hìc alia silentio obuoluantur. Singulis pœnè ætatibus hæretici prodiere, qui Ecclesiam oppugnarent, quique ructarent scripturas; nusquam eas ritè intellectas, à se primùm probè expositas effutirent, & insolescerent: et post tot tamen priorum documenta audiuntur. At à Dœmone hunc scripturas obloquendi vsum inductum; mox ab Hæreticis singulis vsurpatum, nouerat mundus: præmonuerant Sancti Patres omnes: scripturis eos abuti, vt tragici centonibus, expresserat Irenæus; Tertullianus eodem exemplo præcauerat. Sed verò post tot tanta quid factum? Monachus Apostata uxoratus nouam religionem cudit: Canonicus ustulatus aliam mox suscitat; ex uno monstro infinita extemplò subnascuntur; susque, deque Europã uertunt: post quindecim fermè Ecclesiæ peracta sæcula

à se

Digitized by Google

à se primùm, & à singulis, & contra se scripturæ rectè intelliguntur; Concilia, Sancti Patres conculcantur; Lutherus mille Augustinis præponitur. O sæculi pudēda monstra! hominumque fœtentia dedecora! Siccine delyrat humanus non tam fastus, quam furor, quam amentia. Oportet ergo hæreses esse, vt homo se nouerit. Adeò errorum ipsa multitudo permissionis errorum iusta defensio est. Atque in idem argumentum subdenda mox alia.

Necesse item est, vt veniant scandala, peccataque permittantur.

782 LIcet errorum propriè permissio nostram nunc defensionem exposceret, cum aliorum quoque scelerum par sit causa, pro institutæ concordiæ complemento visum est, ad eorum etiam permissionem non procul quidem digredi. Nulla itaque mala permisisset Deus, nisi fuissent ex eis tum ipse, tum sui multiplicem fructum collecturi. *De aliorum peccatorum permissione.*

Nec enim Deus (admirandus in hoc maximè argumento Augustinus ait lib. 11. de Ciuit. Dei cap. 8.) *vllū, non dico Angelorum, sed nec hominum crearet, quem malū futurum esse, præsciisset: nisi pariter nosset, quibus eos bonorum usibus commodaret; atque ita in ordinem sæculorum, tamquam pulcherrimum carmen etiam ex quibusdam quasi antithetis honestaret.* Illique cæteri quoque Patres plerumque concinunt.

783 Vt nimirùm improborum est bonis abuti in malum, diuitijs, potentia, sapientia, salute, robore, mundo hoc vniuerso; sic vicissim, vt Paulus Apostolus testatur, *diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum*; ex tentationibus prouentum faciunt: ex tyrannide palmas colligunt; ex persequutionibus, odijs, scādalis, peccatis Deo charæ illæ animæ charitatem, mansuetudinem, humilitatem, patientiam, omne genus virtutum eliciunt; sicque in ordinem sæculorum pulcherrimum diuinæ prouidentiæ carmen honestant. Caini tollito nequitiam: & quantum Abelis decus intercipitur: atque *Boni malis vtuntur in bonum.*

Digitized by Google

hinc hoc ordine Sanctorum Dei seriem percurrito: quæ bona Dei populo ex captiuitatibus? quæ Ecclesiæ ex persecutionibus? quæ singulis ex pessimis quibusque? Pius in cruce latro socij blasphemias in salutē propriā conuertit: Thomæ incredulitas Ecclesiæ fidem firmat; & proficit bonus quisque suis, cæterorumque erroribus.

Quid aiunt, Iudas ex Apostolo in traditorem 784
abire permittitur? quid alter in eremo diù Deo charus ob admissam vnam turpem cogitationem ad Inferos truditur? Latro momentò regno donatur? Origenes desipit: obstinatus hæreticus demùm conuertitur: Paulus ex persecutore in vas electionis deligitur; in cœlo, in paradiso, in claustris, in eremo cadunt: in scœnis, in telonio sancti fiunt? Quid hæc? Luditne temerè Deus?

Defensio. Dicam: hæc eò maximè permissa omnia, *vt cum* 785
timore, & tremore nostram salutem operemur. Nullus ob vnam prauam cogitationem damnatus. Vnam prauam cogitationem iam timeat nemo. Tuta cuncta in cœlo in Apostolatu, in eremo. In cœlo, in Apostolatu, in eremo, in claustris timeat planè nemo. Abeat Apostolus in pessimum; & cum timore, & tremore etiam Apostoli salutem operentur: castigent corpus suum, & in seruitutem redigant, ne, dum alijs prædicauerint, ipsi reprobi efficiantur. Sic timent omnes omnium casibus, & ex optimo aliquandò fiat in vnoquoque ordine pessimus; nam pessima semper optimi corruptio. Annis cē tum ieiunaueris in eremo: si iam cadere non posses, si Dei prouidentia omnes tales in tuto poneret, quis timor? Caderet plane quis, quia cadere non posse præsumeret, & insolesceret.

Hinc rursùs Deo ingens gloria; non ea solùm, quà 786
quem in ordinem præstantiorem, in Apostolum, in religiosum, in Episcopum adsciuit; sed etiam, quà eum, cum vinci posset, inuictum fecit; donumq; illud pretiosum, & optatissimum perseuerantiæ concessit. Quæ indè cuiq; gratitudo, quòd, vbi perijt socius, seruatus sit?

Hiatio. Ex quo rursùs haud fortè absurda diuino, si dixe- 787
ro, ex nullo ordine, ex statu nullo non perijsse aliquem: atque vicissim ex nullo ordine, ex statu nullo non ser-

Digitized by Google

seruatum aliquem, ob fines prædictos. Et certè si Apostolum perditum scimus, quid exemptiones, quid priuilegia, ac reuelationes, in desidiam planè nostram, in statibus alijs cõquiramus? Paulus in Apostolatu timet, Paulus in eremo tremit: & vesti ne alicui interea perseuerantiædonũ arrogaueris? Illud quoque, si liceat, proposuerim, nulla ætate, nullibi forsitàn gentium non saluatum aliquem, pari à Deo gratia uocatum; quem præter rationes alias innumeras improbis quibusque in iudicio ad ipsorum confusionem opponat, suamque præstet causam eo palmari argumento, ac compendio manifestissimam Deus.

788 Verum multis omissis similibus, denuò ad humilitatem redeat oratio, cuius asserendæ causa, vt de erroribus dicebam nuper, multa Deus mala permittit. *Huic te*, id est, Christo, *mi Dioscore, vt tota pietate subdas, velim*: (scribit Augustinus ep. 56.) *nec aliam tibi ad capessendam, & obtinendam veritatem viam munias, quam quæ munita est ab illo, qui gressuum nostrorum tamquam Deus videt infirmitatem. Ea est autem prima humilitas, secunda humilitas, tertia humilitas; & quoties interrogares, hoc dicerem; non quòd alia non sint præcepta, quæ dicantur; sed, nisi humilitas omnia, quæcumque benefacimus, & præcesserit, & comitetur, & consecuta fuerit, & præposita, quam intueamur; & apposita, cui adhæreamus; & imposita, qua reprimamur, iam nobis de bono aliquo facto gaudentibus totum extorquet de manu superbia: vitia quippe cætera in peccatis, superbia verò etiam in rectè factis timenda est, etc. Itaque sicut Rhetor ille nobilissimus* (Demosthenes) *cum interrogatus fuisset, quid ei primum videretur in eloquentiæ præceptis obseruari oportere, Pronuntiationem dicitur respondisse: cum quæreretur, quid secundò, eamdem pronuntiationem; quid tertiò, nihil aliud, quam pronuntiationem dixisse. Si interrogares, & quotiès interrogares, de præceptis Christianæ religionis, nihil me aliud respondere nisi humilitatem liberet, etsi fortè alia dicere necessitas cogeret. Huic humilitati saluberrimæ, quam Dominus Noster Iesus Christus, vt doceret, humiliatus est, maximè aduersatur quædam, vt ita dicam, imperitissima scientia, dum nos scire gaudemus, quid Anaximenes, quid Anaxagoras, quid* Pythagoras, *quid Democritus senserint, & cæteri huiusmodi, vt docti, eruditique*

Humilitas à Deo optatissima.

Digitized by Google

que videamur, cum hoc à vera doctrina, eruditioneque longè abſit; percurritque multas vitandas ſanè quæſtiones vaniſsimas, quibus vitam proterimus. Scitè nimirùm Auguſtinus orationibus eiſdem, quibus diuinam gratiã exponere moris eſt, humilitatem deſcribit: vtque Deus gratia ſua præcedit, comitatur, & ſubſequitur; & ea præponenda eſt, quam ſequamur: apponenda, cui inhæreamus; imponenda, quà perſeueremus; ſic homo bona quæque humilitate præuenire debet, comitari, ac ſubſequi; reſpondet hoc pacto noſtræ neceſsitatis cognitio acceptis adiutorijs, & ſingulis gratijs ſua humilitas; niſi quòd cum ipſa quoque poſtrema humilitas noua ſit Dei gratia, ſupereſt ſemper vna velut exoluenda gratia; & quantumcumque in infinitum reflectat, impar eſt gratijs humilitas.

Maior explicatio.

Haud ero opinor, inſipiens, ſi in diuina Sapientia, 789
ac prouidentia, & regimine primam humilitatem noſtram dixero; ſecundam humilitatem; tertiam humilitatem, & ſemper non aliud, quam humilitatem reſpondero. Hinc Sancti Patres de magnis quibuſque permiſſionibus, eorumque cauſa quæſiti vix aliud, quam ſuperbiam euellendam, humilitatem inuſcerandam reſponderunt. Percurrere omnes non poſſumus? colligit permultos Ruizius. Auguſtinus multus eſt vbique in hoc argumento. Ergo rogamur, quare iniquos eſſe, Deus permittat? cur tentari Adamum? cur cadere? Auguſtinus lib. 11. de Gen. ad litt. cap. 4. & 5. *Altitudinem quidẽ conſilij eius* (ait) *penetrare non poſſum, & longè ſupra vires meas hoc eſſe confiteor: Eſt ergo aliqua cauſa fortaſſis occultior, quæ melioribus, ſanctioribuſque reſeruatur, illius gratia potius, quam meritis eorum: ſed tamen, quantum vel donat ſapere, vel ſinit dicere, non mihi videtur, magnæ laudis futurum hominem, ſi propterea poſſet benè viuere, quia nemo malè viuere ſuaderet, etc. Cur itaque tentari non ſineret, quem conſenſurum ipſe præſciebat, cum id facturus eſſet propria voluntate per culpam, & ordinandus eſset illius æquitate per pœnam? vt etiam ſic oſtenderet animæ ſuperbæ ad eruditionem futurorum ſanctorum, quam rectè ipſe vteretur animarum voluntatibus etiam malis, cum illæ peruersè vterentur naturis bonis. Nec arbitrandum eſt, quòd eſſet hominem* (Adamum) *deiecturus iſte tentator, niſi*

præ-

Digitized by Google

præcessisset in anima hominis quædam elatio comprimenda, vt per humiliationem peccati, quam de se falsò præsumpserit, disceret. Verissimè quippe dictum est: ante ruinam exaltatur cor, & ante gloriam humiliatur. Et huius fortè hominis vox est in psalmo: ego dixi in abundantia mea, non mouebor in æternum. Deindè iam expertus, quid mali habeat superba præsumptio propriæ potestatis, & quid boni adiutorium gratiæ Dei: Domine, inquit, in voluntate tua præstitisti decori meo virtutem: auertisti faciem tuam à me, & factus sum conturbatus: ac multa veræ Theologiæ documenta prosequitur: quò illud psalmi attinet: *antequam humiliarer, ego deliqui: bonum mihi, quia humiliasti me, vt discam iustificationes tuas.*

790 Et profectum nè multùm in mundo? Profectum vtique plurimum apud fortunatos aliquos, quorum humilitatem respexit Deus, ac beati dicuntur in omnes generationes. Parùm porrò apud multitudinem, quia non est, qui recogitet. Post tot sæculorum strages idē ille Pelagius ineptijt, effutijtq; hominē posse se solo, ac sine adiutorio Dei operari iustitiam, perseuerareq; Et quantis, precor, bellis, libris, Concilijs opus fuit ad hoc intercidendum monstrum? Iam nupèr Protestantes, in extremum, vt videbatur, contrarium adactos, fortè in eo dixeris modestiores: omnia quippe homini negant, quem in stipitem etiam vertunt: gratiæ tribuunt cuncta. At si examines, insolentiores hos inuenias: parum foret, si bona homini sua adimerent: sed verò adimunt nobis mala nostra, & in Deum ea referunt: proditionis Iudæ, vt conuersionis Petri, Autorem Deum blasphemant: haud quippe glorietur homo de bonis, quæ operatus non est, sed accepit: at nec de malis planè humilietur, quæ paritèr non operatur, nō eligit, sed accipit, sed agitur solùm, rotaturque, & à Deo quidem de scelere in scelus, in nobilem satis triumphum, seruum arbitrium. Hinc de Protestantibus, Pelagianisq; quæras, vtris plus superbiæ? Protestantibus vtique: quidquid enim Pelagiani bonum totum sibi arrogent: arrogant tamen simùl cum malo toto: plus porrò mali in vita nostra est tam in multitudine, quam magnitudine; vt patet, sciuntque vel pueri: vndè plus, ex quo humilientur, quā ex quo insolescant, ipsis reluctum. At Protestantes nullum

Pelagianorū fastus.

Protestantiū elatio.

Vtra maior.

Digitized by Google

lum humilitati locum faciunt: à Deo sunt mala, sicut bona: vnde sicut gloriæ, ita humilitati materia nulla: satis porrò magna superbiæ materies nullam humilitatis esse materiã,&nisi Deo impulsore, & fautore peccare non posse. Omnes operationes, omnes iustitiæ nostræ infectæ sunt,vitiatæ sunt. Vos dicitis. Iam nec Deus vtique glorificandus, neque nos, de bonis,malè tamen effectis. Quidquid demùm illud erit,siue bonũ, siue malum,Deo refertis acceptum,inflictum; atq; hominem, cum deprimere,eum videmini, maximè redditis innocentem, in fastum, superbiamque humilitate versa.

Modica ubique superbiæ cognitio.

Sed Septemtrionis hæc tanta lues, ac gelu rigentium mentium stupor. Est tamen quaqua versum satis modica fœditatis superbiæ siue cognitio, siue consideratio. Nobile illa vitium censetur; & vix non colitur inter virtutes: præter procaciſſimos quosdam cæteri erubescunt de alijs sceleribus,de luxuria, de furto, de fraude,de violentia; at superbiæ,ac vanæ gloriæ vix aliquem pudet: opinionem suam,existimationem,honorem plerique, de cætero modestissimi, in ore habent, præsertim Nobilium,& magna apud nos laus illa, *es vn hombre muy honrado*: rari in cõfessione sese de hoc peccato accusant: cumque superbia cardo omnium peccatorum sit,ac numeretur; atque ex genere suo mortale, & maximum,audiui interea aliquos, qui Docti habentur,quibus difficile videretur, & vix intelligerent,quo pacto hoc in genere peccari grauitèr posset. 791

Deus ad impossibile reducit superbos.

Dignam Thoma Thomæ doctrinam accipiant, qui hæc considerant minùs. Est vtique superbiæ summa fœditas,quæ non virgini alicui honorem, non proximo pecuniam, sed Deo gloriam suam surripit: nihil planè fœdius: at nos materiales ægrè nisi materialia percipimus. Ergo glorioſus Deus tantis sæculorum casibus satisfecit nobis de eius turpitudine erudiendis: inter alia permittere dicitur manifestam luxuriam ad puniendam occultam superbiam. Opponit Thomas 2. 2.quæst.162.ar.3. maius non ritè puniri per minus; superbiam esse maximum peccatorum; non ergo ritè punitur per luxuriã haud tam malam. Respondet ad 3. Deum eorum se arte gerere,qui vtuntur syllogismis reducen- 792

Digitized by Google

ducentibus ad impossibile. Agis cum pertinaci, vel indisciplinato, vel ignoranti; & quidquam tibi concedit, falsum quidem, & impossibile; sed quod ab ipso non aduertitur, non agnoscitur. Tunc eum reducis ad impossibile, ideſt, ad manifestius impossibile, & ad negandum, quod concessit; quod tam manifestum inconueniens cum sit, ab ipso, & ab omnibus palam agnoscitur. Est materialissima in mundo, & notissima luxuriæ fœditas, quam ferè in canibus, porcisque vident rusticissimi quique, rem planè vilissimam. Superbos ergo reducit Deus ad hoc absurdum, in pœnam aliquando, aliquando in medicinam: & tanta ideò inter alia in mundo luxuria, quia tanta superbia.

Deus ne gloriæ cupidus?

793 Age porrò; si tanta Deo humilitatis nostræ cura, honoris sui, ac gloriæ tantum studium, qui nec in minimo quidem tangi velit, ergone gloriæ cupidus Deus? Quid laudes ille nostras tanti habeat, quæ sua planè interſint nihil? An indè beatior, fœlicior? Sinat, sinat gloriari homines; ex quo nihil sibi incommodi. Anne nihil sibi profuturæ gloriæ auarus exiſtat? & tam solicitè dicat, *gloriam meam alteri non dabo*, vt elatior videri possit.

Difficultas alia difficultate orationis exponitur.

794 Sed iuuat difficultatem difficultate exponere, ac expedire. Orationum nostrarum, precumque solicitus legitur vbique Deus; eas consulit, iubet, commendat, inculcat, vultque nos semper orare. Quorsùm verò? An nescit inopiam nostram, quibus, & quando indigeamus? Hominum hoc est vitium, vt precibus extorquenda sint, & instantijs, diligentia, laboreque fermè coemenda beneficia: Deus liberalis, profusus, misericors vbique audit: & tamen orandus semper? Adeò planè, vt sapientiorum sit pronuntiatum, vt animantium multiplicandorum, & conseruandorum aliud non est medium præter maris, & fœminæ coniunctionem, ita diuinis muneribus impetrandis, conseruandisque orationem assiduam esse medium necessarium. Iam imperitissimi quidam garriant; *si sanctus est, oret; si Theologus, probet;* quasi oratio nihil conferret ad probandum vtilia quæque.

Vtrique expeditur.

795 Facessant à cordibus piorum ineptiæ: nihil vtique bonorum nostrorum eget Deus; nihil gloriæ cupidita-

Digitized by Google

te afficitur; non orationibus beatur, aut tristatur sceleribus. Nota hæc, tritaque. Quorsùm ergo humilitatem nostram, quorsùm orationes,& tantoperè quidē expoſcit? Dicam; nam aperta res eſt,& quæ probatione non indigeat. Deus ſcilicet glorioſus in mundi,noſtrique regimine perfectionem noſtram intendere debet: hæc porrò perfectio ſita eſt in imitatione,conformitateque voluntatis, intellectuſque noſtri, & hinc totius animæ noſtræ ad intellectum,voluntatemque diuinam; & quò ea maior, eò præſtantior perfectio; eſt enim intellectus Dei intellectus,& memoriæ noſtræ;voluntas Dei voluntatis noſtræ menſura, atque regula. Eſt porrò intellectus Dei ipſa veritas. Ergo intellectus noſtri perfectio in perfecta ad veritatem conformitate conſiſtit: ergo quæ Dei ſunt, Deo tribuere debet; nobis, quæ noſtra; nobis vtique ſcelera;Deo bona omnia, munera ſua; hinc humilitatis totus cardo ille, *nouerim te, & nouerim me;* atque virtus ipſa humilitatis in noſtra ad Deum ſubiectione conſtituitur: eiuſque obiectum & oppoſita,& gradus accuratiùs 2.2.quæſt.161. declarantur.

Secundum veritatem itaque Deus ipſa plenitudo 796
eſt perfectionum: vndè in eo humilitas imperfectio foret: nos à nobis nihil ſumus, nihilque ſortimur præter mala: vndè humilitas eſt maxima perfectio noſtra; quam intendens Deus noſter non vult nos gloriæ cupidos; nec ideò eſt gloriæ auarus; qua ſcilicet ipſe cumulatiſſimè ſuos illuſtrat, ſuperbos de ſede trudens, exaltanſque humiles. Tu vide, quanta Petro piſcatori in terra, quanta in cœlo gloria? Hæc etiam cauſa, quare nos orare tam actuosè iubeat: vt ſcilicet indigentiam noſtram extremam agnoſcamus; vt ſubiectionem exerceamus; vt accepta ſciamus, quæ noſmet tanquam ſua orauimus: humilitas idcircò nos maximoperè docet orare. Quatenùs verò,& quomodò Deus orationibus noſtris moueatur, vel non moueatur, pridem edocuit exquiſitè S.Thomas. Rursùs maxima perfectio hominis eſt, quod ſicut in ſuo eſſe, & ſubſtantia, ſic in operationibus cuncta innitatur, inhæreatque Deo, nec alio reſpiciat, nec de alio niſi ad ipſum cogitet: quod humilitate, orationeque efficitur. Omne denique agens intendit

Digitized by Google

tendit sibi assimilare passum; artifex curat in opere exprimere ideam suam. Summus ergo Artifex Deus eò it, vt ideam sapientiæ suæ in nobis exerat; potentiasq; nostras suis, & nos sibi conformet. Id ergo nos iudicare id amare de Deo, nobisque; oportet, quod ipse de se nobisque, iudicat, & amat: de ipso vtique excelsa quæque, de nobis nihil non humile, & abiectum. Hæc nisi currerem, exponi exactiùs possent; est quippe homo superbus monstrum ingens.

797

Christus omnium comprobatio.

Christus Dei Filius vsque ad mortem humiliatus omnium dictorum illustris confirmatio. Diximus aliquotiès, Deum pro ostendenda veritate sua vsum miraculis præsertim pro indoctis, simplicibus, ac ineptioribus, quibuscum vtpotè ineruditis, alio doctrinarum, ac argumentorum medio profici nihil potuisset. Sic fermè multifariam, multisq; modis locutus Deus olim in Patribus, ac Prophetis, nouissimè nobis in Filio loqui dignatus est. Scilicet testimonia sua, legem, vias, semitas, iudicia, & quidquid scire optare possumus, edixerat pridem, & post, verbo, scriptoque. At mox cuncta illa perfectiùs quidè expressa ob oculos posuit doctis, illiteratis, rustico, & inepto cuique in Christo velut visibilem doctrinam. Quidquid occurret, eum respice: ibi ad omnia, ad singula adsunt exempla; occurrunt argumenta patentia, quæque concludant euidenter à maiori ad minus in agendis, à minori ad maius in omittendis. Dederat in Ethica tot illa morum, virtutumque documenta Philosophus: obscura illa, & quæ laterent multitudinem; cæteri vix ea intelligerent, memoritèr verò tenerent difficiliùs; ac denique ad operationes singulas ea applicare erat inaccessum. Ergo omnia mox præcepta ad vnum compendio cogit: vir probus, inquit, sit regula agendorum: quod probus agit, hoc agendum: id iustum, quod iusto videtur, &c. Datus nobis cœlitus hæc agendorum regula, hæc via, Christus: hunc imitari, hunc sequi, hunc exprimere, post hunc ire iubemus. O concedat Deus! vno verbo Christus est omnis disciplina tradita, & omnis doctrina christiana. Quanta porrò humilitas, quam vt discceret homo, factus Deus homo?

Digitized by Google

QVAEST. XLI.

Institutæ concordiæ maior explicatio, & conclusio.

Christiani non solùm numerandi.

AD Lectoris leuamen placuit quæstionem hoc nouo titulo vel abscindere, vel interrũpere. Ergo prophani murmurant, Christiani mirãtur Christianorum paucitatem, desipientium multitudinem. At verò censores sunt vtrique pessimi; nec enim Christianos, & pios numerare solùm debuerant, sed mensurare etiam, ac ponderare: nam Deus nõ numerat solùm, sed mensurat, atque ponderat. Numerares, qui pro aureo vno redduntur, nummos æreos: si numerare solùm sciueris, de lucro quidem obstupeas; sed delyras. Sola itaque multitudo nullius artis, nullius artificis laus est: inspiciendumque, quot, quales, quanti extiterint Christiani, ac probi; & inuenias, multos nec tales, nec tantos futuros sine improbis, sine desipientium multitudine. Mox vtrique errant, dum vel murmurant, vel mirantur mala à Deo permissa, nec vltrà pergunt, nec considerant, quanta indè bona Deus, quanta pij eliciant: laudandus itaque in his Deus; in illis timendus planè. Errant item; quia partes seorsim scrutantur, nec in ordinem illa sæculorum exigunt. 798

Peccata, inquiunt, non essent, errores non essent; & murmurant, vel mirantur. Sed auscultandus, mirandusque planè Augustinus sic differens libro illo 11. de Genesi ad litt. c. 6. & 7. *Talem, inquiunt, faceret hominem, qui nollet omninò peccare. Ecce nos concedimus, meliorem esse naturam, quæ peccare, omninò nolit: concedant & ipsi, non esse malam naturam, quæ sic facta est, vt posset nõ peccare, si vellet, &c. Sicut ergo ratio vera docet, meliorem esse naturam, quam prorsùs nihil delectat illicitum, ita ratio vera nihilominùs docet, etiam illam bonam esse, quæ habet in potestate illicitam delectationem, &c. Cum ergo hæc natura bona sit, illa melior, cur illam solam, & non vtramque potiùs* 799

Digitized by Google

potiùs faceret Deus? scilicet & quæ peccatura esset, & quæ peccare omninò nollet. Et post pauca. *Habent enim & ipsi* (ideſt, mali) *locum suum, quem in rebus impleant pro vtilitate Sanctorum: nam Deus nec iustitia cuiusquam recti hominis eget, quantò minùs iniquitate peruersi?*

800 Mox subtiliùs cap. 8. *Quis autem sobria consideratione dicat, meliùs non crearet, quem præsciebat ex alterius iniquitate posse corrigi, quam crearet etiam, quē præsciebat pro sua iniquitate debere damnari? Hoc est enim dicere, melius non esse, qui alterius malo benè vtendo misericorditèr coronaretur, quam esse etiam malum, qui pro suo merito iustè puniretur. Cum enim ratio certa demonstrat, duo quærenda, non æqualia bona, sed vnum superiùs, alterum inferius, non intelligunt tardi corde, cum dicunt, vtrumque tale esset, nihil se aliud dicere, quam solum illud esset. Ac sic, cum æquare volunt genera bonorum, numerum minuunt, & immoderatè augendo vnum genus, alterum tollunt. Quis autem hos audiret, si dicerent, quoniam excellentior sensus est videndi, quam audiendi, quatuor oculi essent, & aures non essent? ita si excellentior est creatura illa rationalis, quæ sine vllius pœnæ comparatione, sine vlla superbia Deo subditur: aliqua verò in hominibus ita creata est, vt in se Dei beneficium non possit agnoscere* (ideſt, non esset agnitura) *nisi alterius videndo supplicium, vt non altum sapiat, sed timeat* (ad Rom. 10.) *ideſt, non de se præsidat, sed confidat in Deum: quis rectè intelligens dicat, talis esset ista, qualis illa: nec videat, se nihil aliud dicere, quam, non esset ista, sed sola esset illa?* Fœtent planè cisternæ Gentilium, insipientium murmura, politicorum admirationes, imperitorum aliorum tricæ, dum ista, & similia ex continua verborum Dei meditatione hausta leguntur: veriſſimè quippe dictum: *Os iusti meditabitur sapientiam, & lingua eius loquetur iudicium*: nam plena sunt iudicio, quæ Sancti Dei loquuntur.

801 Dicunt itaque, ò si peccatores non essent! ò si errores non essent! At ego dico: implicatis; quia si peccata non essent, essent peccata: & si errores non essent, essent errores: vt si diceres (quod scholastici intelligent) si chimæræ non essent, essent chimæræ. Nam nunc peccata sunt, & peccamus omnes; & tamen superbimus, & insolescimus; ergo magis multò superbiremus, si nec

Si nō essent errores, essēt errores.

nos

Digitized by Google

nos, nec alius peccaret;ergo si non essent peccata,esset superbia; ergo esset maximum peccatorum;ergo si non essent peccata, essent peccata . Nunc similiter plenus est mundus erroribus; & tamen nimium ingenio,nimiũ viribus nostris fidimus, ac præsumimus ; ac in hoc genere erratur plurimum . Ergo si non essent errores,maior esset præsumptio:essẽt ergo errores,si non essent errores . Rursùs si peccata non fuissent, multi probi nõ fuissent: at inconsideratum est dicere,ò si probi illi non extitissent!vel si fuissent, improbi fuissent! hoc est enim ponere peccata,vt tollas peccata.

At inquis; cur Deus omnes humiles,& sanctos ef- 802
ficere noluit sine vllis peccatis ? Respondeo; voluit;sed noluerunt homines . Inquis ; cur non fecit , vt vellent? Respondeo; curauit,vt homines vellent modis , ac medijs mille superabundantissimis,sed homines obstiterũt. Inquis; cur non alia magna media adhibuit,quibus non obstitissent ? Responsum est quæst.prox.quia non oportuit . Homines vellent, vt ipsis interea stertentibus,faceret Deus omnia, suaque vsus omnipotentia, sus deq; cuncta vertens , cœlo demùm donaret omnes inopinatos . Vtile votum, sed fatuum : Deus haud in sola potentia gubernat mundum, sed etiam in sapientia: at sapientia dictat oportere , homines esse pro salute sua valdè sollicitos,intentos,diligentes;ipsa salutis difficultas, & arduitas probitatem, salutemque decet.Hinc ille meus quondam Magister,Director semper,qui quorsùm proficerem,si voluissem,& potuissem, me iuuenem integrè instituit, ac multas multorum inanes vias , vt effugerem, causa fuit P. Martinus de Esparza , quem numquam satis pro debito coluerim , vir inter paucos iudicio,& ingenio plenus,& sapiens docuit, probauitq; solidè ipsam operandi difficultatem , & arduitatem de essentia viatoris,& meriti esse (sensus est formalis.)Verissimum puto.

Probitatem decet arduitas.

Haud tamen hìc tantis indigeo; negari enim ne- 803
quit, eam difficultatem reddere virtutem nostram pretiosam: ipsas illas sanctas, ac fortunatas animas , quibuscum familiarissimè conuersatur Deus,& quas singulari via ducit, gratijsque extraordinarijs cumulat , tamen quasi deserit aliquandò,ne insolescant,vt probentur,

Digitized by Google

sur, vt exerceantur, vt gratæ sint, vt timeant; quemadmodum mystici docent: hinc illorum illæ tenebræ, ac similia; adeò nulli est saltem semper facilis virtus: Paulus ipse quanta deplorat, cupitque dissolui? Fecerat quidem Deus Adamo salutis uiam satis, ut uidetur, facilem: ex hoc tamen ipso nata elatio illa comprimenda: *ego dixi in exceßu meo, non mouebor in æternum*: undique planè angustiæ: in abundantia extollimur, in inopia deijcimur: &, ut dicebam, essent peccata, si non essent peccata.

804 Neque verò Deus naturas rerum mutare debuit. Potuerit, si placet, Deus ea lege homines gubernare, vt omnibus arbitrium peccandi adimeret. Tamen violentia esset, nec saltē tam expediret. Potuerit nonnisi momentum vitæ eis concedere, vt peccarēt saltem minus; illosque ipse omnes procreare adultos, mox rapiendos. Certè perturbatio esset, nec expediret. Potuerit eos, qui ritè confessi sunt, & conuersi, tunc mox rapere. Vtile quidem illud ipsis; at non expediret. Hæc omnia, & similia potentiæ sunt magis, quam sapientiæ, nec zelo, qui secundum scientiam est, desiderātur. Potuerit Deus fortissimis gratiæ impulsibus omnes, & singulos semper ad bonum pertrahere. Pertraxit quidem aliquando rebelles aliquos, & volentes nolentes compulit intrare. At de lege ordinaria, & plerumque, vt ita fieret, non oportuit. Homines sumus hominum modo gubernandi, ratione, persuasione, exemplis, promissionibus, minis. Hæc Dei sapientiam, nostramque naturam decent. Ac suadet perpetuò *per athomos, per momenta*; *stat ad ostiū, & pulsat*. Fecit mox Deus se hominem in exemplum; nec plus potuit: promisit se Deū in præmium; nec plus potuit; minatus est æternas pœnas; nec alias maiores potuit. O si saluaret nos omnes tanquam lapides nihil agentes! Protestantium illud votum, sed insanum.

Haud debet Deus permutare naturas rerum.

805 Quid ergo, inquis, oramus tātoperè conuersionem infidelium? quid Ecclesia sancta, vt rebelles etiam voluntates compellantur intrare, precatur? Orandum vtique, nec desistendum vnquam. Fit multoties, vt nostris adhibitis orationibus iam id oporteat fieri: quod citra illas minimè oportuisset: fortè ex oratione vetulæ facta in vili cubiculo pendet, vt Turca compellatur intrare.

Digitized by Google

trare. Opportunitates hæ,& congruẽtiæ nos latent:Dei ſapientiæ patent: cuius cum nos adminiſtri ſimus, ſupereſt,vt quod iubemur,agamus. Exactiſſima eſt certè diuina prouidentia; & nos oporteret eſſe exactiſsimos. Præclariſsimus Theologus Vazquez cum Philoſophis alijs docet,globi terræ illud eſſe æquilibrium,vt vel minima inæqualitate,aut motu vel vnius paleæ moueatur totus. Exactius multò rationi, id eſt ſibi conſtat planè diuina ſapientia, quæ ſe ipſam prætergreli,nec in apice valet. Muſicæ ſuprà diuina prouidentia conferebatur: iam autem ſi in muſica vox vna, vel chorda variet,vel cæteræ omnes illi adaptandæ ſunt, vel diſſognantia reſultat; quæ cum in diuinam prouidentiam non cadat,totam rerum ſeriem ſingulis alijs accommodat,& vel ipſa peccata in ordinem ſæculorum redigit. Hinc ingens conſiderantium tremor: fortè ea rerum,ac diuinæ prouidentiæ,& ſapientiæ ſeries, vt ex peccato veniali, quod nunc tam incõſideratus admitto, opportunitas reſultet permiſsionis mortalium, & damnationis,vt inter alios Alfonſus Rodriquez in ſua illa ueriſſima Theologia edocet, ex eo Apocalypſis *ò vtinam calidus,aut frigidus eßes, etc.* id confirmans. Indidem mox ſolatium: fortè ea prouidentiæ diuinæ ſeries,vt ſi nunc, vel hodie in rebus non magnis ſimpigrè me geſſerim, ſim futurus ſanctiſsimus. Adeo nos,alijque multi ex geſtis noſtris in futurum pendemus: ſi haud oraſſet Stephanus,Paulo Eccleſia caruiſſet. O altitudo ſapientiæ, & ſcientiæ Dei!

Eccleſia ſancta precatur quidem,vt rebelles etiam 806
voluntates compellat Deus intrare. Vno multotiès compulſo,regna integra intrant: ac multi non ſolum uocati, ſed compulſi ſunt etiam intrare, vt eſt in parabola conuiuij. Haud verò intendit ſancta Eccleſia, vt tanquam Paulus, modis extraordinarijs ſinguli compellantur: ſeſe,preceſque ſuas Deo ſubijcit; facitque,vt propter illas multa diuinis conſilijs cõgruant,quæ alioqui non ita congruiſſent. Nec Eccleſia ſancta cenſet, cum ſolo Deo de infidelium conuerſione tractandum; ſed cum vtriſque; Deo enim vocante,nobiſque ſequentibus ſalus noſtra conſtat: mittit ideò ad infideles permultos, ipſorumque etiam cum ipſis ſalutem ſolicitat.

Sed

Digitized by Google

807 Sed inquis: quandoquidem errores,& scelera ordini sæculorum tam cõcinnunt, tantosq; ex illis fructus boni quique colligunt: ergo ad optimum regimen mũdi necessarij fuere errores. At Deus voluit mundi regimen optimum; quod nimirùm deceret ipsum: ergo errores voluit: non ergo voluit,omnes ad agnitionem veritatis venire. Rursùs sic: Deus creãs homines,voluit eos ad exactissimam perfectionem deducere: ad hoc porrò necesse fuit, vel medijs alijs extraordinarijs, ac fortioribus vteretur; & hoc noluit, quia non oportuit; vel vt essent errores, & peccata, quæ in vsus ipse suos conuerteret, vt de facto fecit; ergo voluit, esse errores, & peccata. Qui enim finem vult, & media solùm duo occurrunt, ac alterum non vult, necesse est,velit,ac eligat alterum. At Deus noluit medium fortissimarum gratiarum; quia non oportuit; & quia fortè non sufficisset,vt diximus: imò indè laudem captat, quod attingat quidem fines omnes fortitèr, disponendo tamen omnia suauitèr. Supereſt ergo, vt medium peccatorũ voluerit, elegeritque. Et hìc fortè Protestantes triumphant. *Difficilis obiectio.*

808 Verum hæc nos terrere haud debent,quæ quippe sunt in scholis vulgarissima fere in simili. Nam præcipui Theolorum fermè omnes tuentur Deo amatam, præfinitamque (vt vocant) pœnitentiam nondùm, vt loquuntur, præuiso peccato;nec tamen indè Deus cogitur ad amandum, eligendumue peccatum, sine quo tamen nullus pœnitentiæ locus. Satis putant, nosque putauimus, si à Deo neque ametur, neque fiat, sed solũ permittatur, vt fiat ab homine. Nec hæc tam ibi nota, & toties explicata differenda, explicandaq; hic veniũt, atque ex his, quæ continenter adiungo,satis pro instituto consilio intelligi ea queunt. *Responsio.*

809 Nunc itaque quærendum, declarandumque occurrit, an Deus quandoquidem ad optimam illam hominum, ac mundi perfectionem vsu etiam errorum, ac scelerum acceditur, velit, ametque quasi à se, & vt dicam ita, velut proprio motu, & inclinatione perfectionem illam, quæ sine erroribus esse nequit? ac proinde velit etiam quasi à se, & velut proprio motu,& inclinatione peccata, & errores permittere? *An Deus sponte quasi sua errores, & peccata permittat?*

Digitized by Google

Quorumdã iudicium.

Cruentus planè campus hic prælijs Theologorum, ætatibus maximè noſtris. Alij Deum ſatis promptum, facilemque ad eam permiſſionem conſtituunt; arripiũt nimirum iactum à nobis fundamentum de perfectione, præſtantiaque vniuerſi, quæ ſine erroribus, peccatiſque eſſe nequiret: putant proindè, à Deo vltrò eam perfectionem intendi; vltro, libenterque per conſequens errores, ac peccata quæque permitti. Addunt, à Deo ritè mundum gubernante præoptari, intendique, quæ ipſius magna eſt gloria, manifeſtationem attributorum ſuorum omnium; at attributa niſi permiſſis erroribus, & peccatis, vel innoteſcere non poſſunt, vel ſaltèm non innoteſcunt ex integro. Nam primùm iuſtitia punitiua haud innoteſcit: miſericordia item, qua ſaltem reorum etiam miſeretur, quæ pars eſt miſericordiæ maximæ, ſine peccatis foret ignota. Ac denique ipſa etiam Dei ſapientia, ac potentia, qua valet, & ſcit, errores quoque, & crimina ipſa in ordinem ſæculorum redigere, haud ſatis innoteſcerent. Hos ergo in fines, in hæc bona Deus ſua, & propria inclinatione, voluntate, motu, vltrò, libenterque vult peccata permittere. 810

Negant plures.

Cæteri verò plerumque illis obſiſtunt, Deumque credunt tam à peccatis, erroribuſq; remotum, & auerſum, ut ad eorum permiſſionem minimè eat ſponte ſua, ſed inuitus, & obligatus noſtris abuſibus. Multa ad hoc exponendum exempla adducuntur: appoſitum illud, & celebratum, quod S. Thomas 1. ad Timoth. 2. lect. 1. exhibuit de mercatore, qui uellet quidem merces ſuas tutas ducere; at inſiliente tempeſtate, ut uitam ſeruet, quam chariorem habet, proijcit eas ipſe in mare. Vix nobis digna uocabula ſuppetunt, quæ Deum deceant: curandum ergo, ut imperfectiones caueamus: mercator quidem de proiectis mercibus, quas amabat, dolore etiam mox afficitur: Deus certe peccatis noſtris nec affligitur, nec probitate beatur; cæterùm ita natura conſtitutus eſt, ut omninò nolit peccata eſſe; omninò uelit omnes ſaluari, & reddi ueritatis conſcios, tam uerè, tamque ſyncere, atque mercator nolebat merces tutas: & ſicut ſi nulla fuiſſet tempeſtas, neutiquam mercator merces proiecisſet uel ad oſtendam magnanimitatem, vel ad recreandum loco ſocios: ſic Deus bonus nullos 811

pror-

Digitized by Google

prorsùs errores, peccata nulla permisisset, nisi abusus noster incurrisset; nec Dei permissio est abusus nostri primordialis ratio, sed contra abusus noster est prima malorum origo. Hoc hi alij Theologi, verissimè vtiq; docent: hoc extra scholas fideles cæteri loquuntur: hoc sanctæ quæque animæ respondent: hoc mihi sine alijs ambagious officium diuinum quotidiè recitari solitum tam persuadet, ingeritque firmiter, vt dubitare nequeã saltem ego. Haud itaque scripturam fermè vniuersam in hoc argumentum percurram: si rem haud demonstrat Ruizius, nihil ipse vltra agẽdum sperem; nisi quod nimium de quolibet altercando veritas amittitur, nascitur ex disputatione disputatio, ac verùm quæritur rarò.

812 Superest itaque, vt omissa litigiorum, ac argumẽtorum mole, difficile punctum, vt dabitur, exponamus, ac ijs omnibus, quæ quæst. prox. dicta sunt, lucem, & sensum adhibeamus. Ergo glorioſus Deus ad mundi regimen optimum infinitæ sapientiæ suæ legibus dirigitur; inde primitùs, & natura sua fertur ad bonitatẽ, perfectionemq; suam creaturis pro vniuscuiusque modo communicandam; cumque nulla sit in ipso ex errore, peccatoue resultans perfectio, ideò nulla est in ipso naturalis, spontanea, primariaque inclinatio ad vllam creaturis perfectionem, quæ peccato, erroriue annexa sit, communicandam. Haud tamen sapientiæ legibus congruit, vt modis violentis, fortissimisque homines ad eam perfectionem deducat, sed ijs solum, quibus de facto vsus est, nec maioribus, vt satis quæst. sup. declaratum fuit.

813 Ergo primùm oportuit, vt Deus ad summam perfectionem, & optimum homines dirigeret. Mox oportuit, vt ea media eum in finem adhiberet, quæ adhibuit. Oportuisset mox, vt homines ijs medijs strenuè vterentur, vt facere quisque potuit, fecereque Sancti Angeli in cœlo, ac homo aliquandiù ante casum in paradiso; fecit post Virgo beatissima; ac aliæ raræ sanctæ animæ quadantenùs imitatæ sunt; quæ pro Deo, atque ad eius iustificandam causam ostenderunt, concluseruntq: factis ipsis, quantum his à Deo concessis de facto medijs potuissent singuli, si voluissent.

Digitized by Google

Iam itaque Deus, quacumque demùm scientia 814
voles, præscijt, homines haud plerumque expleturos partes suas, nihil minus curaturos permultos, quam quod oporteret, & summum, & vnicum salutis negotiũ in primis negligendum. Adeò porrò præter inclinationem suam stupor hic hominum est, vt afficiendus inde Deus foret dolore maximo, si affectus hi nostri in eum caderent. Quia ergo Deus, quod oportet, agere promptus est; homines verò, quod oporteret, neglecturi præsciuntur, hinc ex nostra importunitate oblata Deo occasio, & opportunitas malis nostris in bonum vtendis, peccatisque religendis in ordinem sæculorum. Subtiliter Tertul. lib. 2. cont. Marc. 1. c. 1. *Bonitas Dei prior secũdum naturam; seueritas posterior secundum causam. Illa ingenita: hæc accidens: illa propria, hæc accommodata; illa edita, hæc adhibita. Alteram sibi, alteram rei Deus præstitit.*

Ex quibus sequitur, perfectionem mundi, vt de 815
perfectione quoque hominis diximus, non sola Dei actione constare, sed cooperatione etiam nostra; prima numquam mundo defuit ad optimum: & Dei ideò regimen optimum fuit: at nos defecimus; ac melior mundus fuisset, si nos haud defuissemus. Melior itaque mundus fuisset etiam sine martyribus, si omnes homines martyres charitatis extitissent: sine pœnitentibus, si omnes sine casibus humillimi, Deoque gratissimi esse didicissent, & voluissent; potuerant quippè. Ad optimum ergo non sunt necessarij errores, non peccata. Ex nostris ergo defectibus opportunitas permissionis submascitur.

Hos porrò inter defectus haud numero peccata 816
solùm mortalia; nimirùm diximus ex venialibus quoq; congruè etiam oriri permissionis mortalium, siue in pœnam fiat, & dicatur illa, siue in melius; melior est enim pœnitens feruidus, ac humilis, quam à grauioribus innocẽs nec frigidus, nec calidus: ac melior mundus paucitate sanctissima, quam multitudine tota mediocri, vt exposuimus. At si singuli sine peccatis fuissemus sanctissimi, hoc, hoc vtique melius, & optimum. Illud verò Deo optatissimum, nec tunc ab eo curanda manifestatio maior attributorum, infinita quippè perfectionum

Digitized by Google

num Dei sunt nobis nunc quoque abscondita; nimirùm totus finis Dei ad extra est perfectio nostra, & gloria sua, & hanc ipsam, vt dictum est, quærit Deus ad perfectionem nostram. At si absque erroribus omnes essemus sanctissimi, humillimi, gratissimi, feruentissimi, maior foret proculdubio mundi, & nostra perfectio, quæ conuertuntur; & Dei item gloria; vt maior est Sanctissimæ Virginis, quam Magdalenæ perfectio, & ipsa Magdalena extitisset præstantior, si nullis casibus edocta tam humilis tantoperè Deum dilexisset. Ergo contra quam Theologi illi moliebantur, Deus, quia ad optimum dirigitur, nullos errores vltrò, sponte sua, & directè propria inclinatione permittit.

817 Hanc naturæ, bonitatisque suæ indolem, & inclinationem operibus ipsis, quæ naturæ optima sunt testimonia, testatus est Deus glorioſus. Nimirùm Angelos in cœlo, ac hominem in paradiso edidit vberrimè gratia cumulatos, ad bonum inclinatissimos, ordinatissimos. Hæc sua natiua indoles, atque conditio. At pars Angelorum maxima ex abundantia ipsa elata est: secutus homo: & hinc tota naturæ nostræ inuersio, probitatis asperitas, peccatorumque nata semina, ac incitamenta. His in melius usus Deus. Abusus porrò primitùs ab Angelo, ab homine; neutiquam à Deo vllum in finem prædirectus est.

818 Hinc mihi verissima est illa Angelici Doctoris sententia, vbi nullæ aliæ creaturæ intersunt, quæ rerum ordinem perturbent, primam Angeli, uel hominis cogitationem, & gratiam necessariò esse congruam. Idcircò, licet inspectis sibi intrinsecis nihil fortè obstaret, Dei tamen inspecta saltem sapientia, ac prouidentia, Angeli, uel Adami prima operatio nec peccaminosa, nec defectuosa, aut quoquo modo corrigibilis esse potuit: refunderetur enim in Deum Authorem labes, qui vltrò, & sponte sua eam permisisset. Ita de facto contigisse, omnes dicunt; undè id sciuerint, planè ignoro, si oppositum esse potuit; nam nullam hoc circa video reuelationem Dei; citra quam constare id minimè potuisset: omnes quidem ita dicunt: ergo præsumenda est ratio, uel reuelatio: foret enim alioquin dictū omnium dictum nullius. Est ergo ratio. Angeli itaque, &

homo

Digitized by Google

homo cæpere ritè: mox ſequutus tepor aliquis, uel inapplicatio, uel inconſideratio: indè nonnihil elationis natum; factaque diuinis conſilijs maiora permittendi occaſio. In hanc formam inſtituere nos ſolent libri de uirtute, deque perfectione tractantes: qui, cum plerumque ab hominibus ſpiritualibus, & uiarum Domini ſcientioribus, nec ſcholas profitentes contrarias, ſcribantur, ac claris ſcripturæ, ſanctorumque documẽtis firmentur, ingenioſis alijs diſcurſibus præferendi mihi ſint. Nec eſt in ſequentibus Angeli, uel hominis operationibus inſtantia; Deus enim ad ſecundum etiã operationem conceſſit gratiam primæ operationi omninò conſentaneam, qua nullam maiorem dare oportere, etiamſi ſequutura inapplicatio, & inconſideratio præſciretur: eamque dedit; & ordine dicto, uel ſimili diuinæ ſapientiæ notiſſimo ſequuta tota malorum ſeries. Sed horum fuſiùs tractandorum alius dies.

Nunc itaque ad indiuiſum punctum de origine 819
permiſſionis redeuntes, teneamus, ac repetamus, eam haud ultrò, & quaſi à ſe à Deo intentam; & ſi quid hoc circa occurret, quod explicare neſciam, mihi illud deuorandum puto, etſi mandere nequeam: erunt alij innumeri maiores, & meliores, qui reſpondeant. Fortè maieſtatem Dei decet, ut aliquid occurrat ſemper inſcrutabile: nimirùm ſapientiſſimi etiam Magiſtri aliquid putant ſibi reſeruandum: & uileſcit quodammodo Magiſter, ſi nihil plus diſcipulo ſciat, & cuncta exhauſta ſint; indè etiam plus, & plus orare docemur. Verùm prudens quiſque ex tanto rerum ordine nobis paruulis reuelato, quanta reliquorum ſit concinnitas, quantus ordo, quæ pulchritudo, quanta nobis, cum eũ uidebimus, reſeranda ſuperſint? non tam facilè credat, quam uideat.

Duplex hominum via, altera Dei, altera ipſorum.

Ad quorum denique omnium fulcimen, explica- 820
tionemque addendum eſt, uias hominis in ſanctis ſcripturis duas inueniri, aliam iniquorum, iuſtorum aliam. Hanc Deus ſolus incipit; nos mox cooperatores ſuccedimus, nec eam, licet ſine nobis inceptam, perficit tamen ſine nobis Deus; unde eſt in ea aliquid, de quo gloriari poſſimus, non tamen in nobis, ſed in Domino, atque ab ipſo Domino, qui nullius planè eſt aſſentator,

glo-

Digitized by Google

gloria, & honore coronabimur. At iniquorum uia tota est hominis: ab homine instituitur, ac perficitur; nec est quidquam in illa Dei, præter permissionem solam: sed tota potiùs illa contra Deum; ad quam uiam defectus quilibet noster reducitur. Nec in eam nos Deus permissione sua ultrò inducit, nec deserit ullum nisi desertus; utque uniuersa uia iustorum est ad Deum reuocanda, ita ad hominem iniquorum via est reducēda tota; nec absurdiùs est, illam ab homine, quam illā à Deo ordiri, ac minùs multò uia iniquorum est Dei, quam sit nostra uia iustorum. Poneres in homine dispositionem, ansulam, colorem, uel quocumque id nomine uoces, quod uiæ iustorum initium quoquo modo foret, ex quo tota uiæ series resultaret. Error id esset, & Semipelagianismus. Muta vices, ac in Deo viæ improborum ansulam, & determinationem aliquam ponito, quæ quasi primum sit, ex quo deindè tota viæ series. A Deo planè incipis, quæ Dei non sunt, ne dicam aliud. Quidquid boni habes, accepisti planè: quidquid non habes, quod habere oporteret, & deberes, non habes; non quia donare Deus noluit; sed quia accipere noluisti.

821 Dicebas, te noluisse accipere, quia Deus non dedit, vt velles accipere; & quidquid idem infinitiès reponerem, infinities te replicaturum idem. Verùm ego repono, quidquid infinitiès replices, me toties idem responsurum, Deum nō dedisse, vt velles accipere, quia noluisti. Sunt cordis nostri infinita latibula, quæ solus ille nouit, qui non dat demùm; quia nos nolumus. Anselmi subtilis extat declaratio loco citato. Nunc illud propono, vel quæstionem tuam, vel responsionem meā esse fatuam; nam fatua est omnis in infinitum, & numquam terminanda quæstio, & opera. Supereſt, vt videamus, vter sit fatuus. Ego in hominē demùm refero mala sua; tu in Deum reijcere pergis non sua. Tu ergo desipis. Paulus, inquis, in figulum reicijt, quod vas in contumeliam dirigatur. At dixi, à Paulo acceptam massam humani generis, vt infectam peccato communi: hoc porrò a Deo cæptum nō est, nec præordinatum, aut vllo modo illatum; sed ab homine, quem in bonorum omnium abundantia ad optimum Deus direxit: sed

Non accipimus, quia nolumus.

elatus

Digitized by Google

elatus ille ex abundantia ipsa, vt Augustinus edocebat: & illa origo prima malorum. Neminē ergo vltrò Deus in contumeliam direxit, aut quoquo modo primitùs ordinauit. Iam ad quæstionem redeo; nullus permissor primitùs permittere incipit: Princeps vellet vtiq; nulla prorsùs esse in Regno peccata; at videt, esse adulteria, nisi permittat lupanaria; hinc coactus sceleribus, scelera permittit. Ergo vel in Deum, vel in hominē (omitto nunc Angelos) referenda est origo prima malorum; nam Manichæos iam omnes despicimus. Infinitā tua quæstio in Deum eam refert: in hominem mea in infinitum responsio. Quidquid ergo nos aliquid lateat hoc circa, illud non dubium, quin despias tu, & non ego.

Nobis nota nostra libertas.

Pro his quoquo modo, & satis quidem ad præsens, & vtilius fortè intelligendis non eos imitari volo, qui ad magnas, longasque quasdam decretorum Dei structuras ire soliti sunt: ad nostram, quæ propior est, experientiam confugere satius duco, atque illam in testimonium aduoco, nimirum sapientissime, altissimeque, vt solet, Eminentissimus Pallauicinus tom. de actibus humanis adnotauit, probauitque, nostram libertatem esse vnicuique experientia ipsa sua notissimam. Leuissima plane illa libido mortalium, qua tam anxij libertatem à diuina prædestinatione interemptam vel timent, vel etiam ineptiunt, ad eamque examinandam, ac intelligendam rapiuntur, cum interea ad manum, & in conscientia habeat quisque solutionem. Ecquis enim, vt de externis, magisque manifestis actibus exemplum ponam, cum se tentatum sentit, non experitur, se posse, si velit, continuo genuflectere, ac Deum orare, vel librū sanctum accipere, vel cum ad fœminam pergit, in templum ire? Quis vice versa qui tentatione oppugnatus; mox, vt strenuè resisteret, se flagro vexare cæpit, expertus nō est, se potuisse, si placuisset, vt aliàs fecit, in cogitatione morari, eam fouere, ac similia. Hæc, credo, uel similia sunt cuique experimento satis nota haud minus, quam sit notum vnumquemque posse comedere, uel nō comedere hac hora, habemusque hoc in ipsa conscientia testimonium. Quis non conspicit, se posse, si uelit, libros sanctos legere quotidie, orare multoties, Sacramenta 822

Digitized by Google

menta frequentare? & hoc genus alia facere? Et tamen nolunt communiter homines. Non ergo accipiunt; quia nolunt.

823 In eandem formã si quando de probitate, ac perfectione acquirenda omni studio tractauit quis, expertus est, se à uigore, feruoreque illo negligentia sua remisisse; potuisse, si uoluisset, vt primo die, se etiam deinceps gerere; nouit, non Deum sibi, sed se planè Deo defuisse: inde natam remissionem maiorem; inde sensim ad maiora deuentum, atque verisimè se non accepisse, quia noluit, habiturus vtique Deum promptissimum ad maxima quæque, si voluisset. Quapropter etiã post cæptam perditionis viam, quã nos vlterioris permissionis dignos reddidimus, orare iubemur, vt orationibus interpositis congruentia aliqua detur diuinis consilijs nos ad pristinum reuocandi: porrò iubemur orare, nihil in fide hæsitantes. Quid verò est, in fide nihil hæsitare, quam nos certissimos, persuasissimosque existere, Deum nobis haud defuturum, nec vltrò, & à se perditionem permissurum? Si enim ita permittere potest, iure hæsitabo, & dubitabo, num vltrò statuta permissione quidquam sint profuturæ orationes? *Pulsate*, inquit, *& aperietur vobis: non hortaretur nos, vt pulsaremus* (ait Augustin. in psalm. 33. in procem.) *si nollet aperire pulsantibus: petite*, inquit, *& accipietis*: non nos omnes ad petendum hortaretur, si alicui nollet donare: omnes orare instituit, *& ne nos inducas in tentationem*: non omnes ita instituisset, si alicui aut orationẽ negare, aut peccatum permittere præscripsisset. Forent hæc Dei dicta planè delusoria.

Notum, à nobis incipere perditionem.

824 At Augustinum his maximè in causis prætergredi durum mihi planè foret. Illius supra quamdam expositionem opposuimus quasi intentioni nostræ aduersam de Magistro, qui omnes in Ciuitate litteras docet, non quidem, quòd doceantur omnes, sed quod nullus nisi ab eo doceatur. Ita vtique Deus voluntate docente eos solos vult ad veritatis cognitionem venire, qui re ipsa veniunt: sicut simili voluntate ille Ciuitatis Magister solùm vult docere, quos docet: at voluntate inuitante, vocante, solicitante neminem excludit Deus: omnes inuitat, & vocat: sicut & Magister ille quoslibet

Digitized by Google

bet paratus est docere nullo excluso. Quæ tamen omnia alibi demùm ad formam magis scholasticam redigentur.

Ex hac duplici quæstione multa tum ad scholas, 825
tum ad mores deducerem, nisi properarem. Illud vnũ non omiserim, quod palam sequitur, Deum nec vnum quidem vel reprobare, vel condemnare, quem saluis sapientiæ suæ legibus, sensuque saluare queat: solum ergo eum numerum damnat, quem sapientia sua præscribit: neminem verò vltrò.

QVAEST. LXII.

Vtrum ex hactenus constitutis depromantur idonea, ac vera fundamenta ad veram, facilem, expeditamque resolutionem Christianæ fidei?

PArcent nobis scholarum inintelligentes, si hoc scho- 826
larũ in puncto, quod illas ferè contemnit, ac tota earum, quanta est, subtilitate vix videtur superatum, ipsarum more, vocibus, distinctionibus, ac ratione agẽdi vtamur: illud dandum indoctioribus vt res abstrusas, quantum licebit, minus abstrusè disseramus, reddamusque tractabilia etiam parum scholasticis.

Quid sit resolutio in præsentia?

Ergo vnaquæq; res ad ea, ex quibus, vel à quibus 827
etiam conficitur, quodammodo dicitur resolui, ita vt quoad præsens resolutio, quæ analysis quoq; vocatur, vix sit aliud, quam rei vniuscuiusque in sua principia, causasque suas reductio. Fides autem, cum instar aliarum rerum sua quatuor vulgata causarum genera sortiatur, ad illas omnes potest resolui; & de tribus res est facilis, ac expedita; nam si quærant, vbi sit fides? per quod causa materialis denotatur, *est* (inquis) in intellectu;

Digitized by Google

fur: si à quo illa sit, quærant, idest, quam causam efficientem obtineat, respondes, intellectum, & Deum: si cur sit, rogent, vel cuius gratia, seu quis illius finis, dices, finem esse vltimum quidem Deum, proximiorem, quod homo viator viam noscat, qua ad finem suum contendat: est enim *lucerna lucens in caliginoso loco*; finis autem proximus lucernæ, qua in obscura nocte vtimur, est, vt viam ostendat, & dignoscamus. Si demùm quærant, quid sit fides, per quod causa formalis constitutiua inquiritur, facilè respondeas, fidem sumi vel pro actu; & sic fidem (de qua est sermo) nil esse aliud, quam credere Deo: quid sit autem credere, & ab omnibus intelligitur, & alibi à nobis cum Augustino præsertim, & Thoma declaratur; vel sumi pro habitu, & sic eam nihil esse aliud, quam virtutem Deo credendi.

828 Hæc cum ita sint facilia, habet tamen fides causam aliam, quam scholæ ad formalem reducunt, & formalem extrinsecam compellant, idest, motiuum illud, propter quod fidelis credit mysteria sancta fidei, & præbet assensum. Non illud huius loci est, vt disquiramus, quodnam sit illud motiuum, vi cuius credis, & quod obiectum etiam formale nominant, an authoritas Dei, an authoritas Ecclesiæ, an miracula, an omnipotentia, vel alia quoque attributa Dei? de quibus, & similibus pridem determinauimus, & determinabimus aliàs; nunc autem ex his scholarum dissidentibus sententijs antiquam illam, ac vniuersaliter receptam verã esse supponimus, quæ fidem solùm, & ex integro ad vnam Dei authoritatem resoluit, & vt scripturæ sanctæ passim efferunt, causam credendi totam constituit ipsã illam authoritatem, quæ scilicet nec fallit, nec fallitur: de modo ergo, quo ad eam resoluatur, & qualiter quæstio de fide, cur scilicet, vel quo motiuo credas, per illam ritè dirimatur, hoc opus, & hic labor præsens totus est.

829 Etenim, vt ritè, & Christiana fide Deo credas, hæc planè duo postulantur, & quòd Deus nec fallatur, nec fallat: & quod aliquid dixerit, & reuelauerit; & sic fides in Deum reuelantem, ac dicentem resolnitur; & hoc idem est apud nos, atque ad authoritatem Dei, vel ad verbum etiam Dei illam resolui; authoritas enim

Digitized by Google

quoad præsens, & quâ fidem meretur, est infallibilitas illa summa, & rectitudo in cognoscendo, & veracitas identidem summa in dicendo, ob quas Deus nec falli potest, neque fallere: nec aliæ authoritates Deum fide dignum efficiunt: atque hæc nunc supposita de fidei motiuo sententia ex toto fermè opere nostro deducitur. Ad verbum item Dei fidem resolui perindè est, atque eam resolui in Deum dicentem, & reuelantem; sicut verbo Dei credere idem est, atque credere Deo dicenti; vti credere verbo amici idem, atq; credere amico asserenti: siue hæc cuncta motiuum credendi constituant, siue alia constituant, alia solum sint conditiones, quæ sunt lites alio loco decernendæ, & decretæ.

Resolutionis fidei difficultas.

ROgas itaque, quo motiuo, & cur mysterium Incarnationis credas, & cur magis ea, quæ Ecclesia Catholica tenet, quam quæ Congregatio Caluiniana? Si, vt par est, respondeas, quia Deus illa reuelauit, & tradidit; non autem, quæ Caluinistæ tenent. Mox obstrepunt, & dicunt, de eo esse totam quæstionẽ; neminem quippè dubitare, credenda firmitèr ea, quæ Deus reuelauit: vnumquemque autem dicere, sua esse à Deo reuelata, & non alia: vel ergo pergis ad vlteriorem causam assignandam? & iam tunc non ad verbum, & testimonium Dei fidem resoluis, sed ad vlteriorem illam causam: & quæ deindè illa sit, nequit assignari, vt mox adiungam: vel in ipsa prima responsione sistis, & hæres? & tunc clamant, te nihil respondere, atque vitium illud committere petitionis principij: tunc scilicet hoc vitij committitur, quando de asserto quæsitus causam, & rationem reddis, nec probas, quam in primis, & ante omnia negat tibi aduersarius: nil autem magis negat nobis Caluinista, quam ea, quæ in Ecclesia creduntur, fuisse à Deo reuelata, & dicta. Si porrò ad Ecclesiæ authoritatem recurras, ridet Paræus: atque progressum tuum perindè dicit esse, ac si diceret quis; Mater est proba, quia filius dicit: & filius est probus, quia dicit Mater: vel sic: Turcica Ecclesia est vera, 830

quia

Digitized by Google

quia Alcoránus dicit ; & Alcoránus verus, quia Turcica Eccleſia dicit . Vnde enim ſciamus , Eccleſiam eſſe veram, niſi quia Deus, vel ſcriptura dicit? vndè rursùs, Deum, vel ſcripturam id dicere , niſi quia ipſamet Eccleſia conteſtatur ?

831 Vt verò causã altiùs repetamus, ſumatur hæc oratio: *Deus reuelauit.* Huius aſſertionis veritas, niſi aliundè probetur, eſt nobis prorsùs obſcura, & ignota ; at veritati obſcuræ, & nobis ignotæ aſſentiri non poſſumus per ſe, & propter ſe ; nec alia de cauſa ad aſſenſum concluſionis neceſſariæ nobis ſunt probationes , & principia nota : & vbique ſanè obſcura , & dubia reducimus ad clara, & certa; & qui in obſcuris, incertiſque ſiſtit , apud omnes deridetur . Impoſſibile eſt ergo , quòd intellectus per aſſenſum feratur ad veritatem eius aſſertionis, *Deus reuelauit*, per ſe ipſam , & propter ſe : ergo fidei quæſtio nequit per illam vltimò terminari . Rursùs nequit intellectus ad aliquam aſſertionem ferri propter ipſam, quæ, an falſa ſit, an vera, minimè conſtat per ipſam: at id contingit in aſſertione prædicta: illi igitur intellectus nequit aſſentiri potiùs, quam diſſentiri; quandoquidem aſſentiendi nullam potiùs videt cauſam, quã diſſentiendi ; hærebit ergo, nec ad credendum mouebitur intellectus . Nimirùm & apud Caluiniſtas eſt, *Deus reuelauit*, & apud nos : illud illorum iuxta nos ad fidẽ non mouet, quia eſt poſitio voluntaria , & non probata: ergo & noſtrum, *Deus reuelauit*, haud mouerit; quia idem manens idem, vt eſt axioma , ſemper eſt natum facere idem. Si autem dicas, apud nos prædictam aſſertionem conſtare probationibus : ergo ad has probationes deducetur demùm fides noſtra , eritque illa, vt ſubiungam, diſcurſus potiùs quidam probatus , & theologicus, quam fides , quæ non probat, ſed credit.

Veritas fidei nobis ignota, & neutra niſi aliundè probetur.

832 Sunt qui hìc ad auxilium voluntatis confugiant, quaſi voluntas , quia credendi obligationem præſentit, valeat intellectum determinare , & captiuare ad aſſenſum, vtque credat res fidei propter obiectum obſcurũ, & ignotum; ſeu propter veritatem nobis obſcuram diuinæ reuelationis, & teſtimonij . Sed verò vides, tantumdem reponi poſſe à Sectarijs . Opponunt nobis denuò nuper obiecta . Addent , fruſtra hic auxilium volun-

Nequit intellectus ad incerta , & ignota à voluntate cogi.

Digitized by Google

voluntatis implorari, idque à priori constare, & à simili, & ab inconuenienti. A priori quidem; quia prorsùs repugnat, intellectum ferri ad obiectum nisi sub ratione veri, ac nisi veritate mouente, & quæ præter veritatem sunt, præter sphæram sint intellectus, nec hoc in ordine immutari quidquam à voluntate potest, nec captiuari intellectus, vt affirmet, quæ verane sint, ignorat, potius quam vt neget, quæ vera esse dignoscit. A simili; quia nec intellectus, nec Deus cogere voluntatem potest, vt ea amet, quæ tamquam bona repræsentata non sunt, nec visum, vt cernat coloris expertia. Ab inconuenienti; quia posset alioquí voluntas id imperij exercere in intellectum, ut illum cogeret ad iudicandum astra cœli esse paria, aut impares arenas maris, vel herbas camporum. Ne autem hæc alia valeat voluntas, causa tota est, quam dicebamus, intellectum scilicet nisi sub ratione veri non duci, nec nisi vera, quæ vt talia repræsentantur, & apparent, affirmare. Atque tota denuò difficultas instauratur. Scilicet apud omnes conuenit, vt dubiam nescio quam Scoti positionẽ nunc præteream, fideles minimè posse assentiri mysterijs fidei propter se, v.g. Incarnationi, vel Eucharistiæ: idque non ob aliud, nisi quia Incarnatio secundum se, & præcisè proposita, nec aliundè probata, nec vera nobis apparet, nec falsa, sed incerta, & dubia, & vt vocant, neutra: idcircò ad affirmationem opus habemus diuino testimonio, & quærenti, *cur credamus Incarnationem*, non respondemus, propter ipsam, sed dicimus; quia Deus reuelauit. At, vt explicatum est, hæc assertio, *Deus reuelauit*, est similiter dubia, incerta, & neutra, sumpta in se sola, & sine alia probatione, & causa. Opus est ergo alia causa, & probatione, ad quam demùm fidem resoluas.

Motiuũ credendi rebus creditis patrificatum.

Fides per ipsam eius aptam resolutionem videtur subuerti

Iam hìc vndique sunt angustiæ: quodcumq; enim moliaris, imminent vel Scylla, vel Caribdis. Si causam aliam nec quærere placeat, nec reddere, non satisfacis, & hæres in luto. Sed placeat illam quærere. At occurrit mox, te destructum ire fidem, vbi de ea tuenda laboras; si enim eam aliò, quam ad Dei verbum, & testimonium deducas, iam hoc ipso illa definit esse fides diuina: quia fides diuina præcisè, & hæc vnica de causa 837

cre-

Digitized by Google

credit, quia Deus dicit, nec alijs probationibus innititur, sed solùm, & priuatiuè Deo dicenti. Ac rursùs vel causa illa vlterior tandem est obscura, & vrgebunt prædicta omnia; vel manifesta, & clara; & tunc, sicut priùs, fidem perimis, pro qua tuenda aggrederis vlteriorem causam conquirere; fidei enim Christianæ ea est indoles, vt sit obscura, & idcircò meritoria, vt sacræ litteræ concelebrant, salutem æternam, & multa alia credentibus promittentes; omnis autem assensus motiuo claro, & causæ manifestæ innitens, ipse quoque manifestus est, & clarus; & cognitio vbique sapit naturam obiecti, atque obiecti clari semper est clara cognitio, vt à priori, & uniuersalissima cognitionum omnium inductione est perspicuum. Ac demùm uel causa illa firmissima est, & par firmitati fidei? uel non ita firma, sed infirmior, & impar? Si hoc posteriùs, frustrà quæritur, nec in ea collocari poterit firmitudo fidei potiùs, quam domus firma super arenam. Iam autem causam firmitati fidei parem, præter diuinam assertionem, planè inuenias nullam: quæ scilicet fides, vt Basilius epist. 43. ad Gregorium Nissenum scribit, *supra rationales methodos animam ad assensum trahit*; & Augustinus l. 7. confes. cap. 3. *facilius*, inquit, *dubitarem, me viuere, quam vera esse, quæ audiui: habemus* quippè *firmiorem propheticum sermonem*, 2. Petri 1. quo uerò firmiorem? vtique omnibus causis scientiarum, omnibus nostris experientijs, & obiectis notis, vt loco suo cum communi Theologorum sententia declaramus. Si ergo firmitas fidei soli firmitati prophetici sermonis, & Dei testimonij commensuratur; nihil autem sub cœlo, & inter nobis manifesta est eidem non impar, quid causam aliam quæram, ad quam si fidem reduco, uideo, me illam de loco suo, de dignitate sua, ac firmitate, eadem opera pulsurum?

Nequit fides aliò, quã ad Dei verbũ resolui.

Aliquo

Digitized by Google

Aliquorum hoc in loco labores inutiles.

PLacuit nihilominùs aliquibus causas alias quærere: 834
ex quibus aliquas quambreuissimè percurramus. Nonnulli ergo quædam interna discernicula ponunt, quasi uerò fidelis, dum credit, intùs percipiat, ac experiatur, se Deo dicenti credere, atque sua interiori experientia certior efficiatur de ueritate, & existentia reuelationis; experitur enim, ac discernit, Deum ea reuelasse, quæ credit. At huius discerniculi nos retrò meminimus, ostendimusque, nil eiusmodi plerumque percipi à fidelibus. Rursùs autem tantumdem reponit Caluinista, & ad inaccessum conscientiæ tribunal Sectariorum more appellatur, cunctaque manent incerta, & in confuso. Præterea uel fidelis ad hanc suam experientiam fidem reuocat? & tunc fidem destruit, ut nuper adducta demonstrant: uel fidem ad experientiam suam non reuocat? & tunc abit ad reuelationem in se obscuram; & urgent paulò ante obiecta.

Nihil ad præsens iuuat sectariorũ instinctus

Ex quo à fortiori Sectariorum quoque effugium 835
occluditur ad instinctum internum abeuntium. Reseratum est supra, atque integra quæstione explosum hoc illorum arcanum de occulto instinctu. Ille præterea nil confert ad præsens, vt nuper indicata demonstrant. Testimonium Dei, aiunt, verbum est lucidum, illuminans oculos, & sapientiam præstat paruulis: illud ergo se ipso innotescit, ac dignoscitur. Cæterum hæc, & quæ de vnctione spiritus obtendunt, exposita sunt multifariam suprà. Si deindè ad eum instinctum fidem resoluunt, tantumdem Mahometus reponit; ac fides denique ad experientiam deducitur: de quo mox alia.

Via Nominaliũ insufficientissima.

Iam in extremum aliud adacti sunt quidam ex 836
schola Nominalium, vt scilicet fidei causam totam reducerent ad res perspicuas. Est enim in mundo satis conspicuum, ac fermè visibile, Christianam religionem modis mirabilibus, & diuinis fuisse pridem fundatam,

diffu-

Digitized by Google

diffusamque per orbem; mox illustratam inuictis sine numero martyribus, insignitam sanctis sine modo præclaris, sapientium ingenti numero, gentium, ac populorum immensa multitudine, nouis deinceps miraculis, nouis quotidie sanctis, nouis in dies martyribus. Ex his porrò cunctis accrescit Ecclesiæ eminens quædam, ac manifesta authoritas, splendor ingens, & decus. Ad hanc ergo Ecclesiæ cõspicuam authoritatem fidem putarunt reuocandam, & resoluendam: & quisque de fide sua rogatus (aiunt) per hanc manifestam causam, quæstionem totam dirimit tam tutò, vt rogari ampliùs iure nequeat: adducunt tritum illud ab Augustino suffragiũ: asseruit enim se in fide teneri authoritate Ecclesiæ. Est verò, vt hoc obiter claritatis ergo adiungam, Ecclesiæ duplex authoritas: alia manifesta, & quasi visibilis ex nuper memoratis, atque similibus coalescens; & de hac ad præsens Nominales loquuntur: alia inuisibilis in se, & prorsùs occulta non secus, aut minus, quam Dei reuelatio, & priori illa firmior, & certior: & de hac in præsentia non agunt.

837 Enimuero cuncta hæc nihil sunt, & corruunt ex adductis paulò antè. Iam scilicet sic fides haud fides erit, sed discursus vel theologicus, vel moralis, vel vtrumque; si quid supererit fidei, id erit de ti te humana, & nihil de diuina; vbi nil Deo creditur, sed historijs, sed martyribus, sed miraculis, ijsque in quantum manifestis, & probantibus. Fidei obscuritas tollitur, & sic ipsa tollitur. Cuncta illa motiua firmitate nõ æquãt testimonium Dei; ac proindè nec firmitudinem fidei Deo præstitæ; firmiore fides indiget prophetico sermone, & quæcunque nobis manifesta esse possunt, & ipsum quoque incorruptibile cœlum, & terra transibũt, peribuntque priùs, quam prætereat verbum Dei, aut fides illi connixa, illi commensurata. Et ne in re clara sim operosior, hi mihi videntur eorum censuram incurrere, qui domum firmam moliuntur collocare super arenam; agereque contra vniuersam scripturam.

838 Oculatiores alij haud pridem accessere afflictis Nominalium rebus visi sibi afferre auxilium, nec in totum accepta, nec in totum reprobata ipsorum causa, sed viam quamdam mediam sectantes, dixerunt, & ad

Nihil minus alia seminominalium.

Digitized by Google

motiua illa conſpicua Nominalium, & ad Verbũ ſimul Dei fidem reuocandam: partim hinc, partim indè illã moueri: vtrinque cuncta componi: à uerbo Dei fidem nanciſci ſupremam illam firmitatem: à motiuis autem illis perſpicuis ſatisfactionem, vt ita dicam, & expeditionem, per quæ ſcilicet habet quis cauſam, quare myſteria fidei noſtræ credat, eaque potiùs ſectetur, quàm aliarum religionum figmenta, & quæſitus de fide nullo ſeſe negotio expediat: hoc verò vt explicent, & tueantur, remotiſſimas paritates hùc euocant, quæ cum ſint in nullo ſimiliũ, nec parium, immeritò ita appellentur. Hæc verò promouit potiſſimũ celebris hac ætate Author Ioannes Martinez de Ripalda. 839

Remouẽtur. Cæterùm hæc nil iuuant cauſam Nominalium: parùm quippè intereſt, ſiue ſolùm in arena, ſiue in arena ſimul, ac firma petra volueris domum firmam extruere. Fides deindè non ſimplex, ac pura fides erit, ſed quædam commixtio: quà enim Deo credit, fides erit; quà reliquis illis mouetur, nõ fides erit, ſed aliud. Ac rursùs vel fides ad Verbum Dei fertur propter probationes illas manifeſtas? & tunc ex integro fides ad eas reſoluitur, & tota cauſa Nominalium aſſumitur, nilque fidei ſupererit: vel partim ſaltem fertur fides ad Verbum Dei propter ſe, quo ſenſu communis ſententia iudicat, fidem totaliter ad illud ferri propter ſe: & tũc ea omnia vrgent, quæ ſupra oppoſita ſunt; tam enim, eodemque modo implicat, intellectum ex vero non apparente, nec agnito ſiue ex integro, ſiue ex parte moueri ad aſſenſum; & vndè iſti partialem motionem exponent, totalis, ac integra motio identidem explicabitur. Idcircò hæc ſententia omnium reliquarum inconuenientia incurrit. Illa verò mihi prætereà diſplicuit ex eo, quòd fides accipiat, vt teſtatur Paulus, verbum Dei, non ſicut uerbum hominum, ſed ſicut uerè eſt, ut uerbum Dei: at uerbum Dei, ſi ut tale illud accipias, ſe ſolo meretur aſſenſum, nec alijs adminiculis, nec commotiuis indiget: quid enim concludentiùs rem quamlibet ſtatuat, firmet, fundet, quam Dei teſtimonium? quod propterea ſi ut ſe ſolo inſufficiens, & ut indigens ſuſceperis, non quale eſt, & ut Dei teſtimoniũ accipis, ſed quidpiam aliud eo nomine, ludiſque uocibus.

Digitized by Google

bus. Etenim infallibile, vt infallibile; connexum ut connexum concludit se solo, & sufficit, & superabundat ad assensum: at verbum Dei super omnia est infallibile, & connexum super omnia: & absre sunt hoc loci illæ concausæ naturales, & supernaturales. Libens alia subticeo.

840 Imò verò hi Theologi aguntur demùm in transuersum, & cum à clarissimis incepissent, ad obscurissima tandem deuoluuntur: abeunt enim ad latebras nescio quas modi tendendi, vt vocant, quasi fides totam firmitatem, certitudinemque non tam ex obiecto suo sortiatur, quam ex ipso suo modo tendendi. At verò tantumdē reposuerit quilibet cuiuslibet religionis cultor. Inciditur item in ea, quæ de discretione interna, deque instinctu interno dicta sunt. Peccatur enormiter in Philosophiam, quæ meritis obiectorum parem assignat in cognitionibus firmitatem, ac certitudinem, nec maiorem, nec minorem, idque demonstrat: & ridiculū est planè, fidem humanam, vel cuiuslibet fallibilis obiecti cognitionem fidei diuinæ in certitudine de facto, vel de possibili adæquare. Peccatur non minus in Theologiam, quæ ex firmitate verbi Dei fidem firmam tuetur, idque apertis scripturæ locis commonstrat. Peccatur demùm in omnia, dum acceptionem certitudinis cunctis notissimæ transmutant, quasi nil sit aliud cognitionem certam esse, quam illi inesse aliquid, quo falsa esse repugnet. Id enim habent cognitiones supernaturales omnes, quas quippe repugnat falsas esse propter multa; nec intereà omnes illæ certæ sint. Quin multorum est opinio, omnes omnino cognitiones veras illius esse indolis, ac naturæ, vt falsæ esse nequeant, quas idcirco appellare solent intrinsecè veras; nec tamen ideò vel ipsis, vel alicui contra ipsos id inanitatis venerat in mētem, vt dicerent omnes cognitiones veras futuras esse certas. Ad hæc porrò ab hoc loco remotissima cursim significanda cogunt, qui quidlibet quolibet adsportant.

Hæc demū opinio omnia implexissima.

Digitized by Google

Vera rem explicandi principia.

CVm ergo & rei difficultas, ac pericula innotuerint, & aliorum casibus discere hactenùs licuerit, eam iam exponere aggrediamur. Nec nobis inter exponendum opponant, aut nil nos noui adducere, aut nil aliud Nominales, alioſue nũc oppugnatos voluiſſe. Nec enim id probro ducemus, ſed laudi accipimuſque perlibenter Nominales, aut alios quoſcumque, ſi nõ ſenſu impugnato, ſed noſtro, & mox exhibendo procedent: imò nil nouum inducere eſt conſilium, ſed communem ſententiam expeditiſsimam reddere, ac Sectariorum clamoribus occurrere. 841

Primum veritatis noſtræ euidentia, & certitudo.

Primum itaque ex toto noſtro labore, ſi omnino vanus ille non fuit, hoc accipitur, quod multoties, ac multipliciter fuit confectum, ſcilicet eſſe moraliter, ac pleno ore certum, & euidẽs, religionem noſtram, fidem noſtram, id eſt, Chriſtianam catholicam, ſeu re uera Chriſtianam fuiſſe à Deo traditam, atque ab ipſo reuelata omnia, & ſingula illius myſteria, extitiſſeq; eorum omnium reuelationem, & aſſertionem. Vnde hæc aſſertio, *Deus reuelauit*, non eſt nobis abſolutè obſcura, ſed certa, euidens, ac manifeſta, nec aliud Sãcti Patres apologijs ſuis, & de religione, & de Eccleſia libris procurarunt, quam vt hoc concluderent, & demonſtrárent, id eſt, ad omnem certitudinem deducerent; vt quippe poſtulatum fuit operis exordio, facultas hæc non ſtrictè demonſtrat, ſed moralem certitudinem, ac euidentiam ingenerat, & indiſciplinati erit plus velle. Fruſtrà verò eſſet, ac nimis vitioſum, ſanctorum Patrum teſtimonia pridem exhibita denuò proferre in præſentia. 842

Oppoſitio.

Scio equidem, & non ſemel in ſuperioribus indicaui, ac dolui aliquorum hoc circa ſcrupulos, exiſtimãtiũ, conclamatũ eſse de fide, ſi certò cõſtet, ſi euidentèr innoteſcat à Deo reuelata fuiſſe illius myſteria; putant enim hac ex euidentia diuinæ reuelationis euidentia, ac apparentia continuò reddenda myſteria omnia fidei, cum interea fides, vt non negamus, & Paulus teſtatur, argumentum ſit non apparentium: & hoc vt euincant, ſyllo- 843

Digitized by Google

syllogismos conficiunt, quos credunt in bona forma cõstitutos, quorum medium sit diuina reuelatio, quam moralitèr euidentem aſserimus; concluſio verò myſterium reuelatum, in hac vel ſimili forma: datur, quidquid Deus reuelauit dari: at reuelauit Incarnationem; datur ergo Incarnatio. Vbi maior eſt lumine naturæ nota; minor per nos euidens: ergo & concluſio; nam ſyllogiſmus eſt, aiunt, in forma. Hinc obſcuritas tota fidei tollitur, & tollitur conſequenter libertas, & meritum, & tota fides vno uerbo. Licet deindè ſolutionem aliqua hæc obiecta haberent; at inconſultum uidetur rẽ tõtius de religione negotij potiſsimam, & laboris noſtri quaſi finem, & fructum incertis, & vt plurimùm probabilibus, non autem omninò certis principijs alligare.

844 Scio inquam, & dolui non ſemel hos ſcrupulos. Mirandum tamen non eſt, ſi certitudini, & euidentiæ veritatis noſtræ fidei nos uelimus eius reſolutionem, & operis noſtri finem alligare, cum in eo nil ſit actũ aliud, quam vt viam oſtenderemus illius comparãdæ euidentiæ, & ex uia oſtenſa eam demùm concluderemus; vt, niſi fallor omninò, palam effecimus. Et his quidẽ obiectis magis hic me impediunt alia explicaturum, quam premerẽt reſponſurum; quippe oſtendi ſupra, ipſos etiã aduerſarios ſub conuertibilibus vocibus eamdem euidentiam tutari: nil rurſus in materia religionis eſſe intuto illa negata: vix denuo ab vllo citra inconſiderationem negari, ab aliquibus, vel ab aliquo fidelium eam euidentiã de Deo loquẽte fuiſſe habitam; ſiue à Moyſe, ſiue ab Apoſtolis ſanctis, ſiue à tribus illis transfigurationis Dominicæ oculatis teſtibus, ſiue à Lazaro reſuſcitato, ſiue à Matre Dei, ſiue ab Adamo; Angeliſue viatoribus; nec cum eo, qui cuncta hæc in ſpecie propoſita, & conſiderata negauerit, volo quidquam: horum tamen quilibet per fidem ambulauit: fides autem ſecum affert obſcuritatem, libertatem, & meritum in viatoribus, & collabitur tota oppoſita moles, vel vnius ſolius admiſſa exceptione: imò quid dixerint de ſanctis Purgatorij animabus, fidẽ licet ſine merito habentibus, quia quandiu nõ uenerit, quod perfectum eſt, id eſt, Dei cõſpectus, haud euacuatur; quod eſt ex parte, id eſt, fides ex 1. ad Corinth. 13. an non agnoſcunt illæ magnæ ani-

mæ,

Digitized by Google

mæ, ſeſe veram in via religionem remiſiſſe? ſeſe idcirco non ad inferos miſsas, ſed deſituras pœnas exoluere? Hæc ego certitudo, & euidentia haud pugnat cum natura fidei, haud reddit myſteria apparentia; etc. hocque puto non ſolum probabile, ſed certum, & manifeſtum, locis proprijs rei huius conſideratis, & omiſsa authoritate extrinſeca negantium. Syllogiſmi porrò ab ipſis obiecti, vt in puncto ſummularum ſummuliſtis vtar nominibus, ſolum ſunt in forma, & concludunt de dicto; & numquam de re, & de myſterio: quod exponendi locus hic non eſt. Adiunxique ſupra, niſi prorſus delyro, exẽplum palpabile de veritate demõſtrationum Euclydis.

Nunc ergo citra metum reſumamus prædictum principium, in hoc negotio mea quidem ſententia capitale. Moralitèr certa eſt, & euidens hæc aſsertio, *Deus reuelauit myſteria Chriſtianæ religionis, & fidei*, id eſt, catholicæ, vt probauimus toto hoc opere; nec enim aliæ ſunt Chriſtianæ niſi penes nomen, nec alia vlla mũdi religio certitudine iſta, & euidentia gaudet; imò omnes illæ ex hac noſtræ euidentia, & certitudine certò, & euidenter deprehunduntur falſæ. 845

Secundum diſtinctio euidentiæ teſtimonij Dei ab ipſo teſtimonio.

Porrò hoc in obiecto, *euidens, & certum eſt, Deum reuelaſſe, & dixiſſe myſteria omnia noſtræ fidei*, inſunt duo, ſcilicet & Deum illa dixiſse, & reuelaſse; & certitudo, & euidentia talis diuinæ reuelationis, ac teſtimonij; ex quibus duobus alterum fides aſsumit, altero omiſso, id eſt, Dei reuelationem, & teſtimonium ſine adiacente euidentia. Quod quidem duobus obnijs exemplis quilibet etiam indoctus intelligat. Eſt enim cuilibet manifeſtum, voluntatem non amare niſi bonum agnitum, repræſentatum, ac propoſitum, apparenſque: at non ideò voluntas cognitionem, vel apparentiam cogitur amare: imò & odiſse poteſt: ac vice verſa amare aliquandò cognitionem mali, & odiſse malum: vti ſemper, ac neceſsariò Deo glorioſo accidit. Aliud exemplum eſt. Vt ego authoritate ſancti Auguſtini mouear ad alicuius doctrinæ aſsenſum, opus eſt, mihi innoteſcat, hoc ſcriptum, vel hunc librum eſse Diui Auguſtini: hoc verò ſæpè innoteſcit ex titulo librorum, vel ex probi viri, probatæque fidei teſtimonio. Tunc ego non teſtimonio huius motus, qui poteſt eſse doctrinæ illius ignorans, 846

Digitized by Google

rans, sed ductus solùm Augustini ingenti autoritate, difficili alioqui doctrinæ libentèr consentio. Eccè fides humana Augustino præstita Augustini testimonium assumit, omisso altero de testimonio Augustini testificante, qui multotiès ineptissimus est, vt me partim, vel ex toto ad doctrinæ sibi ignotæ assensum commoueat: id quod crebrò, & passim nobis accidit in fide humana, duplici adæquatè distincta concurrente fide, & altera credis, aliquid à Petro dictum; altera rem ipsam à Petro dictam ob eius tibi probatam veracitatem. Similitèr etiam per sensum passim percipimus hoc, vel illud absens, vel occultum, ac auribus nostris inaccessum à Petro nobis asseuerari: cuius illud testimonio credimus, nec sensus, aut indè hausta euidentiam de Petri affirmatione in partem motiui suscipimus pro re credenda, v.g. interna Petri cogitatione, cuius nil ad sensus. Quæ nisi fallor, sunt clara, & indubitata. Similiter itaque fides diuina, ex toto illo complexo, *euidens est, Deum hæc mysteria reuelasse*, omittit euidentiã illam, & assumit, qua moueatur, Dei reuelationem, & autoritatem. Quæ in scholis particulis specificatiuis, vel reduplicatiuis formalizant, dicendo fidem, v.g. moueri verbo Dei euidenti, & apparenti quidem; non autem in quantum apparenti, & euidenti. At nil volui per has reduplicatiuas determinare; tum ne fim obscurior; tum quoniam reduplicatiuæ multoties non causam rei, sed præuiam conditionem significant: dicimus enim, ignem nisi vt applicatũ non comburere, & similia, quin tamen applicatio, vel ex toto, vel ex parte comburat.

Fides sola Dei verbo innititur omissa euidẽtia.

847 Et quidem, vt motionem illius euidentiæ ex integro abigamus à fide, adest quoque explicatio alia à posteriori ex eo, quòd firmitas, & certitudo datæ fidei, haud commensuretur illi euidentiæ, nec probationibus illam ingenerantibus. Id quod, vt iam productis exemplis insistamus, palam cernitur in fide humana. Aliquandò enim, imò communiter de existentia affirmationum hominum habemus euidentiam physicam, & palpabilem; aliquandò non tantam: in præstanda verò deindè fide non hoc respicimus, sed sapientiam, ac veracitatem affirmantis, & secundum illius apud nos merita

Euidentia veritatis nihilmouet ad fidem.

Digitized by Google

merita assensum præstamus firmum, vel firmiorem, vel cum formidine authoritati loquentis commensuratũ. Idem videris in voluntate multoties, ac in Deo semper, qui meritis obiecti cogniti, non verò cognitioni repræsentanti affectus suos adæquat, & parificat. Sic fidelis meritis diuinæ affirmationis fidem datam adæquat; id est: sicut Deus super scientias, super omnes meretur assensum, sic fidelis Deo credit super omnia, & super illas ipsas probationes, quibus sibi visum est euidens, Deum reuelasse, & affirmasse res omnes catholicæ religionis, & sic credit supra rationales methodos; innititur enim firmiori sermone prophetico.

Regulæ scientiæ haud valent in fide.

At hic opus est quoddam erroris, vel æquiuocationis periculum annotare ad maiorem doctrinæ claritatem, ac fulcimen. Accidit enim, quod multi scientiarum, Dialecticæque regulis assueti illas inconsideratiùs quolibet transportent. Regula quidem, & lex inuiolata est scientiarum, vt incipiant ex per se notis, id est, ex principijs sine probatione notis, & acceptis: deindè autem procedant ex illis deducendo, & probando; nec in progressu liceat quidquam assumere nisi vt probatum, & probatione ipsa mouente; ac ideò nil est virtutis in medio, quod non fuerit in principio, & quod non sit inde deriuatum: vnde cessante primo cessat totum, ac ruit totus progressus; & quia virtus quò remotior, eò influit remissiùs, aiunt, & benè multi, conclusiones, quò à principijs remotiores, eo esse minus certas, & miseros illos, qui semper à remotissimis arguunt; id saltem accipiunt omnes, plus certitudinis esse nõ posse in progressu, vel in conclusione, quam sit, vel fuerit in principijs, seu præmissis; & si aliquid in medio claudicat, claudicare identidem postremum, & conclusionem sequi debiliorem partem. Ex quibus dicent in præsenlia, intellectum priùs iudicare, Deum reuelasse mysteria fidei; hoc autem vt iudicet, intellectum incipere ex probationibus veritatis nostræ fidei, & nisi hoc præmisso intellectum ad fidem non moueri; mox succedere, vt credat: & consequenter fieri non posse, vt plus certitudinis, & firmitatis subsit in assensu subsecuto, quam fuerat in principio, & in assensu probationũ, & conclusionis primæ indè deductæ, quæ fuerat euidẽ- 848

tia

tia de Deo reuelante; vndè fides claudicabit, debiliorem partem sequetur, nec aliò, quam ad probationes illas tandem resoluetur. Et confirmare id etiam ex eo poterunt, quod sicut in progressu scientifico, cessante primo cessat reliquum, & ablato primo totum concidit, sic in progressu fidei, si euidentiam de Deo reuelãte tollas, si probationes eius pellas, cessat, ac tollitur fides.

849 Atque hæc, credo, occasio potissima fuerunt tot in præsentia dissidiorum, ambagum, obscuritatum, errorum. Ex dispari porrò scientiæ, ac fidei notata natura, & indole non solùm ea cessabunt, sed etiam, quæ diximus, confirmabunt. Ergo scientia facit scire, & intelligere, ideſt notante Sancto Thoma quasi intùs legere rem; fides facit credere, & vt superiùs est expositũ, rem magis deuorare, quam mandere; altera est oculata, altera cæca: vnde scientia, sicut & proportione visus, ad obiecta fertur, in quantum apparent, & euidentia videntur, & tota illius certitudo, & adhæsio euidentiæ obiectorum coæquatur: cumque obiectorum illorũ omnium in indiuisibili consistat veritas, tamen cognitiones scientiarum contingunt esse magis, vel minus certæ pro maiori, vel minori euidentia illorum. Fides autem auditui magis, & diuinissimè quidem ab Apostolo confertur; audimus enim non solùm clara, sed obscura etiam, & obscurissima, & prorsùs ininteligibilia: estque auditus potiùs absentium loco, vel tempore, quam præsentium: fides ergo est ex auditu, ac primariò saltem, & potissimùm rerum nõ apparentium. Nec veritas, cui fides innititur, scilicet veracitas, & sapientia dicentium in indiuisibili constituunt: & ad res obscuras potest illa esse maior, & minor ad res claras; vndè tunc magis illæ, quam istæ credentur; nec opus est ista nunc altiùs repetere, scientiarum expositis motiuis, ac medijs; fidei item in genere prodita acuta definitione Augustini: satis fuerit ex proprietatibus vulgaribus, & notis, eorum diuersissimam naturam aperire. *Fidei, & scientiæ quã dispar natura.*

850 Ex his autem fit, quod totum lumen, totaque euidentia totius progressus scientifici à principio deriuetur, ac profluat in reliquum; vnde vt minimum ne- *Illatio.*

Digitized by Google

quit esse plus luminis ; & euidentiæ in medio , quam in principio, vel in fine, quam in medio ; ac proindè nec plus certitudinis: cum certitudo probationem non excedat, nec probatio euidentiam principij , & illationis indè factæ, &c. At fides habet quidem ex sapientium iudicio præambula etiam sua , non autem præmissas propriè: nec enim per præambula probat, nec se in illis ingerit ; sed illis constitutis incipit, non inferendo , sed illa præsupponendo . Contingit autem, quod per præambula illa innotescat intellectui authoritas aliqua , quæ plùs fidei mereatur , quam assensus meruerint ipsa præambula: dicamus clarè vno verbo : contingit per principium moralitèr euidens mihi probari, Deum reuelasse Trinitatem: manifestum est, plus fidei, & adhæsionis mereri hoc Dei testimonium , quam meruisset principiũ illud moraliter euidens ; tunc verò fides hoc Dei testimonium arripit ; eoque ad credendum mouetur : necesse est ergo, vt firmiùs mens adhæreat per fidẽ rei creditæ, quam adhæsisset per principiũ illud euidẽs existẽtiæ diuini testimonij; vnde inspecto toto progressu præambulorum, & ipsius fidei, plus virtutis mouẽtis, & plus consequenter certitudinis est in fine , quam in principio; nec ex hoc quidquam euidentiæ, vel certitudinis ad fidem promanat . Id quod fidè humana facilè exponerem , nisi nimia explicatio confusionem paritura esset, & nauseam : imò ignem videas siue à debili puero, siue à robusto viro applicetur, modo satis applicetur, æqualitèr comburentem . Hinc æqualitèr credimus siue per vnum miraculum nobis innotuerit Deum aliquid reuelasse, siue per centum : siue authoritate Ecclesiæ, siue perpetuitate fidei , sanctorumue virtutibus, siue quocumque demum modo; & medio religionem nostram à Deo esse constiterit, vna, par, & consimillima est fides; quia ea omnia sunt applicantia; & præambula . Quod subdebant, cessantibus his præambulis cessare fidem, nihil est, vt actualis fides cessat dormiente homine, & omninò fides, si homo nolit credere; & hac ex parte nihil est debiliùs, & infirmiùs fide, in hominis scilicet vento mutabiliori arbitrio reposita. Hæc vt vocãt cum S. Thoma Theologi, se tenent ex parte subiecti, nec indè simpliciter , & absolutè , sed secundum quid fides

Fides habet quidem præambula, non probationes.

Plus firmitatis in fide, quã in præambulis.

est

Digitized by Google

est incerta, vel minùs certa; ex obiecto verò simpliciter, vt satis ad præsens exposuimus, nec ineptæ obiectioni dissoluendæ amplius est dandum.

851 Sed enim dicent, fidem hoc pacto moueri demum ab obiecto suo, verbo quippe Dei, quod an sit, ignorat ipsa, & credit res, quia Deus dicit, ignara prorsus, eane dixerit; nam voluimus, id per præambula illa probari, concludi, euidens reddi, sciris fidem autem nihil se immiscere, nec ferri ad illas probationes, nec ad deductã indè euidentiam de Deo loquente: vnde illa cuncta respectu fidei erunt, quasi non essent; at si illa non essent, aut præessent, fides haberi nequiret: & casus esset, sicut arenarum maris, vel herbarum campi, in quo nihil potest intellectus affirmare: quare fides hoc modo exposita est impossibilis. *Obiectio.*

852 Hæc obiecerint, qui accidentia, & actus instar subsistentium apprehendunt. At reuera nil nuclei habent; licet enim nos quoque cum omnibus loquendo, sed nihil tamen in eo fundando, dicamus multoties, fidem credere, moueri, assentiri, &c. atque de scientia, & alijs multa similiter proferamus, re vera tamen non fides credit, sed homo, nec fides mouetur, & consentit, sed homo: homini autem mouendo, & credituro innotuit Dei reuelatio, nec de hoc est is ignarus, sed conscius, & certus: cuius rei ebulliunt exempla. Nimirùm conclusioni non innotescunt principia; satis est verò, si homini concludenti ea innotuerint; voluntas ferri nequit in incognitum: iam opponant: intellectus est, qui cognoscit, nec voluntas illius cognitiones resumit: ipsa proindè semper manebit insciа obiecti: illud ergo amare nõ poterit: quod autem intellectus cognouerit, si in eo nõ se immiscet voluntas, respectu huius erit, quasi non esset: amare ergo non poterit, & casus erit, tanquam si nihil fuisset præcognitum. Hæc vides solùm per ignorantiam opponi posse, & contra omnes: & responsio est, non voluntatem amare, sed hominem; qui ipse obiectum præcognouit; vndè non alius cognoscit, & alius amat; sed vnus, idemque ipse. Quod idem in fide videas; nam homo idem his, vel illis argumentis cõscius fit, & certior redditur de Deo reuelante: mox idem ipse alia virtute, & actu scilicet fide res reuelatas credit *Solutio.*

Digitized by Google

Fides volũtati comparata.

super omnia, quia à Deo sunt affirmatæ, & dictæ.

Fides autem quandam in cæcitate cognationem 853
cum voluntate habet; per neutram enim quidquam explorat homo; sed voluntate amat, & fide credit: & quemadmodum homo ex creaturis incipiens Dei existentiam, ac bonitatem agnoscit, & concludit, quo in ordine Deus est obiectum materiale, & probatum, & illatum; mox vero relictis creaturis per voluntatem accipit Deum, vt obiectum formale, & motiuum ad Deũ, & creaturas amandas, & sic hoc in ordine est primum & mouens, quod in priori fuerat postremum, & motionis terminus; sic in toto progressu præambulorum, & fidei est duplex ordo; primus quidem præambulorum, in quo per principia moraliter euidentia probatur, & concluditur reuelationis diuinæ existentia; atque in hoc reuelatio est postremum, & obiectum materiale motionem, ac probationem terminans: mox omissis probationibus ordo fidei incipit à reuelatione, quæ est primum, & mouens: & ad ipsa etiam illâ præambula credenda mouere potest, ac mouet multoties, vt latiùs in quæstionibus scholasticis declarabitur. Haud negamus interea, fidem esse habitum illuminatiuum, ijs scilicet, qui frequenti, feruentique exercitio illum intendunt, atque sic ad ea quoque minùs, vel magis intelligenda trãseunt, quæ primitùs nullatenùs intelligebant, sed credebant, intellectumque captiuabant in fidei obsequium: nam ex Isaia credendum est priùs; ac deinceps intelligendum. Nec item, fidem esse lucernam lucentem in caliginoso loco: quod multifariàm exposuimus, vel sumendo fidem cum præambulis, & probationibus, quæ etiam ad fidem reducuntur; vel de ijs loquendo; qui curant habitum intendere, qui ex consuetudine in naturam transit, & illuminat, vt alibi probabamus; vel veriùs, vt supra dictum est, fideles cum infidelibus comparando, qui hoc in rerum humanarum nubilo, & fumo repleta domo, nec finem suum, nec iter norunt, nec quid credant, vel sperent; at contra fidelis omnium horum est certissimus; Christũ enim sectamur, qui est via, veritas, & vita.

Tota

Digitized by Google

Tota difficultas propoſita ex his collabitur.

854 EX his ſic in longum pro rei magnitudine diſcuſſis, & expoſitis cuncta illa collabuntur, quæ initio, & poſteà contra aliorum explicandi modos obiecimus. Scitur enim fidem ex integro, & priuatiuè ad vnã Dei authoritatem, & aſſertionem eſſe reſoluendam, nec vlteriùs deducendam; præcedentem rursùs probationẽ, & euidentiam nihil illius obſcuritati obeſſe, & conſequentèr neque merito; abs re item eſſe ea de parilitate ſtellarum, uel arenarum exempla: quæ demùm à ſimili voluntatis allegabantur, exponere potiùs, ac communire doctrinam noſtram: vt ex nuper expoſitis eſt in comperto. Neque verò fidelis nolens fidei ſuæ vlteriorem cauſam reddere, ſed in Dei aſſertione, & teſtimonio ſiſtens, & hærens vitio vllo iure reprehendatur; nã de fide agitur, & non de ſcientia: fides autem non probat, ſed credit: dicit autem, quo nil exceptione maius adduci poteſt, ſe credere, quia Deus dicit, ſeu Deo dicenti. Si quæras, cur Deo dicenti credat, vt pridem notauerat Caietanus, ſtolida eſt quæſtio: cui enim credatur, ſi non Deo? Si porrò quæras, vnde ſibi conſtet, Deum ea dixiſſe: iam quæſtio non eſt fidei, ſed præambulorum: horum autem dicit, ſe habere probationem, quam nulli habent aliarum religionum ſectatores: vndè horum cauſas manifeſtas, & claras adducet ex toto noſtro opere. Si verò intra fidem ipſam hærens quæras, & quæras, numquam aliud cogetur reſpondere, quam ſe credere, quæcunque tenet Sancta Mater Eccleſia, quia ſunt à Deo dicta, & tradita: & ſicut ſi de ſcientia tractaretur, in Dei teſtimonio ſiſtens, nec ulterius probans, uitium incurreret petitionis ptincipij, ita dum de fide tractatur, in omnium ſummo teſtimonio ſiſtens leges omnes fidei ſeruat, & ſicut ſcientia non probans, non eſt ſcientia, ita fides probans non eſt fides, ſed ſcientia: undè id ipſum, quod quæritur, deſtruitur, ſi probatur: ergo quæſtio intra terminos fidei probationem

Digitized by Google

nem petens est stolida: quærens ergo conquiescere debeto responso. Et si vltra quærat, non respondens peccat, sed ipse, & quod ex scientiarum legibus pro natura ipsarum diuersa, uitium in illis esset, non vitium, sed laus est in fide. Quinimò in ipsis quoque scientijs aliquid simile reperias facta comparatione vnius scientiæ ad aliam: nam subalternata vtens principijs subalternantis, ea ponit, & credit; & non intelligit, nec probat: licet vtramque demùm assecutus cuncta non manifesta probare teneatur; qualiter nihilominùs scientiæ subalternatæ sint scientiæ, & à subalternantibus distinctæ, viderint Dialectici.

Motiui credendi, & rerum creditarum dispar ratio.

VNum nihilominus, illudq; difficile superest vin- 855
cendum, & exponendum, qua scilicet veritate fidelis ad credendum moueatur, & cur sicut accedente illa quasi aliena, & per fidem haud assumpta euidentia mouetur Dei testimonio ad credendum, ita nequeat alia similis euidentia poni de existentia Incarnationis; eaque præsupposita, & præambula moueri fidelis ad credendum immediatè Incarnationem propter se, & prætermisso, & omisso Dei testimonio: quemadmodum supra magis ponderauimus, & vrsimus.

Nũ Dei reuelatio in infinitum reflectat?

Hæc vt exponerem, discrimenque inter mysteria, 856
& reuelationem darem, dixeram pridem cum Valentia, alijsque accuratissimis Doctoribus, omnem locutionem in semetipsam reflectere; omnem affirmationẽ, obiectum, & se etiam ipsam affirmare: ideò illam ad obiectum credendum, & se quoque ipsam credendam paritèr mouere, & ducere: diuinam auetm locutionẽ, cũ diuinæ cognitionis, & conceptus sit manifestatio, qui est velut infinita quædam in se ipsam reflexio, & sine fine omnium quæribilium solutio, & responsio, esse similitèr velut infinitam quamdam reflexionem affirmãtem se, & sui affirmationem, & affirmationis affirmationem sine fine: in quo satiari, vel frangi possent illi nimij

Digitized by Google

nimij quæsitores, cur credis Incarnationem? quia Deus dicit: cur credis Deum dixisse? quia ipse dixit: & cur hoc? & semper, & sine fine respondes idem quidem re, sed diuersum ratione; nam illæ reflexiones differunt ratione: hæc autem distinctio ad euitandam petitionē principij satis est, superque.

857 Placuerint ista quibusdā insigniter metaphysicis; quæ nec mihi omninò displicuerant aliquando: Post verò Romæ gradū retuli ad magis realia. Ergo reflexiones nunc illas prætermittendo alijs examinandas, sciendum est, locutiones, reuelationes, affirmationes, & negationes duplici gaudere veritate, alia quidem in essendo, & alia in dicendo. A prima habet locutio, vt re ipsa fiat, & existat: à secunda, vt conformis existat obiecto, vel rei per ipsam assertæ: primam illam habet quælibet etiam falsa locutio, & assertio; nam re uera est locutio, & assertio in rerum natura existens; secundam solæ obtinent locutiones, & assertiones, quas veras absolutè nuncupamus; quia scilicet in locutionibus, & assertionibus non id attendimus, quod commune habent cum rebus omnibus, ideſt, veritatem in essendo, sed quod speciale, & ad quod institutæ sunt ipsæ, hoc est, veritatem in dicendo, & enuntiando: quæ clariora uidentur, quam maiori hic explicatione sint donanda.

Nihil id ad præsens.

Assertionū duplex veritas.

858 Hinc conspicitur, mysterijs à Deo reuelatis solam inesse veritatem in essendo; reuelationibus autem & in essendo, & in significando. Quamobrèm quando homini per præambula fidei certò innotuit veritas reuelationis in essendo, ideſt, reuelationem existere, vel extitisse re ipsa, propter veritatem eiusdem in significando monetur, vt res significatas, & affirmatas firmissimè credat. Licet autem reuelationi, & testimonio Dei per præambula probantia accesserit euidentia, quam fides modo explicato prætermittit, minimè verò per eadem illi veritas in significando accessit; solum enim probatum fuit, reuelationem Dei dari, quod probare opus fuerat; non verò illam veram esse, quod supponitur, nec apud disciplinatos, & docibiles indiget probatione: & si qua est dāda, nō à fideli, sed à Theologo ea est postulāda. Vndè fidei probationē, & euidētiā illā præambulā, & accessoriā prætermittēti, supereſt in verbo

Mysteriorū creditorum vna sola.

Digitized by Google

bo Dei veritas in ſignificando ipſius Dei verbi propria, ac fidei proportionatiſſima, qua, & ſub qua, & ob quam ad omnia obiecta ſua feratur credēs Deo ſuper omnia, quia teſtimoniū Dei maius eſt: quod eſt munus, ac aſsētia tota, & natura fidei. Nihil autē ineſt ſimile myſterijs, & rebus reuelatis, & creditis, quarū nulla eſt ueritas in ſignificādo, & dicēdo: ipſarū verò veritas in eſsēdo eatenùs aſſenſum meretur, quatenus conſtat: at conſtat vel probationibus illis præambulis, & tunc non eſt propter ſe; vel Dei teſtimonio, & hoc volunt omitti: dicant ergo, quem aſſenſum illa veritas in eſſendo Incarnationis v.g. mereatur propter ſe? Non quidem intuitionis inſtar ſenſibiliū, cum in ſe non conſpiciatur: non aſſenſum quaſi primorum principiorum, cum nulla appareat, neque ſit re ipſa connexio neceſſaria terminorum: non quaſi ſcientiæ, vel opinionis, cum omnis probatio excludatur: non demùm fidei, vel diuinæ, vel humanæ, cum nullius admittatur teſtimoniū: omnis porrò aſſenſus ad aliquid horum reducitur. Supplementum autem quoddam Scoti propter multa haud placet, quo de aliàs.

Dei reuelatio ad ſe credendam non mouet.

Sumitur ex his contra, quam reflectentes illi volebant, nec Dei teſtimonium ad ſemetipſum credendū mouere poſſe. Non vtique veritate in eſſendo, vt de myſterijs eſt probatum: ac patet ex eo præterea, quod aſſenſus reſultaret ridiculus, & nugatorius; nam veritas teſtimonij in eſſendo non aliud eſt, quam teſtimonium illud adeſſe, & dari: vndè intellectus diceret: *teſtimoniū Dei datur, quia teſtimonium Dei datur*, quod eſt ridiculū, & intellectui impoſſibile. Neque etiam ueritate in ſignificando, & dicendo: tum quia ſignum, & ſignificatū ſaltem realiter inadæquatè differunt, & voces ſolum ſe ſignificant in generali quadam, ac ſibi, & alijs communi ratione, vt *vox, nomen etc.* hæ autem voces *Verbum, caro, factum* haud magis ſeſe ſignificant, quam lapidem, vel cœlum, vel Turcam: tum quia voces inſtitutæ minime ſunt ad ſe ſignificandas, ſed res, vel conceptus loquentis: quemadmodum nemo non vanus loquitur, vt loquatur, vtque innoteſcat ſe loqui, ſed vt vel res, vel cōceptus ſuos expromat, & aperiat. 859

Sumitur viciſſim indidem, optimam à nobis ſeruari 860

Digitized by Google

uari proportionem inter reuelationes, & mysteria: in quo enim sunt similia, idem dicimus, scilicet de veritate in essendo; & in quo sunt dissimilia, scilicet in veritate in dicendo, qua reuelationes gaudent, & qua mysteria carent, opposita, vt ratio postulat, affirmamus.

861 Hinc autem à fortiori contra Eminen. de Lugo, aliorumque magnorum Virorum haud priscos labores accipitur, longè illud à vero abesse, quod dicunt, obsequium vel totum, vel potissimum fidei, quod Deo fidelis in credendo præstat, in eo esse repositum, vt credat reuelationem, id est, Deum reuelasse, & dixisse; non autem in credendis rebus dictis, quæ primo illo credito sunt facilia, & euidentia: & de primo solum illo est diuersitas, ac multitudo tota religionum: de secũdo litigat nemo. Sed hæc disiecta sũt, & exposita superiùs: nunc filum texens breuitèr infero, imò nullum esse obsequium, nullam fidem de Deo loquente, nisi quando (de quo non loquimur) locutionem, & reuelationem suam per alias reflexas locutiones affirmauit, vt in Prophetis: *Hæc dicit Dominus*, & in euangelio, *dixit Iesus, ego autem dico vobis, &c.* tunc enim nulla est difficultas: & assertiones directæ propter reflexas illas credi possunt, sicut mysteria, & res aliæ propter directas creduntur; at directæ propter semetipsas credi nequeunt; nec reflexæ vltimæ propter se, nec propter alias, nec de hoc est fides, nec obsequium: quia non est veritas in dicendo, nec Abrahamus Pater credentium meruit appellari, quia credidit, Deum sibi loqui, sed quia duo illa credidit, & multiplicandum semen suum sicut stellas cœli, & immolandum nihilominus Isaac, quæ pugnantissima videbantur, & tamen Abraham in spem contra spem haud hæsitans credidit: ex re ergo credita magna eius laus, & fides, & obsequium.

Fidei obsequium in rebus credendis, non in reuelatione.

De Deo loquente nõ est fides.

862 Finis præterea locutionis, ac fidei idemmet existit, vt nempè certiores reddamur de rebus dictis, vel si placet, etiam de conceptu loquentis; non verò de ipsa locutione: quemadmodum nec loquens loquitur, vt loquatur; fidemque, & eius obsequium ad credendã reuelationem, ac locutionem reducere, haud aliud mihi esse videtur, quam si totam agentium laudem, atque

Quis finis loquentis?

Digitized by Google

effectuum excellentiam ad actionem reuocares; sunt enim actio, & locutio, vt vocant, merum *quo*: effecta, autem, & res dictæ fines, & termini. Fides rursùs eorum est fides, quæ credimus, & in eis illius quoque obsequium consistit: at mysteria sancta fidei sunt, quæ credimus, & quæ credibilia fiunt à Deo loquente, non locutio; idque puer, & anus, & sartor, & fidelis quisq; rogatus respondet; ideo sententia nostra naturalis est; contraria verò difficultatibus cogentibus extorta, & cedens, ac proindè posthabenda. In eo deindè præstatur obsequium, in quo mentes captiuamus: at mentes captiuamus in credendis rebus supra nos positis, quas nec capimus, nec intelligimus: nam quæ non capis, quæ non vides, animosa firmat fides, ac ideò fides est argumentum non apparentium: hæc verò quæ, precor, sunt alia, quam Deus Trinus, & vnus? Deus homo, Deus mortuus, Deus sub panis speciebus, peccatum sine propria voluntate? In his ergo Deo credendis proprijssimè, ac immediatissimè obsequium fidelium situm est. Atque idcircò plùs, vel minùs est obsequij, quò plùs, vel minùs difficultatis, & abstrusitatis in mysterio credito, Abrahamusque plùs obsequutus fuit duo illa simul credens, quam cum semen suum multiplicandum crediderat.

At quid magni agimus, inquiunt, in credendo Dei 863
dicta etiam difficillima, quem euidens est nec falli, nec fallere? At quid magni agimus, rogo ipse, si hoc Deo credamus, ipsum ad nos loqui? cuilibet enim hoc perfacilè credas. Ac denuò, vel id Deo dicenti credis? & tunc tua te iugulat interrogatio; quid enim est Deo credere, ipsum loqui, si id ipse dicit, quem est euidens nec falli, nec fallere? vel non id Deo dicenti credis? & tunc, vt dicis, non Deo credis: non ergo fidem exerces, nec vllum Deo præstas obsequium, cui nimirum credis nihil. At inquis; ego credo Deum locutum, quin id certò nouerim, nec fcinerim: & in hoc obsequor. Verùm nõ in eo tuã extollã prudentiã: atque de hoc supra integram quæstionem cõscripsimus. Pergite deindè, ac dicite: ego mysteria obscurissima credo, quin certò nouerim, ea dicta à Deo, & in hoc obsequor. Quorsũ demùm in præsentia extollunt adeò, atque inculcant

Theo-

Digitized by Google

Theologi Dei ſummam veracitatem, & ſapientiam? ſi illis moueri obſequium omne tollit, & laudem? Imò, dicas, quia tantæ illæ ſunt, tamque indefectibiles, atque indefectibilitèr quodlibet dictum verificantes, laus omnis tollitur, & meritum: nec cum Paulo duas res immobiles, ſcilicet verbum Dei, & iusiurandum pro baſi fidei quæramus, ſed res potiùs mobiles, ac labiles, quibus laus ſit acquieſcere. Non ergo immobilitas, ac euidens veritas diuini teſtimonij tollit, ſed extollit laudem, & obſequium fidei: vti nec magnitudo diuinæ bonitatis excellentiam, laudemque amoris Dei; teſtimonium quippè illud res aſſertas ſummè verificat, & hinc fides eſt firmiſſima; illas minimè, vt loquar ita, euidentificat, & hinc laus, & obſequium.

864 At audio illud, *propter quod vnumquodque tale, & illud magis*: ſi ergo propter Dei reuelationem myſteria fidei credimus, neceſſe eſt, credamus magis ipſam reuelationem, & verbum: de hoc ergo eſt maximè fides, & conſequentèr laus eius, & obſequium. Sed pergant, & inferant: media eliguntur propter finem, concluſiones ſciuntur propter principia: magis ergo eligitur finis, cuius Ethica docet, nullam eſſe electionem, ſed amorem; & magis ſciuntur principia, quæ non ſciri, ſed videri, ac ſimpliciter intelligi, Dialectica tradit. Nos porrò probauimus, ſimiliter myſteria quidem credi propter reuelationem; non verò ipſam reuelationem propter ſe: eſtque locutio, & reuelatio, ſicut paulò antè ſcholarum voce dicebam, merum *quo*, vt & vnio, & actio, & vbicatio, & relatio; nec enim hæ referuntur, vbicantur, vniuntur, aguntur, ſi non pinguiorem, ſed accuratiorem Philoſophiam ſectemur; nec hæc ſunt diſſidia vocalia; nam ex prauis vocibus praui conceptus ingenerantur, & ex prauis conceptibus, & apprehenſionibus praua opiniones, & errores, & quod eſt deteriùs, prauus denique vſus in naturam pertranſiens mentes mutat, & vitiat. Prima quidem principia, licet non ſciantur, tamen affirmantur, & multoties etiam ſeorſim à concluſionibus, & maiori firmitate, quam concluſiones; fines ſimiliter, licet non eligantur, tamè amantur, & præamantur, magiſque afficimur circa illos, quam circa media; at reuelatio nec ſeorſim affir-

Oppoſitio.

Solutio.

Digitized by Google

matur per fidem, nec cum mysterijs simul creditur propriè: cuius quoad hoc alia est conditio, quã finis, & principiorum: nec enim finis est, vt sint media, sed à contrario; nec principia sunt, vt sint conclusiones; & ideò suum esse, & veritatem, vel bonitatem habent ad se, & propter se; amarique consequentèr, vel affirmari seorsim etiam possunt: non ita locutio, quæ solùm est, & ponitur propter aliud, vt vnio, & actio, & relatio; & magis in eo assimilatur locutio medijs, quæ nisi simul cum fine non attinguntur, & conclusionibus. Ergo per actum fidei non creditur locutio; nam id creditur, quod dicitur; locutio autem non dicitur, sed est ipsa dictio; attingitur tamen per illum vt motiuum, & ratio formalis, & sic etiam, & hoc solum pacto affirmatur, scilicet vt causa in causali, & non alitèr, dicendo, *credo hoc, quia Deus dicit, vel Deo dicenti*: quod quippè est munus totum, & esse, & finis locutionis, & verbi. At p præambula alijsq; actibus affirmatur etiã locutio.

QVAEST. XLIII.

Vtrum, & quomodo ex dictis ad praxim reducatur resolutio fidei citra mutuam prioritatem, & circulum, quem Pontificium vocant Sectarij?

EX ijs itaque, quæ diffusè quidem, sed haud (credo) vanè quæst. proxima disseruimus, atque constituimus; ex ipsa necnon forma præscripta veræ religionis quærendæ accipitnr liquidò, vnumquemque veræ religionis cultorem scire debere, atque credere: credere quidèm res omnes, mysteria omnia religionis: scire verò, cui vtique illa credat, an hominibus, an Dœmoni, an Deo: scire quippè debet, sese Deo credere, & non alteri, Vndè cum in vnoquoque ueræ religionis cultore duo inueniantur, credere scilicet, & scire, & alterum ad fidem, alterum ad aliud, & non ad fidem pertineat, de utroque ille rogari potest, 865

Digitized by Google

test, & quæri, & alterum ab altero disiungendum est, ac remouendum, ut patet ex se, & ex discussis superiùs.

Rogatus itaque, & quæsitus fidelis, cur mysteriũ Trinitatis credat, cur Incarnationem, cur Eucharistiã, cur singula alia, cur omnia? plenè, & dignè respondet, quia Deus illa omnia, & singula dixit, reuelauit, tradidit. Nec de fide quærendus est ampliùs, cum credẽs
866 fidei suæ authoritatem, & causam reddat, quæ nulli sit obnoxia exceptioni; si enim rogaretur, cur Deo dicẽti credat, insana esset quæstio, ut notauimus. Si authoritatem, & reuelationem, & fidem denique suam ad ulteriorem causam solicitetur reducere, ignorantèr planè, ac contra ipsam fidei naturam, contra ipsas institutæ resolutionis leges, & regulas solicitatur, ut commostrauimus. Et idem est, ut constitit, si de petitione principij, de temeraria assertione, aut simili accusetur: quæ abundè superiùs exposita sunt. Hisque omnibus plenè occurrit dicens, *scio, cui credidi*; ex quo omni accusationi satisfacit.

Iam si de hoc *scire* rogetur, & postuletur, undè, & ex quo sciat, ac nouerit, se Deo credere? causã hìc, & rationem tenetur quisque reddere, rusticus quidem rusticè, puer pueriliter, doctus doctè, & unusquisque demùm modo suo, quali saltem, ut supra latè exposuimus,
867 scit unusquisque rusticus, & simplex, & anus, & ancilla rogata de rebus suis, & huius mundi, de domo, de pallio, de calceis rationem reddere sufficientẽ: habet porrò fides, & religio nostra rationes, & fundamenta à quolibet, nisi prorsùs negligere uelit, intelligibilia, atque perceptibilia, quod etiam supra probatum est, & explicatum. Atque hoc utroque sic distincto, & explicato citra mutuã prioritatem, aut circulũ tota fidei resolutio, & analysis expeditè cõficitur.

868 Hinc haud admittendas putauimus aliquorum magnorum virorum mutuas prioritates authoritatis Ecclesiæ, & Verbi Dei, quarum aliam per aliam vicissim exponere, atque reddere solent, censentque, nullum id esse vitium, nam aliam authoritatem, conditionem aiunt esse, aliam verò causam. Allegantque doctrinam Aristotelis de relatiuis 6. topicorum. Hunc ego exponendi modum in Scholasticis excussi. Nunc satis de se

ap-

Digitized by Google

apparet, hanc abstrusam certè, licet quoquo modo probabilem doctrinam nimis reddere impeditam, implexam, senticosam resolutionem Christianæ fidei. b.

Illa præterea ansam hæreticis exhiberit nos incusandi de circulo vitioso, quem in contemptum appellant Pontificium. Illum ab ipsis audiamus. Ergo Baronus prædicator Scotus sic agit. Vbicunque fit progressus ab eodem ad idem eodem modo cognitū, fit circulus formalis, & propriè dictus: at in hoc negotio sic Pontificij procedūt, nam propter Verbi Dei authoritatem fide diuina creditam credunt Ecclesiæ in testificando infallibilitatem, idque fide diuina: & rursus propter Ecclesiæ Catholicæ in testificādo infallibilitatem fide diuina creditam, credunt Verbi Dei authoritatem, idque fide diuina. Hic igitur est processus à Verbi Dei authoritate diuina fide credita ad eandem Verbi authoritatem fide diuina creditam: & proindè est ab eodem ad idem eodem modo cognitū. Hactenus ille. Populariùs autem nobis Paræus exprobrat processum nostrum huic similem esse, mater est proba, quia filius dicit: filius probus, quia mater dicit: vel sic: turcica Ecclesia est vera, quia Alcoranus dicit, Alcoranus autem verus, quia turcica Ecclesia dicit. Illas enim causæ, & conditionis, ac similes distinctiones Turca etiam, & quilibet facere potest, si volet. 869

Enimuerò in nostris hæc principijs nullum specimen, ansam nullam habent. Nam fidem vnica, ac simplici responsione citra omnem causæ, vel conditionis prioritatem mutuam reuocauimus ex integro ad Verbum Dei. Illud porrò scire, quod ipsum credere natura præcedit, haud reuocamus ad aliquid fide diuina creditum, sed ad principia alia, scilicet illa, ex quibus multiplici via concluſimus, veram religionem apud nos esse. Inter illa autem principia alia quidem sunt, quibus cōficitur, veritatem apud Christianos esse, & quibus prophani omnes, & gentiles, atq; Mahometani oppugnantur, & inter illa nullo pacto resumpsimus, vel resumendum est Verbum Dei, quod scilicet ab aduersario non admittitur, & cum per se ipsum non liqueat, probandū est priùs aliundè. Alia principia sunt, quibus, ex quo apud Christianos, veritatem esse concluſum est, deinceps 870

Digitized by Google

ceps ostendatur, apud quosnam Christianos illa extet: & ad hoc vtiq; illam partem Verbi Dei, & scripturæ resumpsimus, quam resumendam superiùs ostendimus, & quæ probetur Christianis omnibus. Atqi ex hoc Verbo Dei inter alia veritatem apud nos esse, confecimus. At nequaquam illud fide diuina creditũ accepimus: quod facere haud licet, quandiù vnicuiq; nõ constiterit, apud quosnam veritas sit, cum nisi secundum sensum Ecclesiæ, & illo priùs agnito haud liceat quidquam fide diuina accipere. Hoc ergo Verbum Dei, hæc pars scripturæ humano modo, syncerè, ingenuè, ac magno veritatis studio consulta, examinata, intellecta principium est inter alia dignoscendi, apud quos Christianos vera doctrina, & vera Ecclesia extet. Minimè ergo illa quoad hoc fide diuina accipitur, ac proindè nullus est progressus ab eodem ad idem eodem modo cognitum. Similiter etiam authoritas Ecclesiæ, definitiones Ecclesiæ, & quæcumque demùm ad credendum inducunt, & obligant, haud fide diuina præaccipiuntur, sed bonis, idoneis, valituriſq; rationibus explorata robur suum, & vim totam obtinent: debeo enim idoneis primum fundamentis Ecclesiam probare: debeo, quid ab ea definitum sit, tutò agnoscere: quo facto mox cuncta credo, quæ tradit Sancta Mater Ecclesia, sine alio examine, discussione, vel lite, & in eo vno comperto deuorare vniuersa, vt superiùs est expositum.

871 His, licet clara videantur, magis exponẽdis exemplum prodamus perspicuum. Eece Gentilis in errore suo agebat: accessit eò Apostolorum aliquis, vt Romã, si placet, B. Barnabas, vel si hoc in Clementé Apocryphum est, Petrus, ac manifestis editis miraculis eum ad fidem nostram conuertit. En iste prius visis miraculis, ac humano modo perceptis conuictus est de veritate, & post credidit; hoc in summa idem perfectiùs, vel imperfectius credituris, et credentibus accidit, qui priùs humano modo, licet adiuti interea à Deo, percipiunt plus, vel minus, quo de veritate persuadeantur, ac mox credunt, & in primo nihil est diuinæ fidei, tum ob alia, sæpiùs iterata, tùm quia alioquin in infinitũ procederetur. Cessarũt porrò, vel certè non cuilibet credituro, vel credẽti miracula cõcedũtur, quib⁹ cõuincatur: at manet,

manẽ-

Digitized by Google

manebitq; in æternũ aliquid miraculo æquiualens; quo vnuſquiſq; de veritate ſatis perſuadeatur, nec illud aliud de lege communi eſt, quam eminens Eccleſiæ Chriſti authoritas, & veritas tantis illis fundamentis communita, ciuitas ſupra montem poſita, quæ abſcondi nequeat. Hanc ergo veritatem Eccleſiæ non fide diuina, ſed ratione, & diſcurſu facili vnuſquiſq; agnoſcit, & quemadmodum Gentilis ille viſo miraculo, & nondum fide diuina credito ad credendum inducitur, & mòx credit, nec vllum committit circulum, nec petit principium, ità credenti cuiq; accidit, ſi loco miraculi ponas Eccleſiam.

Sed vero haud ita facilè Sectarijs licet ab hoc ſe 872
ſuo laqueo expedire; nam ſi ad internum inſtinctum, ſi ad vnctionem internã abeant, petunt plane principiũ, nam nos ipſorum inſtinctum hæreticum eſſe dicimus, & nefandum. Si ad authoritatem Lutheri, aut Caluini, aut Eccleſiæ Anglicanæ cõfugiãt, nihil habent, quo illã ſtabiliant magis, quã Turcæ ſuam. Si illã ex ſcripturis appbent, peccãt in primis multipliciter, vt toto opere eſt cõmõſtratũ. Si ad ſenſũ denuò Eccleſiæ ſuæ pro intelligẽda ſic v.g. Euchariſtia recurrãt, in ſuũ ipſi circulũ incidũt; nã cum Eccleſiã ſuã modis alijs ſtabilire nequãt, neceſſe eſt, ut ad ſcripturas creditas confugiant: unde eſt progreſſus à ſcripturis fide creditis ad eaſdem ſcripturas fide creditas, uel credendas. Quod ſi hoc recuſabunt, & modum noſtrum mutuari, uel imitari placebit, tunc, in quo manifeſtè cauſa ualemus, & uiucimus, certamen totum, quæſtio tota reuocanda ueniet ad Eccleſiæ authoritatem tam ex alijs locis, quam ex ipſis etiam ſignatis, expreſſis, formalib⁹ ſcripturæ teſtimonijs oſtendendam; ex quibus ſimul omnibus nos ueritatem noſtram tàm copiosè, quàm apertè concluſimus.

Atque hæc, mi Chriſte, habui, quæ dicerem, ſyn- 873
cero, opinor, ueritatis ſtudio; ſi uera illa, tua quidẽ, qui ueritas es; ſin minus, mea. O utinam niſi in tuam eam gloriã ceſſura haud ſint, fato aliquo intercipiantur, nec lucẽ uideant! Parce Domine peccatis meis.

7 DE 61

FINIS.

Digitized by Google

INDEX RERVM.

In quo numeri ſolùm marginis citantur.

A

ACademici multa iudicant contra, quàm dicunt, pag. 104. Eorum probabile eſſet inuenibile. ibid. Denuò oppugnantur. 110. Academicorum momenta remouentur. 115. Academici non ſatisfaciunt. 82. & 83. Academicorum ſchola, & placitũ. 90. Primum eorum fundamentum definitio veri Zenonis. 91. Nec loqui, nec agere quidquam poſſent. 104. Secundum ex laude Tulli. 92. Tertium ſcholarum diſſidia, inter quæ videtur verum in inuenibile. 93. Academiſmus reuincitur ad hominẽ ex definitione Zenonis. 102. Item ex laude Tullij ibid. Item quia inquiſitio veritatis numquam inueniendæ eſt fatua. 103.

Amoris Dei cum tot hæreſibus difficilis concordia. 718. & ſeq. Recuſatur hæc quæſtio. 728. Cauſæ recuſationis. 728. & ſeq. Concordia amoris Dei cum tot hæreſibus. 741. Amoris cum hæreſibus concordia propugnata. 756. & ſeq: Concordia amoris Dei cum hæreſibus, & erroribus.

Animæ immortalitas credenda ſicut cæteræ res. 255. Multorum inanes curæ de immortalitate animæ probanda. ibid. Demonſtrari poteſt tamen animæ immortalitas. 256. Sed ratione conſequenti. ibid.

Anni Chaldeorum, atque Ægyptiorum antiquiſſimi. 70.

Apprehenſionis natura. 105.

Ars naturam imitatur. 48.

Ariſtoteles contendit mundum æternum fuiſſe. 60. Vanum illius ad combuſtiones, & eluuiones effugium. 61. Ex Ariſtotelis errore ſequitur vel mortalitas, vel infinitas, vel tranſmigratio animarum. 66. Ariſtoteli præfertur Auguſtinus 99. Ariſtotelis nimia authoritas. 257.

Atheiſtæ 1. 2. Ipſorum ineptiæ de mundo. 35. 36. Non pauciora credunt, quam nos, ſed plura, & ineptiora. 108. Athomiſtæ de mundo. 32. 33. 34.

Auguſtinus præfertur Ariſtoteli. 99.

Digitized by Google

B

Bonis malis vtuntur in bonum. 783. Boni non ſolum numerandi. pag. 798.

C

Cardanus ſtultior. 162.
Caritatis iudicium videtur non recuſandum. 524. & ſeq. an per charitatem pateat apud quoſnam ſit veritas? 524. Caritas nullibi videtur apparere. 527. Eius iudicium admittitur, & noſtra indè veritas oſtenditur. 529. Sectariorum calumniæ. 530. Ex fructibus arbores agnoſcendæ. 533. 534.
Catholica veritas concluditur. 401. An manifeſtè probetur Chriſtianæ, & Catholicæ religionis veritas ex modo propagationis ipſius? 402. An religio, & Eccleſia noſtra ſit nomine, & re catholica, & vera? 487. De nomine probatur veritas noſtra. 488. 489. & ſeq. Sumus etiam re Catholici. 492. Reges Hiſpani cur Catholici? 508. 509.
Credenda non credere, eſt credere non credenda. 108. Multorum ad credendum tarditas imprudens. 109. Qui nihil ſe credere affectant, plùs omnibus credunt 107. Credendum priùs, & poſtea intelligendum ex Iſaia. 221. Prima credendi obligatio ex ipſa religione primitùs non naſcitur. 224. Crediturus quiſq; agnoſcit ſe obligatum. 338. Quomodo viſa credi etiã queant? 548. & ſeq. Nemo credit non volens. 557. Quo ſenſu? 557. 558. 559. Scholæ ſuffragantur. 560. Doctrinæ explicatio 561. Multa alia credenda præter Chriſtum. 645. Omnia creduntur, vel nihil. 650.
Chriſtum noſſe an ſufficiat, & de reliquo quamcumque partem ſectari? 647. Communis multorum ſectariorum error. 732. Vetus is error Donatiſtarum. 635. Sententia negatiua, & catholica. 637. Probatur authoritate Eccleſiæ. ibid. Item quia Schiſmatici damnantur. 638. Quia alioqui tutus eſſet Arianiſmus. 639. Tuti hæretici omnes, ac Mahometani. 640. Chriſtus viſibilis doctrina totius doctrinæ Dei. 797. Omnia concludit ibid.
Concilio vno recuſato, recuſantur omnia. 253. Inutilitas congreſſuum in Germania initorum. 254. A concilijs non extorquẽdæ per vim definitiones. 264.
Cornelius. 690.

Deus

Digitized by Google

DEus orandus, timendus, ac placandus. 24. Sine eius adiutorio Boni esse non possumus. 22. Qui Deum tenent nō sunt suspecti, nec nimium formidolosi. 30. Deus est. 32. 33. Mūdus à Deo factus. 39. à Deo conseruatur. 40. Prophani vellent Deum videre oculis. 50. Qui negat Deum esse principium, ac finem hominis cogitur fateri se esse amentem. 73. Probatur 75. Deus nec falli, nec fallere potest. 78. 79. Tota rectitudo, & firmitas primorum principiorum in Deum authorem reuocanda. 80. 81. Omnium probationum constantia Deus. 85. Non disputādum, an Deus possit decipere. 87. Deus primum inuenibile. 113. Deus debet veritatem ostendere. 121. De Deo solum est sciendum, an dicat; non autem examinandum qualia 213. Fidei, & scientiæ quoad hanc rem diuersitas. 214. Deus præuahit contra falsarum religionum authores. 334. Non frustrà loquitur Deus. 646. & seq. Authoritas Dei omnia, & vbiq; concludit 653. Illi in omnibus, vel in nullo creditur. ibid. An Deus voluerit omnes venire in agnitionem veritatis? 709. Affirmatur, & probatur 709. & seq. Quomodo is amor cohæreat cum tot hæresibus. 716. Deus tenetur ad optimum. 742. & sequen. Deus in numero, mensura, & pondere fecit, & permisit omnia. 745. & seq. minutissima quæque in numero. 752. & seq. Deus cur gloriam suam quærat? 763. Deus non debet permutare naturas rerum. 804. Cur Deus velit orari? 794.

Diluuia varia. 62. 63.

Doctrina religionis non est naturalis rationis, & discursus, & inuentionis. 124. Nequit fundari in scholis. 125. Ita visum gentibus omnibus. ibid. D. Thomæ triplex confirmatio. 127. Multiplex alia confirmatio. 128. Doctrinæ reuelatæ necessitas. 129. Noua probatio D. Thomæ. 131. Omnium confirmatio. 132. An superioritas doctrinæ veræ religionis ex ipsa etiam natura eius doctrinæ demonstretur? 134. Huius doctrinæ momentum ibid. Sine doctrina reuelata errari. 140. 141. Philosophorum diuisiones id confirmant. 142. Doctrina Dei dissoluuntur facilè omnes difficultates contra prouidentiam. 143. Totius doctrinæ confirmatio ex cathechismo Pij V. 156. Doctrinæ diuinæ conseruandæ difficultas in genere. 280. Vera doctrina Ecclesiæ in sensu Ecclesiæ asseruata. 288. Doctrina Christi propagata proculdubio ea ratione, qua sancti libri commemorant. 408. Augustini confirmatio 409. & aliorum seq. num. Doctri-

Digitized by Google

næ Dei modicus honor. 781.
Dona Spiritus sancti explicantur. 562. Quæ mala illis correspondeant? 563. Quæ causa horum malorum? 564. Quomodo luxuria? ibid. Quomodo superbia? ibid.

E

Ecclesiæ, & conciliorum eadem ratio. 250. Debet quisque inuenta vera Ecclesia illius omnia sensa credere, atque accipere. 253. Ecclesia præferenda cuiuscumque authoritati. 265. Per veritatem doctrinæ nequit vera Ecclesia dignosci. 277. 278. Infallibilitas Ecclesiæ necessaria. 376. Ecclesia ex quo cæpit esse, non defuit. 387. & seq. SS. Patres confirmant. 391. Nequit sine infallibilitate Ecclesiæ quis quiescere. 376. Quid Ecclesia Catholica? 492. Multiplex Ecclesiæ vniuersalitas. 493. & seq. Remouenda qnæ per accidens. 497. Vera Ecclesia diffusa per orbem. 500. 501. 502. De vnitate successionis Ecclesiæ. 503. Sectarij non succedunt. ibid. Sectarum institutio repugnat catholicismo. 504. Etiam relicta successione vincit Ecclesia Catholica. 505. Quomodo Ecclesia visibilis? 535. Ecclesiæ visibilitas. 544. 545. & seq. Ecclesia nec solis iustis, nec solis perfectis, nec solis prædestinatis constat. 550. Quomodo Ecclesiæ vnio, & vinculum si caritas? 551. 552. Ecclesiæ sanctitas, & puritas. 552. 553. An Ecclesia sit omnibus visibilis? 580. Ecclesia pro omnibus erecta. 583. Alioqui populi conuerti non possent. 584. Alia probatio 585. Item quia rusticissimi etiam saluari possunt. 589. Ecclesia non est omnibus æqualiter visibilis. 592. Extra Ecclesiam non est salus.
Epicurus 1. 2. Metus nullos Epicurus sustulit. 30.
Errores sensuum 97. Errores loco veritatis habentur. 569. Eorum difficilis curatio. ibid. Errorum opportunitas. 772. & seqq. Si non essent errores, essent errores. 801.
Euangelistarum veritas. 457.
Examen rerum remouetur. 159. Eo nequit inueniri vera religio. 158. Ducit ad falsa. 160. Ad illud vita non sufficit ex Augustino. 161. Nemo illud digne absoluere potest. ibid. Stulti, qui per examen rerum, & religionum veram quærunt. 162. Stultior Cardanus religionibus genituras constituens: hoc examen est causa immediata hæresum. 169. Examen scripturarum remouetur in eum finem. 170. Examinis rerum, & librorum eadem ratio. 172. Etiam habito libro infallibili erramus in eius sensu habendo. 173. Articulorum, mysteriorumq; exa-

Digitized by Google

examen arcendum. 184. Est impossibile, & numquam finiendum. 185. 186. Iuliani Apostatæ in simili examine vanitas. 187. Christianorum, & Iudæorum causa deterior, si per examen mysteriorum dijudicandum sit. 188. & seq. An nihil examinando quærenda sit vera religio? 101. Sectariorum in eo error.

F.

FIdes iuuat plurimum etiam ad sciendum . 152. Res fidei sine examine credendæ, & quasi deuorandæ. 214. De Propheta solum est sciendum, an sit Propheta, nec ampliùs est examinandus, sed credendus. 215. Distinguendum inter præambula fidei, & res fidei. 224. Scienda præambula. 225. 226. Postea credi etiam possunt. 227. Nec tempore Antichristi fides delebitur. 390. Fides humana admittenda quoad miracula. 472. Quomodo quisque possit à fide deficere? 567. 568. Vniuscuiusque dispositio facit res aliter apparere. 565. Affectionis vis magna in intellectum. 566. Fides, & Religio voluntaria. 571. Alia fidei voluntarietas, & libertas exponitur. 572. & seq. Meritum fidei 575. Infusæ, & acquisitæ fidei distinctio. 578. Difficultatibus occurritur. 578. Fides tota accipienda. 655. Fides vnius articuli fides virtualis omnium. 657. 658. 656. Sectariorum obiectiones vanæ. 660. & seq. Eidei omnimoda necessitas ad salutem. 667. & seq. Concilium Tridentinum ita docet: 675. Fidelium persuasio de necessitate fidei. 678. Fides est tam necessaria, quam gratia. 679. Quid de ignoranti syluicola? 683. & seq. Quid de Cornelio, & similibus? 690. Quæ contra necessitatem fidei allegantur, dissoluta. 693. Ad resolutionem fidei, quæ principia tenenda. 836. & seq. Quid sit resolutio fidei? 827. Eius difficultas 830. & seq. Veritas fidei nobis ignota, nisi aliundè probetur. 831. Nequit intellectus ad incerta cogi à voluntate. 832. Nequit fides aliò, quam ad verbum Dei resolui. 333. Nequit resolui ad res claras. 836. Nec etiam ex parte 838. Euidentia veritatis fidei ad fidem non mouet. 846. & seq. Regulæ scientiarum non valent in fide. 848. 849. 850. Fides voluntati comparata. 853. Obsequium fidei non in credenda reuelatione, sed in credendis rebus. 861. & seqq. Resolutio fidei ad praxim ducta sine mutua prioritate, & circulo. 865. & seq.

Gene-

Digitized by Google

G

GEnerationes nequeunt in infinitum procedere. 72.
Gentiles nec examinando, nec credendo veritatem inuenire poterant. 164. Eorum miracula etiam admissa nihil probant. 165. Gentiles oppugnati. 357. 358. Gentiles disiecti. 399.

H

HAbilitas multa omnium ad humana. 590.
Hæreses ex scripturis facilè compingi possunt, sicut Homerocentonæ. 157. Hæretici per examen etiam rerum, & scripturarum oppugnari possunt. 320. Hæreses semper Ecclesiæ. 506. 507. An ex notis hæreseos præsentes hæreses deprehendantur, & veritas catholica pateat? 520. Pars affirmatiua probatur. 510. & seq. Anglia ab hæresi infœlix Reges suos trucidat. 516. Hæretici nihil Deo credunt. 653.
Homo à Deo creatus. 53. Hominis auiditas explorandi antiquiora. 58. Etiam admissis diluuijs, admittendus homo à Deo factus. 64 65. Qui negat Deum esse principium, & finem hominis, cogitur fateri se esse stolidum. 73. Probatur. 75. Homo à Deo non factus nihil posset iudicare. 76. 77. Rationis naturalis insufficientia ad finem hominis. 138. Constat facto ipso, & experientia Philosophorum, & gentium. ibid. Constat ratione. 139. An homines non solùm possint, sed teneantur esse conscij ueritatis? 599. Fundamenta negandi. 602. Assertio affirmans. 604. Authoritas Theologorum. ibid. Authoritas Ecclesiæ, & scripturarum. 605.
Humilitas Deo optatissima. 788. & seq.

I

IAnseniana procedendi via illegitima. 265. Idcircò nihil apud Hispanos profecit. 266. 267.
Idololatriæ omnes cõuincuntur per reductionẽ ad impossibile. 166.
Ignoranria inuincibilis veræ religionis an sit? 697. Negatur, & probatur: 699. & seq.
Instinctus interni insufficientia. 202. Infidelis cum nondum sit amicus Dei, nequit eum ex voce agnoscere. 197. Instinctus insufficientia ex Augustino 198. Frustra alioquin Ioannes Apostolus scripsisset. ibid. Et multiplex alia confirmatio.
In minimis error facilis. 748.
Ioannis Angelij sectarij ineptiæ. 353.

Iuda-

Digitized by Google

Iudaiſmus. 3.
Iudæi reuicti. 359. Iudæi oppugnantur. 400. Iudæorum obſtinatio innixi videtur diuinæ virtuti. 425. 426. Iudæi propter Chriſtũ crucifixum percuſſi, & obcæcati. 427. Sunt noſtræ veritatis ſpeculum. ibid. Eiuſdem rei multiplex probatio ex facto ipſo. 429. Ex Chriſti prædictione expreſſa. 431. Ex multiplici Chryſoſtomi confirmatione. 432. 433. Iudæi non propter religionem, ſed in pœnam tanta patiuntur. 434. Illorum, & Chriſtianorum diuerſitas. ibid. An eorum calamitas, & obſtinatio ſit finem habitura? 435. Sapient aliquando. 436. Alius cæcitatis Iudæorum fructus. 437. An ritè Iudæi conuerſi perpetuò infames habeantur? alij uideant. 438.
Iudicatiua pars ſemper vero mouetur. 106. Hanc exercent Academici. ibid.
Iuliani Apoſtatæ vanitas. 187.

L

Libertas noſtra nota nobis. 822.
Libri Chriſtianorum veri, in particulari agnoſci nequeunt, nõ agnita prius vera Eccleſia. 271. 272.
Lingua hebræa, & græca an neceſſariæ ad cauſam religionis? 301. Ad quid illæ vtiles? 299. Videntur neceſſariæ. 297. Ad cauſam religionis nihil neceſſariæ 301. Probatio. 302. Nullum Hebræum, & Græcum exemplar certo probat. 303. Nec probabiliter. ibid. Auguſtini confirmatio. 304. Inſtantia Hieronymi. 305. Ratio Auguſtini defenditur. 306. 307. Hieronymus conſentit. 308. Hieronymi verſio perfecta. 309. Inutilitas earum linguarum. 311. Multarum linguarum cognitio plerumq; imperfecta. 312. Obiectionibus occurritur. 313. Doctrinæ confirmatio ex Apoſtolo. 315.
Luciani diſcurſus deridendi. 31.

M

Macchiauellus vide Relig. 15. Macchiauellus ridiculus. ibid. Denuo ridiculus. 25. Aliud Macchiauelli effugium futile. 67. 68.
Magiſtrorum vitia, non ſcientiarum. 220.
Mahometani non ſciunt, quod ſcire oporteret. 215. Nihil corde credunt. 216. Haud inducenda Mahometana barbaries. 123. Mahometani reuicti. 360. Mahometus explosus. 398. Mahometanorum nulla fides. 609.

Malo-

Digitized by Google

Malorum distinctio. 716.
Miracula prisca apparent euidenter in effectu. 424.
An veritas Christiana concludatur miraculis factis à Christo, ab Apostolis, alijsque? 439. Difficultas discernendi vera miracula. ibid. Magna in miraculis superstitio. ibid. Difficultas ex collatione verorum, & apparentium signorum. 440. Miraculum nequit fieri in confirmatione erroris. ibid. Prisca miracula probant veritatem christianam. 442. Prima regula dignoscẽdi vera miracula, eorũ prævalentia. 443. 434. & seq. Christianorum miracula cum cæteris conferuntur. 447. Gentiles vincuntur. ibid. Iudæi pariter. 448. Item Mahometani 449. Qualitas miraculorum nostrorum eorum veritatẽ suadet. 450. Dæmonum mirabilia inutilia, & inania. 450. & seq. Veritas miraculorum nostrorum probata ex qualitate personarum operantium. 455. 456. Ea omnia moralem euidentiam pariũt. 461. Obiectiones remouentur. 462. Veterum, & recentiùs editorum miraculorum par ratio. 464. Sectarij in hoc ad vnum Enthimema prouocati. 465. Augustini mens de dijudicandis miraculis. 468. 469. Nostrorum miraculorum denuò veritas probatur. 470. Sectarij frigent in hoc genere. 471. Multa miracula significata. 477. Celebre Xauerij ætatis nostræ miraculum 476. Huius miraculi veritas. 481. 482. 483. Miraculorum nostrorum veritatem confirmat Sacræ Congregationis Rituum diligentia. 484. 485.
Motus omnis principio, & fine clauditur. 72.
Mundus à Deo factus contra Athomistas. 32. 33. 34. A Deo factus contra Atheistas. 35. 36. Mundum factum fuisse non est mundum conseruari. 44. Benè, atque optimè gubernatur. 49. An perhibeat testimonium de sua creatione à Deo? 57. Ab æterno non fuit. 54. Nulla ratio æterna. 55. 56. Si mundus æternus esset, gens aliqua se æternam iactaret. 57. Magna auiditas explorandi antiquiora. 58. Rerum æternarum nulla memoria. 58. 59. Sapientes omnes mundum non æternum supposuerunt. 60. Aristoteles obstitit nihil probans. ibid. Tentata effugia probant mundum non esse æternum.

N

NAtura sine Deo intellectu caret, 45. 46. Naturæ opera minus miranda. 47. Aliquo præstantiore intellectu gubernatur. 48. Natura sine Deo falli posset, ac fallere. 7879.

Ora-

Digitized by Google

O

ORari cur velit Deus? 794. & seq. Non est nobis inuidus. 795. & seq.
Orthodoxorum via. 375.

P

PErmissio peccatorum. 702. Multa mala permittuntur su perbiæ euellendæ. 780. Parum profecimus. ibid. Necesse est, vt veniãt scandala, & peccata. 782. Oportet hæreses esse. 770. & seqq. Errorum opportunitates. 772. & seq. An Deus vltrò permittat errores, & peccata? 809. Quasi coactus permittit. 811. Homo origo prima permissionis. 811. & seqq. Nõ accipimus, quia nolumus. 821.
Perditionem à nobis incipere, est nobis notum. 823.
Philosophiæ Theologia debet imperare. 120. Philosophiæ naturalis incertitudo. ibid. Tota philosophia, & omnes scientiæ naturales ineundæ ratione consequenti, & credente, & subiecta. 257. Philosophia minimè necessaria ad miracula discernenda. 441.
Prophani ineptiunt. vide Relig. n. 3. Sunt futiles. ibid. 11. Vellẽt oculis videre Deum. Quæstiones horum de Dei prouidentia. 51.
Prouidentia Dei. 37. Ostenditur primo, quia mundus ab eo factus fuit. 39. 40. Illum gubernat. 41. Vnusquisque curare debet, quod suum est: ergo Deus mundum. 41. Item, quia Deus inexorabilis nequit esse. 43. Mundum factum fuisse non est mundum conseruari. 44. Benè, atque optimè gubernatur: ergo à Deo. 49. Vanæ quæstiones de Dei prouidentia. 51.
Principiorum primorum tota rectitudo, & firmitas in Deũ authorem reuocanda. 80. 81.
Probationum omnium constantia Deus. 85.
Protestantium pinguis error, dum ad examẽ rerum prouocãt. 168. Protestantium superbia. 790. Maior quam Pelagianorum. ibidem.
Probitatem decet arduitas. 803.
Pythagoras omnia vera dixit. 98. Pythagoræ, & Philosophorum modestia. 154. Se solùm Philosophos vocabant. ibid. Pythagoræ sapiens pronunciatum de Deo per fidem colendo 155.

Digitized by Google

R

RAtio prævalere nō potest quin à Deo iuuetur. 24. Rationis naturalis insufficiētia ad diuina. 135. 136. Erraret ratio naturalis in diuinis sibi relicta. 137. Eiusdē insufficiētia ad finē hominis. 138. Rationis insufficientia ad diuinam prouidentiam. 140. Ratio sibi relicta implicatur, nec exitum inuenit in rebus summis, & ad religionem necessarijs. 147. 148. Affirmaret, & negaret Deum, & eius prouidentiam. 149. Concedenda nobis nostra ineptitudo ad diuina. 152. Pinguis cognitio nostra. 749. Hominum ineptitudo. 732. Ratio consequēs quid? 217. Rationis antecedentis distinctio. 218. Earum explicatio. 219. Ratio antecedēs à causis religionis excluditur. 220. Ratio antecedens admittenda quoad aliquid. 224. Ratione consequēti multò stabiliùs explorarunt diuina SS. Patres, quàm Philosophi gentium. 258. Ipsa etiam scriptura ratione consequenti exploranda. ibid. Eadem ratione consequenti hæreses expugnarunt SS. Patres. 259. 260.

Religio vera an sit in mundo? n. 1. Videtur non posse discerni, aut inueniri, nec proprio examine, aut aliorum assēueratione. 4. 5. Manifestum est dari eam in mundo. 6. Id probat gentium omnium consensus. 7. 8. Paucorum exceptio nihil obstat. 9. Est naturalis persuasio totius generis humani. 10. Non est inuentio humana, sed institutio naturæ, & diuina. 11. Futilitas in hoc prophanorum. 11. Natura, & Deus hanc persuasionem indidit. 12. De nullo alio magis instituit. 13. Nec debuit. 14. Nec Macchiauellus hanc naturalem institutionem euellere potuit. 15. Tertullianus eam institutionem confirmat. Illius existentiam probat eius necessitas. 19. Affectata, & ficta non sufficit. 20. 21. Demum eam probat, quod boni esse non possumus sine Dei adiutorio. 22. Implicat rationem prævalere sine illo. 24. Aliæ rationes indicantur. 25. Obiectorum solutio differtur. 26. 27. An insipientium sermones obstent? 28. Ex dictis retinentur. 28. In dubio præstaret benè vivere. 29. Tenentes religionem non sunt suspecti, nec nimium formidosi 30. Qui negat veram religionem, cogitur fateri se esse amentem. 73. Probatur. 75. Academicus ad causas religionis obtusus. 100. Admissa Zenonis definitione vera religio inueniri potest. 115. Firmitas ad religionem necessaria nequit haberi via scholarum. 119. Stulti, qui per examen rerum, & religionum

Digitized by Google

num veram quærunt. 162. Religio haud numeranda inter naturalia, 129. An nihil examinãdo quærẽda sit vera religio? 191 An forma veræ religionis quærendæ expressa sit in illa Pauli clausula, scio cui credidi? An hinc Mahometani conuincantur? 208. Asseritur. ibid. Authoritate multiplici probatur. 210. 211. 212. Schola pythagoræ hanc rem adumbrauit. 211. An qui de vera religione dignoscenda agunt, & disputant seruatis scientiarum, rationis regulis, possint, ac debeant euitare quæstionem, & examen rerum, & dictorum? 228. Videtur non posse vitari, ibid. An vera religio doceat rationi contraria? 229. Quid faciendum veræ religioni defensori cũ eo examine impetitur? 232. Remouentur, & notantur multi abusus, & errores committi soliti in materia religionis illationibus. 243. Nulli quantocunque licet religionem mutare, quam vt diuinam putet, sufficientia fundamenta habet. 244. Etiamsi sibi videatur aliquid euidenter impossibile. ibid. Debet iudicium proprium deponere. 245. Hominum mores semonẽdi à causis religionis. 252. Prius quærenda vera religio, quam veri, & determinati illius libri. 269. 279. Priùs est sciendum apud quos sit vera religio christiana, quam qui sint determinati veri libri. Quomodo in vera religione conseruari tuto queat doctrina Dei scripta, vel non scripta? 279. An manifestum esse debeat, & ex rebus in mundo moralitèr euidentibus, quænam inter omnes sit vera, ac à Deo data religio? 323. Theologorum communior sensus. 323. 324. Affirmatur veræ religionis euidentia. 325. Est ea omnium sensui conformis. 328. Probatio ad hominem. 329. Sanctorum Patrum authoritas. 330. Scriptura contestatur. 331. 332. Veræ religionis inuenibilitas probat eius euidentiam. 333. Repugnat etiam à falsa aliqua æquari in fundamentis. 334. Religio non obligat ex terminis, sed ex probationibus. 339. Multipliciter tota doctrina confirmatur. 340. Argumenta soluuntur. 341. An ritè innotescat natura, & definitio veræ religionis? 345. An sit virtus voluntatis? 346. Ad voluntatem pertinet. 347. Communis definitio, 348. Alio sensu hic definienda. 349. Illius multiplex explicatio. 332. Ioannis Angelij sectarij in eo ineptiæ. 353. An ex natura doctrinæ veræ religionis inferatur inter omnes mũdi religiones solam esse veram, catholicam, & christiãnam. 356. Qui ritè quærunt veram religionem, eam inueniunt. 365. An aliæ religiones præter catholicam ducant in Atheismum, vel Epicureismum? 369. Caluini, & Lutheri iudi-

Digitized by Google

cíu religionẽ haud ſtatuit.371.Verá religio perpetuá.385.Vera religio ſi nunc eſt,ſemper fuit.386. Vera religio licet non ſit vbique, eſt tamen ſemper.393.294. Vera religio perpetua maximè apud Chriſtianos.392. Cæteræ religiones humanitùs fundatæ.417. An ſaltem per accidens, & per ignorantiam vel vnus aliquis ſaluari queat extra veram religionem, & Eccleſiam? 166.Aſſertio negatiua probatur.667.Ex Apoſtolo.669. & ſeqq.

Reuelatio Dei an reflectat in infinitũ?856. Reuelationis duplex veritas.857. Myſteriorum vna ſola. 858. Dei reuelatio ad ſe credendá non mouet. 859. Obſequium fidei non in credenda reuelatione, ſed in credendis rebus.861.& ſeq.

S

SApientiæ Dei magnitudo inintelligibilis.731.Sapientiæ diuinæ congruens numerus errorum permiſſus.761. Ignota opera ſapientiæ Dei per exceſſum.765. Sapientia magna ſcire, á quo ſit ſapientia.157.

Sapiens nequit eſſe ſine doctrina Dei. 130. An deceat ſapientem opinari? 123.

Scientiam plurimum fides iuuat.152. Scientiarum nulla vitia, ſed profeſſorum.120. Intereſt ſcire quibus, & cum quibus, & de quibus ſit diſputandum. 233.

Sceptici non ſatisfaciunt.82.84.

Scholarum diſſidia, vide Acad. 90. Scholarum abuſus multi . 96. Scholarum via nequit haberi firmitas ad religionem neceſſaria.119. De ſcholarum ſectis, ac diuiſionibus dicere, periculoſum.116.Doctrina religionis nequit fundari in ſcholis.125. An ſcholæ,congreſſus, & controuerſiæ omnes de religione debeant conſtare ratione ſolùm conſequenti?217.

Scripturarum examen remouendum,& quomodo.1770. Hac via nequit veritas perſuaderi Gentili.176.177. 178. & ſeqq. Ad ſcripturas prouocatio repellitur. 181.182.183. Quis ſit verus liber ſcripturæ, non conſtat per inſtinctum? 195. Addiſcendæ forent linguæ, & legenda infinita volumina. 196. Non licet appellatio ab Eccleſia ad ſcripturam.248. Nec quamuis contra ipſam Eccleſiam difficultas occurrat.249. Quam inanes hac in re ſectarij.ibid. Ipſa etiam ſcriptura ratione conſequẽti exploranda.258. Scripturæ duplex pars,& altera ad rationẽ antecedentem ſpectare videtur.261. In examine ſcripturæ ipſa

Digitized by Google

ſa Eccleſia ratione partim antecedenti, partim conſequenti procedit. 262. Quando ſenſus ſcripturæ,& concilij eſt dubius, præferenda eſt ſcriptura. 263. Quænam ſit vera ſcriptura per ipſam ſcripturam non innoteſcit. 273. Vera ſcriptura inuentu facilis. 287.

Sectarij dicunt, & obiectant falſa de claritate Verbi Dei. 174. Loquuntur contra mentem. ibid. Sectariorum error. vide Relig. 191. De claritate ſcripturarum non id ſentiunt, quod dicunt. 199. Eorum via ducit ad Mahometiſmum. 200. Vt vnum Papam tollant, omnes faciunt Papas. 101. Ex Paulo, & Ioanne conteruntur ſectarij. 203. 205. Ad diuiſionem, & diſcordiam ducit hæc via. 205. Sectariorum vanitas. 361. 362. 363. Sectarij ſcholarum via incedunt. 374. Sectariorum calumnijs vna ſolutione occurritur. 378. Sectarij nihil credere poſſunt. 380. Cum gentilibus comparantur. 383. Sectarij frigent in miraculis. 471. Sectarij vno Xauerio conuicti. Multi ſectariorum nihil credunt. 620. Cur licet nos non debeamus alios audire, debeant tamen alij audire nos? 612. & ſeq. Vel ſectarij damnantur, vel damnamur nos. 641.

Senſuum errores. 97. 122.

Spiritus ſemipropheticus nihil ſignificat. 285.

Suaue ſatis protritus ab Eminentiſſimo Pallauicino. 283. Suaue factioſus ibid. Suauius futilis ibid. Ducit ad Atheiſmum ibid. Verſio aliqua approbari poteſt. 284. Incohærentia Suauij. ib. Lutherus præ illo ſapit aliquando. ibid. Suaue ad multa diſtractus. 285. Suaue ignorans. 288. Falsò Tridentinum carpit. 289. Suaue capitalia principia ignorat. 316. 317.

Superbiæ modica cognitio. 791. Deus ad impoſſibile reducit ſuperbos. 792.

T

THeologia imperare debet philoſophiæ. 120.
Thomas Campanella quis, & qualis? 322.

V

VEra religio inueniri poteſt. 88. Verum eſt inuenibile. ibi. Quæſtio de vero in genere. 89. Pro vero dignoſcendo nulla videtur poſſe aſſignari regula. 94. Vbique non tam veritatis, quam ingeniorum cauſæ aguntur. 95. Pythagoras omnia vera dixit. 98. Inquiſitio veritatis numquam inueniendæ eſt fatua. 103. Si vera religio non eſt inuenibilis, nihil eſt inuenibile. 12. Vera reli-

Digitized by Google

religio primum inuenibile. 113. Multa vera inuenibilia, maximè Deus. 114. Arduum in scholis veritatem inuenire, & quare? 117. Absolutè verùm inueniri potest. 118. Veritas à Deo ostendenda. 121, Verùm non ritè quæritur falsorum impugnatione. 321. Negari nequit aliquibus fuisse euidentem veritatem suam. 342. Veritas catholica per reliquarum exclusionem. 364. Positiuè probatur. 365. 366. Veritas catholica. 395. Veritas erroribus præualet. 396. Veritas catholica cum alijs religionibus collata. 397. Veritatis nostræ euidentia demonstrata. 540.

Virtus diuina necessaria ad propagandam Christi doctrinam. 403, 404. Effectus maximus poscit causas maximas. 405. Humanorum mediorum ineptitudo probat diuinam in eo virtutem. 406. Nihil diuinæ virtutis gentium religionibus. 418. Nec item Mahometo, 419. Multo minùs sectarijs. 420. 421. 422. 424.

Vulgatæ latinæ authoritatē vtrum Catholici facilè defendāt? 279. Specialis difficultas contra Vulgatam latinam: 282. Theologorum in Tridentino de hac re iudicium. ibid. Vulgatæ latinæ authoritas propugnata, 284. Nulla noua difficultas in approbanda Vulgata. 285. Quantum fecerit Tridentinum in approbanda Vulgata, 290. Quæstio Theologorum de authoritate Vulgatæ. 291. An illius omnes apices sint de fide? ibid. Quam vtilis approbatio Vulgatæ. 293. Hæ controuersiæ nequeūt terminari nisi sēsu Ecclesię. 294. Vulgata omnibus exēplaribus præhabenda. ibid. An solus sensus accipiendus sit, an etiam verba, & omnia? ibid. Hebræorum exemplarium pericula. 295. Obiectiones disiectæ. 296. Sectariorum obiectio contra Vulgatam reiecta.

7 DE 61

FINIS.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google